BIBLIOTECA NAZ
152
B
82
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
1 52
B
8 2
NAPOLI

152
B
82.



M. VAL.

MARTIALIS EPIGRAMMATA

DEMPTIS OBSCŒNIS.

Addidit annotationes, & interpretationem

JOSEPHUS JUVENCIUS

E Societate Jesu.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

VENETIIS, MDCCLII.

Apud Nicolaum Pezzana.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

M. VAL. MARTIALIS.

VITA.

& ejuſdem ſcriptis, & iſtis commentariis.

MARC. VAL. MARTIALIS natus eſt Bilbili, quæ civitas eſt Hiſpaniæ in Celtiberia, patre Frontone, matre Flacilla, Kalendis Martiis, ſub Claudio Imperatore, qui anno Chriſti 41. imperium nivit. In quibuſdam libris pervetuſtis appellatur M. Val. Martialis Cocus; ſive id cognomentum ipſi per jocum fuerit inditum, ive gentilitium & paternum habuerit. Uxorem duxit Clodiam Marcellam, quam ipſe ibro Ep. XII. epig. 19. celebrat. Romam ſub Nerone venit annum agens alterum & viceſimum. In Italia manſit annos 35. quibus exactis, redit in Hiſpaniam ſuam anno ætatis 57. ibique deceſſit imperante Trajano, natus annos admodum 60.

Ejus carminum libri quatuordecim numerantur; nec in iis tamen omnia omnino ejus epigrammata continentur; ſiquidem nonnulla proferuntur a quibuſdam antiquis auctoribus, quæ in iſtis libris non exſtant; ſive quod ſcripta fuerint libris jam

editis, sive quod colligentibus exciderint.

Magnam semper ab hominibus eruditis ingenii laudem est adeptus. *Erat* (inquit Plinius Secundus, illius æqualis & amicus) *homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum scribendo & salis haberet & fellis, nec candoris minus.* Ælius Verus Cæsar, teste Spartiano, Martialem *Virgilium suum* appellabat. Omitto recentiorum de illo testimonia plena dignitatis, quibus astipulatur consentiens omnium ætatum fama.

Si quæras, quid sit Epigramma, quo in genere uno versatur Martialis, ea vox nihil aliud, quam inscriptionem sive titulum sonat: ἐπιγράφω enim est, inscribo, superscribo. Nunc significat carmen breve, ac venustum, rem aliquam ingeniose, graviter, aut argute concludens. In quo venustas porro epigrammatis & acumen consistat, legendo sentias facilius, quam definiendo explices.

Jam vero, ut aliquid etiam de istis commentariis, & labore nostro admoneam, non me deterruit superiorum hujus cultissimi vatis interpretum Ramiresii, Matthæi Raderi, Petri Rodellii, Vincentii Collessi, & aliorum eruditus labor, quominus symbolum quoque meum conferrem. Raderus enim; præterquam quod mole rerum & eruditionis copia laborat, habet interdum nonnulla subobscura, & quædam etiam intacta prætermittit. Rodellius partem duntaxat Martialis, ea quidem, quam ceteris in libris adhibuit, perspicuitate ac

saga-

ſagacitate, complexus eſt. Quod ſpectat illos, qui VARIORUM inſcribuntur, commentarios, quos imperiti laudant, dolendum profecto eſt ejus generis & nominis libros, tam ſpecioſo nomini tam parum reſpondere, qui ſi reipſa tot interpretum, quot extant, ſententias ſuis quaſque locis apte digeſtas, acri judicio delectas, & inter ſeſe compoſitas, acciſis quæ ad rem non pertinent verbis, repræſentarent, novis facile commentariis careremus. Colleſſus, qui noviſſime ſcripſit, nondum omnibus ſatisfacit. Operam dedimus, quoad ejus fieri potuit, ut nihil omitteremus non explanatum, ubi res popoſcit, nec minor fuit cura brevitatis: itaque non evagati ſumus longius in propriis quibuſdam nominibus explicandis, in indagandis vocum nonnullarum originibus, ac ejuſmodi tricis, in quibus nonnulli Grammatici valde ſudant. Quis enim id in epigrammate legendo quærit? Lectiones optimas e probatiſſimis petitas codicibus, & ad ſententiam carminis quam proxime accedentes ſecuti ſumus; alias, ſi quæ vulgatæ eſſent, interdum expoſuimus; alienas & contortas omnino rejecimus. Præfiximus etiam nova ſingulis epigrammatis lemmata ſive titulos, e quibus uniuſcujuſque argumentum & acumen intelligi poſſit. Indices addidimus tres. Primus eſt Epigrammatum. II. Lemmatum, ſive argumentorum, quæ quia in magna varietate verſantur, ea communes quoſdam in locos redigere ſtuduimus, unde quiſque arbitratu ſuo depromat, quod opus

erit ; v. g. ſi condendum ſit epitaphium, amplius viginti ejus generis epigrammata eodem indicata titulo reperies, ſuo ſingula certo colore, cultuque diſtincta : ſi quid in avaros mediteris, ſi quid componas in invidos, ingentem, & amœnam ſylvam dabit hic ſecundus index. III. Eſt rerum, earum præſertim quæ in notis explicatæ fuerunt, quæ nec ſemper vel eruditiſſimis obviæ ſunt, nec in exponendis ſingulis epigrammatis fuerunt a nobis repetitæ, ut conſuletur brevitati ; ad extremum, ita rationem eruditionis habuimus, ut pietatis ac pudoris etiam haberemus : rati nullum eruditioni profanæ, & antiquitati locum apud homines pios ac bene inſtitutos eſſe debere (quantumvis abjecti quidam, ac perditi homines reclament) ubi religionis aut probitatis vel leviſſimum periculum eſt.

APPENDIX.

CUM in poſtremis libris recurrant ſæpe voces eædem, quæ in prioribus explicatæ ſunt, ſatis habuimus paginam indicare, ubi erant explanatæ, aliquando tamen (quod neſcire te nolim) in his paginis indicandis diligentia excudentium titubavit, præſertim in libro VII. & VIII. ubi rem non eo, quo eſt notata, loco ſæpe reperies, ſed tertia fere, ante aſcriptam, pagina. Quod ſi quærendi labor te angit, Indicem: quæſo, conſule, ubi pagina cum fide citatur. Inceperam quoque in prioribus libris Romanam veterem monetam exigere ad recentis Romanæ uſum, ac trutinam; ſed cum iidem numeri ut plurimum redirent in libris poſterioribus, ſatis viſum eſt, quod fuiſſent ſemel explicati. Ne quid tamen deſideres, utque totam rei numinariæ veteris Romanæ rationem cum recentis comparatæ, ut quidem nunc eſt hoc anno 1703. æſtimare poſſis, ſic habeto. Seſtertium minorem continuiſſe duos aſſes Romanos veteres cum dimidio tertii, ſive ſemiſſe: Unum ſeſtertium majus, minores mille ſeſtertios valuiſſe: in denario quatuor fuiſſe ſeſtertios; aſſes vero decem. Seſtertium minorem unum reſpondere duobus aſſibus, ſeu ſolidis, ut vocant, Gallicis: qui efficiunt Romanæ monetæ recentis bajochos duos; cum triente, ideſt, quarta bajochi parte. Unde colliges denarium Romanum octo ſolidis Francicis & novem admodum bajochis reſpondere. Libram Turonicam, ſive nummum Francicum, qui aſſes ſeu ſolidos Gallicos viginti complectitur, & ſeſtertiis minoribus decem æquiparatur, valere bajochos tres, & viginti circiter. Decem libras, ſeu Francicos, reſpondere ſcutatis nummis Italicis duobus, & bajochis admodum triginta. Viginti Francicos æſtimari ſcutatis Ro-

manis quatuor, & bajochis ſexaginta: Quadraginta Francicos nummos reſpondere ſcutatis Italicis novem, & bajochis viginti: Huic ſummæ reſpondebant ſeſtertii minores quadringenti, ſive denarii centum; quod vulgo vocabant, *milla aris*: eratque illud idem, Minæ, ſeu mnæ antiquæ, pretium.

Jam, mille ſeſtertii minores, ideſt ſeſtertium majus, reſpondent centum libris Turonicis, ſeu nummis Francicis: Romanis vero ſcutatis tribus circiter & viginti. Libræ Francicæ quingentæ, nempe quinque ſeſtertia, ſcutatis Rom. centum quindecim. Sexcentæ, ideſt, ſex ſeſtertia; ſcutatis 138. Septingentæ, ſive ſeptem ſeſtertia, ſcutatis 157. cum bajochis circiter quinquaginta. Mille nummi Francici, ſeu decem ſeſtertia, ducentis triginta ſcutatis Italicis. Decies mille libræ Gallicæ, ſive centum ſeſtertia (quod etiam appellabant ſeſtertium ſemel) ſcutatis Rom. recentibus, bis mille & trecentis. Vicies mille nummi Gallici, ſive ſeſtertium bis, ſcutatis Romanis quater mille ſexcentis. Centena millia nummorum Francicorum, hoc eſt mille ſeſtertia, ſive ſeſtertium decies, quod olim una vocula, *Decies* appellabant, valent ſcutatorum Roman. viginti duo millia, & quingentos. Francicorum trecenta millia, quod Romani veteres dicebant *tricies*, ſubaudiendo, centena millia minorum ſeſtertiorum, efficiunt ſcutatorum Roman. circiter ſexaginta novem millia. Decies centena millia Francicorum, ſive millio, ut vulgo loquuntur, quod Romani vocabant *centies*, efficiunt ſcutatorum Italic. circiter ducenta viginti quinque millia. Decem vero milliones, ut dicitur, quod priſcis Romanis erat *millies*, valent Italicorum ſcutatorum fere vicies centena millia, cum ducentis quinquaginta millibus. Ex iſtis numeris facilis erit de ceteris conjectura, augendo ſummam vel minuendo, pro rata portione.

Addo: Argenti libram veterem Romanam de-

na-

narios 48. complexam esse, & respondere libris Turonicis sive nummis Francicis 33. cum solidis 12. auri vero Romanam veterem libram, libris Turonicis 576. æstimari. Talentum Ægyptium argenti libras complectebatur 80. Gallicas vero bis mille sexcentas octoginta octo. Atticum, libras Francicas bis mille quadringentas: mnas 60. Erat alterum talentum atticum paulo majori pretii, continens mnas octoginta.

Metuo ne typographorum festinatio, dum studiosæ juventuti commodare properant, alicubi lapsa sit. Eos a candidis lectoribus, quorum labori levando libellus iste servit, excusatum iri confido. Vir eruditus, dum legeret Epigramma LXI. Lib. IX. voces istas *Astra in diversa*, illas sic explicandas censuit, quasi cœlum duplex innueret Martialis, unum Jovis, alterum Cæsaris. Nam Domitianum Jovi: ejus domum cœlo comparare Vates solet. Nolui te ingeniosa explanatione defraudare.

Alius, miliarium latinis usitatius fuisse quam milliare observavit, cui assentior, ea vox semel iterumque legitur lib. I. Epig. XIII.

Idem Epigrammati XIV. ejusdem libri multum lucis afferri posse credidit e Plinii Epistola decima sexta libri III. & eruditis in eam notis Catanei, qui opinor monet Arriam illam, de qua scribit Tacitus libro XVI. Annal. ejus Artiæ, quam Martialis celebrat, filiam extitisse. Epigrammatis XVIII. ejusdem libri I. sententia hæc videtur esse, Agricolam causidico esse præferendum.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per attestato del Segretario nostro nel Libro Stampato in Roma nell'anno 1703. intitolato: *M. Val. Martialis Epigrammata &c. addidit annotationes, & interpretationem Josephus Juvencius e Soc. Jesu &c.* non esservi cos' alcuna contro Principi, e buoni costumi, concedemo licenza a Niccolò Pezzana, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 14. Novembre 1715.

(*Marin Zorzi Rifor.*

(*Carlo Ruzini Kav. Proc. Rifor.*

Agostino Gadaldini Seg.

M. VAL.

M. VAL.
MARTIALIS.

LIBER SINGULARIS.
DE SPECTACULIS,
SIVE
AMPHITEATRUM CÆSARIS.

LIBER SINGULARIS. Ita vocatur hic liber, quia de uno quodam argumento ſcriptus, & a ceteris libris ſejunctus eſt. Inſcribitur etiam, *De Spectaculis*, quia ſpectacula ſunt præcipuum illius argumentum, nempe venationes, ſingularia gladiatorum certamina, naumachiæ, &c. Denique ab aliis inſcribitur, *Amphiteatrum Cæſaris*, quia deſcribit ludos, & ſpectacula edita in amphiteatro, quod Titus Imperator, Domitiani frater, extruxit, vel potius, a Veſpaſiano patre jam ſtructum, dedicavit.

M. VAL. MARTIALIS LIBER SINGULARIS. DE SPECTACULIS, SIVE AMPHITHEATRUM CÆSARIS.

EPIGRAMMA I.

De Titi Cæsaris Amphiteatro.

1. BArbara Pyramidũ ſileat miracula Memphis;
2. Aſſiduus jactet nec Babylona labor;
3. Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
4. Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens;
5. Aere nec vacuo pendentia Mauſolea
6. Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.
7. Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro.
8. Unum præ cunctis fama loquatur opus.

Verſ. 1. *Barbara miracula* ab Ægyptiis, barbaris Populis, maxime ſi cum Romanis conferantur, ædificata. Alii omnes populi præter Græcos, barbari, ab ipſis præſertim Græcis appellabantur. *Barbara* jungi poteſt cum voce *Memphis*. Eadem eſt ſententia. Ægyptus deſinat jactare ſuas illas admirabiles pyramides, quæ inter mundi miracula recenſentur.

Memphis. Urbs Ægypti vetus, & regia ad Nilum. Sunt qui credant hodie dici *il Cairo*.

Pyramidum. Prope Memphim erant pyramides, nempe ingentes e ſaxo moles quadratæ, ab latiſſima baſi paulatim in acumen aſſurgentes, inſtar ignis, qui cum in aerem tollitur, deſinit in acumen: unde factum nomen pyramidis videlicet a voce græca πῦρ, πυρὸς. Illæ ab artificibus 360000. dicuntur ædificatæ: erant altæ pedes 600. totidem latæ in ſingula baſis latera. Conditæ ſunt a Pha-

Pharaonibus, vel ut in iis tumularentur, vel ad opes oſtentandas, &c.

Miracula. Septem vulgo mundi miracula numerantur. Ægypti pyramides; Epheſinæ Dianæ templum, Regis Mauſoli ſepulchrum; ſtatua ſolis Rhodia, ſeu Coloſſus Rhodius: Jovis Olympici ſimulacrum ex auro, & ebore factum a Phidia; Muri Babylonis; & Cyri Perſarum Regis domus.

2. *Aſſiduas*. Non laudetur Babylon propter egregia opera labore aſſiduo, & improbo ſtructa: v. g. muros lateritios, hortos penſiles, &c. poſſet hoc videri dictum per hypallagen, pro, ne Babylon jactet laborem aſſiduum. Legunt aliqui non male, *Aſſyrius*. Turnebus exiſtimat hæc verba. *Aſſiduus labor*, non eſſe intelligenda de muris, hortis, &c. Babylonis aſſiduo, ideſt, diuturno labore, ſtructis, ut explicui, ſed de aſſiduo laudandi labore, hoc ſenſu, ne homines aſſidue laborent in laudanda Babylone.

Babylonæ. Babylon urbs primaria fuit Chaldææ; a Belo condita, a Semiramide cincta muris; quorum altitudo fuit pedum 200. latitudo 500. ambitus ſtadiorum 380. ſtadium autem unum pedes 600. habet.

3. Nec in Dianæ Epheſiæ templo laudentur ſtatuæ molli ac delicato artificio factæ, columnæ præſtantes, & alia ejuſdem templi ornamenta.

Triviæ. Diana ſic dicta eſt, quia in triviis colebatur; vel quia tribus in locis quaſi ingreditur, in cœlo, terris, & inferis; eadem quippe Luna, Diana, & Proſerpina erat.

Templo. Templum Dianæ Epheſinæ ducentis viginti annis factum eſt a tota Aſia: longum fuit pedes 315. latum 220. columnæ 127. a ſingulis regibus factæ, &c. *Plin. lib. 36. cap. 14.*

Honoris. Legunt aliqui *Jones*, quia Epheſus eſt in Jonia minori, Aſiæ regione, & cenſum hunc eſſe volunt: nec molles Jones laudentur ob Dianæ ſuæ templum. Molles, vocantur, quia deliciis, & luxu diſſluebant, unde laſcivæ ſaltationes ab Horatio vocantur motus Jonici. Si retineas, *Honores*, explicabis, ut dixi, de ornamentis templi, ejuſque delicata, & Jonica ſubſtructione.

4. Et ara cornibus frequens, ſive, frequentibus, ideſt, plurimis cornibus exſtructa, taceat Deum a quo eſt condita: ne ſe Dei manu ædificatam venditet.

Deum. Apollinem Delium. Fabulis proditum eſt Dianam aliquando plurimas capras venatu interfeciſſe: illarum detraxiſſe cornua, eaque ad frattem Apollinem, ut monumenta victoriæ, attuliſſe: qui ex iſtis cornibus aram ſingulari artificio conſtruxerit. Ita Callimachus in hymno Apollinis. Quidam hoc interpretantur de ara Jovis Hammonis in Ægypto, in qua ſimulacrum Dei cornutum erat, arietina ſpecie ac forma, & ara ipſis cornibus arietinis, cælatis, ornata.

5. *Mauſolea*. Tumulum Mau-

Mauſoli, Regis Cariæ, ab ejus conjuge Artemiſia ipſi poſitum, & columnis ita ſuſfultum, ut in aere vacuo pendere videretur. Horti celebres illi Babylonii, de quibus dictum v 2. eamdem ob cauſam penſiles appellati ſunt, quia tenuibus erant columnis impoſiti. *Cares*. Populi Cariæ, in Aſia minori: Caria nunc vocatur *Adinelli*.

7. *Omnis labor*. Opera iſta omnia diuturno, & egregio labore perfecta.

Cæſareo. Quod Titus Cæſar, Domitiani frater, extruxit, ſive potius, a Veſpaſiano patre cœptum, abſolvit ac dedicavit, & in cujus dedicatione ludos per dies pene centum exhibuit, quos magnam in partem hic deſcribit Martialis. Vide Lipſium, libro de Amphit. c.7. ubi docet in eo octoginta ſeptem hominum millia ſedere commode potuiſſe, imo centena millia: & alia quædam addit, unde facile intelligatur hoc amphitheatrum ceteris orbis miraculis facile anteponendum fuiſſe.

Amphitheatro. Ita dicebatur hic locus in oblongi circuli formam factus, cujus in medio erat ſpatium vacuum, circa quod ſpatium aſſurgebant lapideæ contignationes, in iiſq; ſedilia, e quibus ſpectabantur pugnæ gladiatorum, ferarum, &c.

II.

Roma ſibi reddita.

1. Hic, ubi ſidereus propius videt aſtra coloſſus,
2. Et creſcunt media pegmata celſa via;
3. Invidioſa feri radiabant atria Regis,
4. Unaque jam tota ſtabat in Urbe domus.
5. Hic, ubi conſpicui venerabilis amphitheatri
6. Erigitur moles, ſtagna Neronis erant.
7. Hic, ubi miramur velocia munera thermas,
8. Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager:
9. Claudia diffuſas ubi porticus explicat umbras,
10. Ultima pars aulæ deficientis erat.
11. Reddita Roma ſibi eſt; & ſunt, te præſide, Cæſar,
12. Deliciæ populi, quæ fuerant Domini.

Verſ. 1. 2. 3. In eo loco ubi jam videtur ſolis coloſſus ad cœlum uſque ſublatus, & radiis coronatus: ubi jam ſunt patentes viæ, in quibus pegmata ſponte ſua variis tabulatis augentur: in eo ſpatio cernebatur paulo ante domus Neronis, auro tota gemmiſq; collucens, quæ totam fere urbem occupabat.

Coloſſus Significat ea vox ſtatuam inuſitatæ magnitudinis: atque illam in primis

quæ

quæ ſolis effigie, Rhodi viſebatur in portu, alta pedes centum & quinque, ut ait Feſtus, ſive, ut Plinius, cubitos 70. quæque inter ſeptem mundi miracula numerabatur. De qua idem Plinius agit fuſe lib. 34. ex quo, & ejus noviſſimo ac eruditiſſimo interprete plura, ſi lubet, petes.

Nero ſtatuam ſuam poſuerat in veſtibulo palatii a ſe ædificati, altam coloſſi ritu, pedes 120. Veſpaſianus ablato illi ſtatuæ Neronis capite ſolis caput impoſuit, additis radiis ſeptem, quorum ſinguli longi erant pedes 23. Hinc vocatur ſidereus coloſſus, ideſt, radiatus, fulgens ſiderum in morem.

2. *Pegmata*. Erant machinæ quædam ligneæ inſtar turrium vel domorum factæ quæ cum unam oſtenderent contignationem, repente in alteram tertiamve ſurgebant, breviſſimo tempore: vel decreſcebant ac diſſolvebantur. Illis imponebantur gladiatores, apparebant flammæ innoxiæ, &c. Facta vox a verbo πήγνυμι, compingo, fabrico, ſtruo.

3. *Regis*. Ita Neronem invidioſe vocat: qui crudeliſſime imperium exercuerat. Is a Palatio uſque ad Eſquilias domum ædificaverat, quam auream appellavit. Hanc demoliti ſunt Veſpaſianus ac Titus, & in publica ædificia commutarunt.

5. *Venerabilis*. Quia dedicatum, ut ſuperiori Epigramm. diximus, amphitheatrum fuit a Tito: vel, expone *venerabilis*, auguſta, ingens.

7. *Velocia munera*. Quia celerrime fuerant extructæ. Erant autem thermæ loca quædam, ubi calidæ aquæ ſervabantur, ad ſudorem provocandum: de illis infra pluribus locis agitur. Θερμὸς, *calidus*, in balneis proprie lavabant; in iiſque frigidæ vel tepidæ aquæ erant: ſudabant in thermis, tamen thermæ pro balneis interdum uſurpantur.

8. Ubi nunc thermæ ſunt, ibi erant arva ingentia, quæ ad amœnitatem & proſpectum Nero incluſerat in ſua domo, tectis miſerorum civium dirutis, aut igne abſumptis.

9. Ubi nunc eſt porticus 1. olim ab Imperatore Claudio facta, & a Nerone fere diruta, jam per te reſtituta, & ornata pergulis, & arbuſculis umbram conciliantibus; ibi erat ultima pars domus Neronianæ. Nonnulli pro *Claudia porticus* legunt *Liviæ*. Sane Plin. l. 14. cap. 1. Liviæ porticum ſuo tempore ſuperſtitem fuiſſe teſtatur; vixit autem ſub Tito. Sunt qui eamdem eſſe Claudiam porticum, Liviamque velint.

11. *Sibi*. Quæ non ſua eſſe, ſed Neronis, antea tota videbatur.

Te præſide. Te imperatore.

12. *Deliciæ*. Ædificia ad publicam utilitatem & oblectationem inſtituta.

Domini. Neronis, quem, Dominum odioſe appellat, cum Titum vocet tantum præſidem.

Cæſar

III.

Cæsar patriæ pater.

1. Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, Cæsar,
2. Ex qua spectator non sit in Urbe tua?
3. Venit ab Orpheo cultor Rhodopejus Hæmo,
4. Venit & epoto Sarmata pastus equo.
5. Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
6. Et quem supremæ Tethyos unda ferit.
7. Festinavit Arabs, festinavere Sabæi,
8. Et Cilices nimbis hic maduere suis.
9. Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
10. Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
11. Vox diversa sonat: populorum est vox tamen una,
22. Cum verus PATRIÆ diceris esse PATER.

Vers. 1. *Sepositæ*. Semota, ab urbe distans.

3. *Orpheo*. Pro Orphejo, sive Orphico, Hæmus, ubi Orpheus habitavit.

Cultor Rhodopejus. Qui Rhodopen colunt, alant. Rhodope, & Hæmus sunt montes Thraciæ notissimi: is nunc vocatur *Balkan*, & *Monte Argentaro*; ille *Rulla*, aut *Valiza*.

4. *Sarmata*. Hodie, Russi, Tartari, Moscovitæ.

Epoto. Qui sitim sedat, potando equum, idest equinum lac, aut etiam sanguinem.

5. Populi ab ultima Ægypto, seu Africa, profecti, ubi Nilus nascitur: qui ejus fontes bibunt, quos deprehendere & assignare, difficillimum Geographis est.

6. Qui habitat littora oceani occidentalis, seu Atlantici, quem mundi esse terminum, & supremum finem putabant veteres: vel Britannici, circa Orcadas & Thulen.

Tethyos. Thetys, Dea maris præses, pro mari accipitur.

7. *Arabs*. Est Arabia pars Asiæ, inter Sinum Persicum, & mare Erythræum: *l'Arabia*.

Sabæi. Vicini sunt Arabibus, vel pars Arabiæ felicis; quorum urbs primaria, Saba, *Zibit*.

8. Et Cilices perfusi sunt pluvia odorata, & diluta croco, qui apud ipsos Cilices eximius colligitur in Coryco monte. Imbres odorati depluebant in amphitheatrum, & spectatores per tubos latentes.

Cilices. Populi Ciliciæ, in Asia minori, ad meridiem, e regione insulæ Rhodi *La Cilizie*, nunc pars ejus tractus qui a Turcis vocatur *la Caramanie*.

9. *In nodum tortis*. Cirratis, cincinnatis. Sicambri po-

populi Germaniæ, occupabant totum tractum a mari, ad Mænum fluvium.

10. *Aliter*. Quia natura crispi sunt Æthiopes ob calorem, qui magnus in Africa: Germani, artificio: est enim Germania frigidior. Tum Germani tortos in nodum capillos in colla fundebant; Afri breviores, & strictim crispatos gestabant.

11. *Diversa*. Sono: *Una* sensu, & significatione. Idem omnes dicunt suo quisque sermone.

IV.

Delatores urbe pulsi.

1. Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
2. Quæ semper miseras sollicitabat opes,
3. Tradita Getulis: nec cepit arena nocentes.
4. Et delator habet, quod dabat, exilium.
5. Exulat Ausonia profugus delator ab urbe:
6. Impensis vitam Principis annumeres.

Vers. 1. 2. Gravis paci, &c. Quæ media in pace domesticum quasi bellum gerebat; quæ insidiabatur semper miserorum civium opibus. Ut enim divites spoliarent, eos fictis criminibus accusabant.

3. Traditi sunt delatores Getulis, idest, Afris, seu magistris leonum, & bestiariis, ut eos ipsi suis leonibus laniandos objicerent. Duæ sunt aliæ lectiones hujus loci, sed ambæ non satis latinæ, & barbaræ, Lipsius legit *Traducta est titulis*, idest, cum titulis, & inscriptionibus aut appensis collo, aut per lictores gestatis, e quibus agnosceretur eorum crimen, traducti sunt per amphitheatrum, fuerunt ad ignominiam circumducti, & ostentati ad ludibrium. Est enim ea vis, & notio verbi *Traducere*. Legunt alii, *Traducta est Gyaris*, vel potius, Gyaras (ut sua legibus grammaticis constet reverentia) hoc est, trasportata in Gyaros, seu Gyaras, quæ sunt insulæ duæ desertæ, in mari Ægeo, in quas exules insigniter scelerati deportabantur.

Nec cepit, &c. Tantus fuit eorum numerus, ut cum arena non posset omnes capere, esset angustior illis continendis, ut feris objicerentur, quidam eorum pulsi sine in exilium, quo alios pellere consueverant. De voce *Arena*, vide Epig. 8.

4. *Delator*. Ita vocabantur calumniatores, qui falsis criminibus accusatos cives opulentos deferebant ad principem; a quo in exilium pellebantur, addictis fisco ipsorum bonis, & quarta parte in præmium data delatoribus, qui ideirco vocabantur etiam quadruplatores.

5. *Ausoniæ urbe*. Roma, Italia olim dicta est Ausonia,

nia, ab Rege quodam ſuo, Auſone.

6. Tu, o civis, quod vivis, hoc acceptum refer Cæſaris impenſis, & ſumptibus, i. beneficio, & curæ qui delatores expulit. In quibuſdam libris hoc diſtichum ſeparatim ſcribitur. & 5. Epigrammata conficit: melius cum ſuperioribus verſiculis jungitur.

V.

Leo victus, & cæſus a femina.

1. Belliger invictus quod Mars tibi ſævit in armis;
2. Non ſatis eſt Cæſar: ſævit & ipſa Venus.
3. Proſtratum vaſta Nemees in valle leonem,
4. Nobile & Herculeum fama canebat opus.
5. Priſca fides taceat: nam poſt tua munera, Cæſar,
6. Hæc jam feminea vidimus acta manu.

Verſ. 1. & 2. Non ſatis eſt, o Cæſar, quod Mars, bellator Deus, arma invicta tractet in amphitheatro in tuam gratiam, dum viri armati feras conficiunt: ipſa Venus, ipſæ feminæ, natura imbelles, generoſæ, fortesque ſunt.

3. *Nemees*. Nemea, ſeu Nemee, oppidum Peloponneſi, Cleonis proximum: ubi ſylva, & vallis Nemæa, in qua Hercules leonem interfecit, vocatum idcirco Nemeæum, & Cleonæum.

5. Sileant antiquæ hiſtoriæ, & fabulæ, quibus fidem adjungere ſoliti ſumus.

Tua munera. Spectacula a te edita.

VI.

Ficti Laureoli vorum ſupplicium.

1. Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
2. Aſſiduam nimio pectore pavit avem.
3. Nuda Caledonio ſic viſcera præbuit urſo
4. Non falſa pendens in cruce Laureolus.
5. Vivebant laceri membris ſtillantibus artus,
6. Inque omni nuſquam corpore corpus erat.
7. Denique ſupplicium dederat necis ille paternæ,
8. Vel domini jugulum foderat enſe nocens,
9. Templa vel arcano demens ſpoliaverat auro,
10. Subdiderat ſævas vel tibi Roma faces.
11. Vicerat antiquæ ſceleratus crimina famæ,
12. In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

Verſ. 1.

Vers. 1. *Qualiter*. Qui ob aliquod ſcelus necandi producebantur in amphitheatrum, illi, quo eorum pœna plus afferret ſpectatoribus voluptatis, cogebantur ſuſtinere perſonam alicujus fabuloſæ hiſtoriæ, v. gr. Herculis deflagrantis, Orphei a Mænadibus diſcerpi, &c. Reus aliquis, cum hæc Martialis ſcriberet, in crucem actus eſt in amphitheatro, & objectus urſo, gerebat ille nomen, perſonamque ſuſtinebat Laureoli cujuſdam mimi & actoris, qui in veteri Poetæ Nævii comœdia, cruci affixus fuerat, objectuſque ficto urſo, ac tragica, i. ficta, & ſcenica morte cæſus: hinc jocandi occaſionem arripit Martialis.

Rupe. Caucaſo monte Scythiæ.

Promethæus. Japeti filius, adhibita, inquit Servius, ad ſolis rotam facula ignem furatus eſt, quo hominem a ſe factum e luto, animavit, Iratus Jupiter eum in Caucaſo religari per Mercurium juſſit, & aquilam ſeu vulturem appoſuit, qui ejus cor exederet.

2. *Aſſiduam*. Numquam ceſſantem die ac nocte Promethei jecur depaſcere.

Nimio. Fœcundo in pœnas & renaſcente.

3. *Caledonio*. Caledoniæ pars eſt Scotiæ: ibi Caledonia ſylva, in qua urſi erant immanes.

4. *Falſa*. Qualis erat illa, in qua hiſtrio Laureolus pependerat, in Nævii comœdia.

Laureolus. Sicarius iſte, cui nomen Laureoli hiſtrionis datum.

7. *Denique, &c.* Aut patrem necaverat, aut dominum ille Laureolus.

9. *Arcano*. Sacro, recondito. Vaſa enim Sacra ex auro & argento, in adytis ac templorum ſecretiori & tutiori parte cuſtodiuntur. Vel, aurum illud ſignificatur, quod a civibus, cuſtodiæ ac ſecuritatis cauſa, in templis deponebatur.

11. *Vicerat, &c.* Illum certe oportuit admiſiſſe majora ſcelera, quam quæ in priſcis hiſtoriis narrantur; ſiquidem veram pœnam & necem pertulit: quæ in hiſtrione Laureolo ficta & ad ſeveritatis ſpecimen adumbrata tantum fuerat: graviſſima pœna, quam excogitare tragœdia fabuloſa potuerat, illi eſt vere impoſita, ergo debuit eſſe valde ſceleratus.

12. *Fabula*. Sæpe pro tragœdia uſurpatur ea vox, aut pro comœdia.

VII.

Dædalus fictus ab urſo laceratus.

1. Dædale Lucano cum ſic lacereris ab urſo,
2. Quam cuperes pennas nunc habuiſſe tuas!

Vers. 1. *Dædale*. Damnatus quidam ad beſtias nomen, & perſonam Dædali coactus eſt induere, tum ex ali-

aliquo pegmate (de pegmatis vide Epig. 2.) excussus, ut Dædalum e labyrintho evolantem exhiberet, decidit, & ab urso est laceratus. Lucania est pars Italiæ inferioris, ad meridiem prope Calabriam, ubi ursi maiores aliis visebantur, & ferociores.

VIII.

Rhinocerotis pugna cum tauro.

3. Præstitit exhibitus tota tibi, Cæsar, arena;
4. Quæ non promisit, prælia rhinoceros.
5. O quam terribiles exarsit pronus in iras!
6. Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Vers. 3. Rhinoceros in amphitheatrum promotus, tandem in pugnam exarsit, ad quam vix adduci posse sperabatur.

Arena. Locus vacuus, & pateus, qui ædificiis amphitheatri cingebatur, dicebatur arena, quia erat arena stratus, & consparsus; tum ut certantes gladiatores absque offensione caderent, tum ut humus arena variata, & mutata, renovari facile posset, cum erat inquinata sanguine. Dicebatur etiam Cavea, quia depressior erat.

4. *Quæ non promisit.* Ægre irritantur ad pugnam Rhinocerotes, & iste, licet stimulis, igne, flagellis, incitatus, manebat immotus, cum subito in objectum taurum insiluit, & eum ut levem pilam tota arena versavit.

Rhinoceros. Est animal ferum, paulo minori, quam elephas, mole, cum quo, pugnare solet. Huic unum cornu est in extrema nare, unde illi nomen: ῥ'ὶν, nasus κὰρας, cornu.

5. *Pronus.* Cornu submisso ad taurum jactandum.

6. *Quantus.* Quam terribilis, valens, *&c.*

Pila. Qui taurum, instar pilæ, jactaret. Interdum pilæ dicebantur simulacra hominum farta stramine, quæ vestibus rubris induebantur, & tauris objiciebantur, ut ad pugnam irritarentur. Eas imagines tauri jactabant cornibus ut pilas, unde appellabantur vulgo pilæ.

IX.

Crudelitas vel in feris punita.

1. Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
2. Ausus tam notas contemerare manus:
3. Sed dignas tanto persolvit crimine pœnas,
4. Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
5. Quos decet esse hominum tali sub Principe mores,
6. Qui jubet ingenium mitius esse feris?

Vers. 2.

Vers. 2. *Contemerare*. Offendere, violare manus, a quibus scilicet capiebat cibum, toties sibi blanditas, familiares & amicas.

4. *Verbera*. Magistri, amice sævientis, ut eum, *v. g.* irritaret ad pugnam, &c.

Tela tulit. Pertulit necem telis confixus Cæsaris jussu.

5. Quam humanos, & mansuetos esse homines sub illo Principe decet, qui etiam feras jubet mansuetas esse, & punit illas quod nimium feræ sint!

X.

Ursus viſco implicatus.

1. Præceps sanguinea dum se rotat ursus arena,
2. Implicitam viſco perdidit ille fugam.
3. Splendida jam recto cessent venabula ferro.
4. Nec volet excussa lancea torta manu.
5. Deprendat vacuo venator in aere prædam,
6. Si captare feras aucupis arte placet.

Vers. 1. *Præceps*. Demisso capite: dum bestiarium persequentem trepidus, ac citus fugit.

Sanguinea. In qua multæ aliæ feræ cæsæ fuerant, & ipse jam aliquot forte vulnera acceperat.

Se rotat. In orbem agit, volvitque, Urso invalidum est caput, itaque cum urgetur, illud anterioribus pedibus obtegit, & in orbem volutus plagas declinat. *Plin. l.* 8. *c* 35.

2. *Perdidit fugam*. Amisit fugiendi facultatem: coactus est sistere, implicitus viſco.

3. Nihil jam opus est ad venationem venabulis, quibus feræ cominus feriuntur; nec lanceis, quibus eminus: siquidem viſco jam possunt capi: aucupium occupavit locum venationis.

Recto. Tegere solebat ferrum venabuli, ac involvere, vagina, coryto, cum nullus ejus erat usus, post venationem: ne rubiginem contraheret, si apertum ac rudum esset. Legitur etiam *terso*, 1. polito.

5. 6. Quid supereſt nisi ut feræ quoque in aere vacuo volitantes a venatoribus deprehendantur, & capiantur, ut aves: quandoque illæ, instar avium, capiuntur viſco, & aucupio? Deprehendi proprie dicuntur a venatoribus feræ; aves, captari.

XI.

De sue, qua ex vulnere peperit.

1. Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ
2. Fixisset gravidam cum levis hasta suem,
3. Exiluit partus miseræ de vulnere matris.

4. O Lucina ferox, hoc peperiſſe fuit?
5. Pluribus illa mori voluiſſet ſaucia telis,
6. Omnibus ut natis triſte pateret iter.
7. Quis neget eſſe ſatum materno funere Bacchum?
8. Sic genitum numen credite: nata fera eſt.

Verſ. 1. Incruenta, & varia, cum feris pugna & venatione, quæ in amphitheatro Cæſareo exercetur, Diana eſt Dea venationis præſes.

4. O crudelis Lucina, itáne levas onere matrem, dum eamdem interficis? Hoccine eſt partus præſidem, & adjutricem Lucinam habere? Lucina Dea partubus præerat.

6. Triſte iter. Nempe vulneris. Unus tantus fœtus per vulnus editus erat, reliqui cum matre mortui.

7. *Satum.* Natum, editum. *Materno.* Semele fuit Bacchi mater: hæc fulmine perculſa cum fuiſſet, Bacchus vivus extractus eſt ex ejus alvo.

8. Si fera per maternum funus & vulnus natus eſt, eodem modo naſci Deus potuit.

XII.

De eadem ſue.

1. Icta gravi telo, confoſſaque vulnere, mater,
2. Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
3. O quam certa fuit librato dextera ferro!
4. Hanc ego Lucinæ credo fuiſſe manum.
5. Experta eſt numen moriens utriuſque Dianæ;
6. Quaque ſoluta parens, quaq; perempta fera eſt.

Verſ. 5. *Utriuſque.* Et venatricis, quæ feras perimit; & Lucinæ quæ partubus præeſt. Eadem enim dea Diana, & Lucina vocabatur.

6. Solita. Partu feliciter levata.

XIII.

De eadem.

1. Sus fera jam gravior maturi pignora ventris
2. Emiſit fœtum, vulnere facta parens.
3. Nec jacuit partus, ſed matre cadente cucurrit,
4. O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!

1. *Gravior, &c.* Jam partui proxima, gravida filii; alumni, *&c.* & hoc loco per metaphoram, catuli vocantur pignora, quia ſunt indicia, præmia, & vincula mutuæ conjugũ fidei, & amoris.

3. *Cadente.* Vulnerata, & moriente.

4. *Ingenium.* Opportunitas: ratio & via efficiendi aliquid.

Cat-

XIV.

Carpophorum venatorem Meleagro, Herculi anteponit.

1. Summa tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ,
2. Quantula Carpophori portio, fusus aper!
3. Ille & præcipiti venabula condidit ursо,
4. Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
5. Stravit & ignota spectandum mole leonem,
6. Herculeas potuit qui decuisse manus:
7. Et volucrem longo porrexit vulnere pardum:
8. Præmia cum laude ferret, adhuc poterat.

Vers. 1. 2. Aper a te, o Meleagre, cæsus, qui summam tibi gloriam attulit, quantula, quam exigua est portio gloriæ illius, quam conficiendis in amphitheatro feris Carpophorus est adeptus!

Meleagre. Meleager sive Meleagrus, Oenei Regis Ætolorum filius, immissum ab irata Diana in agros Ætoliæ prope urbem Calydonem, aprum, interemit. *Ovid. 8. Met.*

Carpophori. Erat adolescens venandi peritissimus, Imperatori charus: vicenas in amphitheatro feras confecit, eodem die, ac uno spectaculo.

3. 4. Ille in pectore ursi in ipsum irruentis confixit suum telum venaticum, qui ursus primus erat, i. maximus, sævissimus, in Arctoi, idest, septentrionalis poli plaga.

Arctoi. Arctos, græca vox, ursam significat. Est autem ursa, cum de astris agitur, signum septentrionale, prope polum. Ait igitur vates illum ursum qui e Carpophoro confectus est, fuisse similem majori, & primæ Ursæ: duo enim signa cœlestia: idem nomen habent, alterum Ursa Major. & quasi prima dicitur; alterum, Minor, & secundæ magnitudinis.

Arx poli dicitur, quia, ut ait Virgilius de polo septentrion. *Hic vertex nobis semper sublimis, &c.* Scaliger pro *arce poli* legit *axe poli*, linea quippe a polo ad polum ducta, vocatur Axis: itaque per hanc vocem totus Polus septentrionalis designabitur.

5. *Ignota.* Inaudita, mirabili.

6. Aut dignus erat ob immanem suam molem, quem Hercules ipse, monstrorum domitor, perimeret.

7. *Porrexit.* Extendit in arena interfectum.

8. Cum laudem meritam & plausum spectatorum, pro præmio reportaret, *adhuc poterat*, adhuc validus & indefessus erat, perinde ac si pugnam ordiretur.

Posse, interdum absolute ponitur pro integris viribus esse, valere. Virg. XI. Æneid. *Hactenus, Acca soror, potui.*

Tau-

XV.

Taurus effigiem Domitiani secum attollens in Cœlum.

1. Raptus abit media quod ad æthera taurus arena:
2. Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
3. Vexerat Europen fraterna per æquora taurus;
4. At nunc Alcidem taurus in astra tulit.
5. Cæsaris, atq; Jovis confer nunc, Stella, juvencos
6. Par onus ut tulerint, altius iste tulit.

Vers. 1. *Raptus.* Ex aliquo pegmate, & machina prosiliens. Describitur spectaculum quoddam, in quo visus fuerat taurus in aerem subito abreptus, & impositam dorso Domitiani effigiem, habitu Herculis effictam, in cœlum secum tollens. Estque sententia hæc: quod spectatus est taurus in cœlum veluti abreptus a media arena, non tam id ars machinis suis effecit, quam pietas ipsius Jovis filio suo Herculi faventis, & machinas adjuvantis: imo latentis forte in isto tauro ligneo, & Domitianum attollentis in cœlum, ut olim in tauro latens Europem rapuit.

3. *Fraterna per æquora.* Jupiter in taurum mutatus per mare (quod est regnum sui fratris Neptuni) Europen Agenoris Phœnicum regis filiam raptam transvexerat in Cretam.

Alciden. Hercules, ita vocatus est, vel a robore, ἀλκὴ robur, vel a patre suo Alceo.

6. O Stella (est nomen hominis, qui summus Martialis amicus erat, ad quem multa extant epigrammata) compara istos duos tauros, hunc qui Domitianum, illum qui Europen vexit, certe antepones taurum Cæsaris. Sunt qui legant hoc modo istum versum: *Cæsaris atque Jovis confer nunc schema: Juvenci par onus ut tulerint, &c.* Quam lectionem etsi non valde probo, explicabo tamen: compara duplicem hanc figuram, & repræsentationem, id enim sonat ea vox græca, σχῆμα, primam, in qua Taurus Jovem repræsentans, sive Jupiter, in taurum mutatus, Europen portat: alteram, in qua taurus ligneus cum imposita Herculis effigie Cæsarem adumbrante, prosilit e machina: licet illi juvenci seu tauri idem, & æquale onus tulissent quod tamen aliter se habet, quia unus puellam tulit, alter portat Herculem sive Cæsarem) tamen hic tantus qui vehit Cæsarem sub vultu Herculis, suum onus tulit altius, nempe in cœlum, atque adeo tauro Jovi est præferendus, qui Europen tantum usque in littus, in summa aqua, vexit.

6. *Ut.* Quamvis.

Ele-

XVI.

Elephas ad pedes Imperatoris ſupplex advolutus.

1. Quod pius, & ſupplex elephas te, Cæſar, adorat:
2. Is modo qui tauro tam metuendus erat.
3. Non facit hoc juſſus: nulloque docente magiſtro,
4. Crede mihi, numen ſentit & ille tuum.

Verſ. 3. *Juſſus*. Per artem ac diſciplinã inſtitutus, coactus: nullo magiſtro docente, ſua ſponte, ſentit & agnoſcit te Deum eſſe: Domitianus Deum ſe vocari juſſit.

XVII.

Leo a Tigride laceratus.

1. Lambere ſecuri dextram conſueta magiſtri
2. Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo,
3. Sæva ferum rapido laceravit dente leonem:
4. Res nova, non ullis cognita temporibus.
5. Auſa eſt tale nihil, ſilvis dum vixit in altis;
6. Poſtquam inter nos eſt, plus feritatis habet.

Verſ. 2. *Gloria rara*. Fera inſignis ab Hyrcaniæ jugis, ſeu montibus Romam uſque advecta. Tigres vix a venatoribus capiuntur ob pernicitatem.

Hyrcano. Eſt Hyrcania regio Aſiæ, tigribus frequens. Pars, ut quidam volunt Perſidis, ad mare Caſpium, quod etiam Hyrcanum vocatur.

4. *Rex nova*. Quia leo ceteris feris præſtare dicitur robore & audacia: novum igitur eſt ac inſolens, eum a tigride ſuperatum, vel, *Rex nova*, quia hæc tigris erat manſueta & circur.

XVIII.

Taurus ab Elephante interfectus.

1. Qui modo per totam, flammis ſtimulatus, arenam
2. Sustulerat raptas taurus in aſtra pilas:
3. Occubuit tandem cornuto ardore petitus.
4. Dum facilem tolli ſic elephanta putat.

Vers. 1. *Stimulatus*. Ad pugnam irritatus & provocatus.

2. *Pilas*. Erant illæ pilæ simulacra quædam ad humanam effigiem facta, & fœno farta, vel stramine, quæ feris dilaceranda objiciebantur. *Vide supra Ep.* 8. *& lib.* 10. *Ep.* 75.

3. *Cornuto ardore*. Cornibus infestis & ardentibus ab irato & ardente elephante petitus, & percussus ejus cornu, i. dente, Elephantidentes multi cornua vocitant, ut Oppianus, Varro, Ælianus, &c. Legit Ramirefius ex aliquot vetustis codicibus, *cornuto ardore potitus*, id est, toto cornu cornuum ardentium adortus elephantem tollere, & ipsa sua violentia debilitatus, ac fracta cervice exanimatus. Quo in loco vox *potitus*, est significationis passivæ, sonatque, victus, domitus. Sic Plautus dixit, *hostium potitus*, pro captus, oppressus ab hostibus. Aliqui simplicius, licet paulo durius legunt, *Cornuto abs ore petitus*: nempe ab ore Elephantis, in quo dentes prominent instar cornuum.

4. *Sic*. Ut pilas. Nonnulli huc referunt aliquos versus mutilos, qui ad calcem hujus libri leguntur epigr. 29. *Cedere majori, &c.* & hujus epigrammatis clausulam esse volunt.

XIX.

De duobus gladiatoribus a Cæsare populo concessis.

1. Dum peteret pars hæc Myrinũ, pars illa Triumphũ:
2. Promisit pariter Cæsar utraque manu.
3. Non potuit melius litem finire jocosam.
4. O dulce invicti Principis ingenium!

Vers. 1. *Peteret*. Cum una pars populi spectantis ludos, postularet Myrinum, altera Triumphum, nempe ut alteruter in arena decertaret, cum aliquo alio gladiatore puta victore, qui jam alios multos confeciſſet. Tales vocabantur supposititii, ὑποσίφηλοι, nempe qui cum palmariis & victoribus gladiatoribus manus conserebant. Erant fortasse illi Myrinus & Triumphus ex eorum numero, quos Imperatores alere solebant domi suæ proprios ac peculiares gladiatores ad suas & populi delicias, ordinariis & publicis gladiatoribus valentiores & illustriores. Dicebantur illi postulatitii & fiscales. Pars una populi hunc petebat: pars altera, illum: utrumque Cæsar liberaliter promisit, utrumq; dedit, ambos inter se committens.

2. *Utraque manu*. Hic gestus ab eo fit, qui large aliquid & liberaliter annuit.

Mos est militaris, (inquit Isidorus Originum lib. 1. c. 25. a P. Scriverio laudatus) *ut quoties consentiat exercitus*

tus quia voce non poteſt, manu promittat. Itaq; mos e militia in arenã translatus eſt.

3. *Litem*. Populi contentionem, & ſtudia in duas partes ſciſſa: jocoſam dicit quia in re ludicra, ludoque gladiatorio verſabatur ea contentio.

4. *Dulce invicti*. In antitheſi eſt acumen: hoſtibus invictus & inexorabilis eſt: civibus facilis & exorabilis.

X X.

Orpheus in Amphitheatro exhibitus;

1. Quidquid in Orpheo Rhodope ſpectaſſe theatro
2. Dicitur: exhibuit, Cæſar, arena tibi.
3. Repſerunt ſcopuli, mirandaque ſilva cucurrit,
4. Quale fuiſſe nemus creditur Heſperidum,
5. Ad fuit immiſtum pecudum genus omne ferarum,
6. Et ſupra vatem multa pependit avis.
7. Ipſe ſed ingrato jacuit laceratus ab urſo.
8. Hæc tamen ut res eſt facta, ita ficta alia.

Verſ. 1. 2. In arena amphitheatri exhibitum tibi eſt o Cæſar, quidquid olim factum & ſpectatum fuiſſe dicitur in Rhodope, Thraciæ monte, qui tanquam theatrum Orphei fuit, ubi canebat, audientibus & ſaltantibus ſaxis & ſylvis. De Rhodope vide Epig. 3. hujus lib.

3. *Repſerunt*. Dicuntur ſcopuli ab Orpheo canente tracti: hoc autem in arena fiebat machinis quibuſdam ligneis, montium ſpeciem referentibus, quæ rotis ſubjectis & latentibus ſidiculis producebantur, & movebantur.

4. *Heſperidum*. Fuerunt Heſperides Atlantis filiæ, regis Mauritaniæ: coluerunt hortos a Poetis decantatos, ubi aurea mala, quæ draco ſervabat, &c.

5. *Pecudum ferarum*. Animalium ferorum & immanium. Vox *ferarum* eſt hic adjectiva. Libenter hic ſequar Jani Gruteri conjecturam legentis, *pecudum genus omne, ferarumque*. Pecudes ſunt animalia veluti domeſtica & manſuetiora, ut oves, tauri, canes; Feræ autem, immites & ſilveſtres belluæ, ut tigrides, apri, &c.

6. *Vatem*. Orpheum. Erat ille aliquis reus Orpheum repræſentans, ut Laureolum & Dædalum ſcelerati illi, de quibus mentio fit Epig. 6. & 7.

7. *Ingrato*. Qui beneficium Orphei canentis ſuaviſſime, compenſabat dira crudelitate & illata nece. De Orpheo lege Ovid. lib. Metam. 10.

8. *Hæc*. Supplicium Orphei ficti.

Alia Priſci Orphei hiſtoria fabula eſt: Is enim quod homines a ferino victu, moribuſque deterruiſſet, dictus eſt & fictus tigres lenire, ſylvas movere, &c.

XXI.

Rhinocerotis cum Urſo pugna.

1. Solicitant pavidi dum rhinocerota magiſtri,
2. Seque diu magnæ colligit ira feræ,
3. Deſperabantur promiſſi prælia Martis:
4. Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
5. Namque gravem gemino cornu ſic extulit urſum,
6. Jactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

Verſ. 1. *Solicitant*. Ad pugnam provocant. Supra Ep. 8. & 18.

2. *Colligit*. Dum ſe longo tempore ad iram & pugnam excitat: dum in ira concipienda moratur diutius.

3. *Promiſſi P. M.* Pugna Rhinocerotis cum Urſo, promiſſa vel a munerario, ideſt, eo qui ludos edebat, vel ab Imperatore.

4. *Is cognitus*. Ille furor qui ante fuerat cognitus, cum idem Rhinoceros taurum jactavit & eliſit. Vide epigram. 7. ubi quid eſſet Rhinoceros diximus.

5. *Gemino*. Duplex habet cornu Rhinoceros, ut aliqui affirmant, alterum majus in extrema nate; alterum minus, modico inter utrumque intervallo. Ita Pauſanias lib. 9. illud minus cornu aliqui auctores ponunt inter ſcapulas Rhinocerotis.

Urſum. Legunt aliqui Urum: eſt Urus bos ſilveſtris: voces illas (*gemine cornu*) ad urum nonnulli referunt, non ad Rhinocerotem: extulit ille urum gravem & metuendum cornu gemino, ac ſane Uris magna cornua & pereampla, & Rhinoceros ob unum duntaxat cornu fere celebratur.

6. *Pilas*. Vide Epig. 8.

XXII.

Laus Carpophori.

1. Dorica quam certo venabula dirigit ictu
2. Fortis adhuc teneri dextra Carpophori!
3. Ille tullit geminos facili cervice juvencos:
4. Illi ceſſit atrox bubalus atque biſon.
5. Hunc leo cum fugeret, præceps in tela cucurrit,
6. I nunc, & lentas corripe, turba, moras.

Verſ. 1. *Dorica*. Græca. Dores enim populi fuerunt Græciæ, in Achaja, inter Phocidem & Epirum. A Græ-

Græcis autem feruntur inventa venabula. Adde quod in Doride eſt mons Pindus, in quo arbores eximii ad fabricanda haſtilia. In aliis codicibus legitur: *Norica*. Eſt Noricum pars Germaniæ complectens Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, Bavariæ partem, &c. in eo tractu ferrum optimum eruebatur ad enſes, & venabulorum mucrones conficiendos.

2. *Teneri*. Juvenis.

3. *Tulit*. Portavit, nullo labore, impoſitos capiti ſuo & humeris duos tauros a ſe interfectos. Nonnulli explicant illam vocem de ipſis tauris, qui irruerint.

Facili cervice, id eſt, habuerint cervicem mobilem & facile verſatilem, atque adeo facilius ictum venabuli potuerint declinare: vocemque, *tulit*, exponunt, ſuſtulit, interemit. Exponit hoc Petrus Scriverius de venatoris ipſius cervice, qui tauros in ſe irruentes inflexa cervice, & obliqua exceperit.

4. *Bubalus*. Plinius & Solinus ajunt iſtud animal e cervino eſſe genere: alii ab Uro non diſtinguunt, ſive ſylveſtri bove.

Biſon. Animal ſylveſtre, cujus a media fronte inter aures unum cornu exiſtit, ramis hinc inde, palmarum in morem, diffuſis.

5. *In tela*. Aliorum venatorum; quaſi minus timeret ab aliis perimi, quam occurrere Carpophoro.

6. *I nunc*. Solebat turba, i. populus, ſæpe queri quod beſtiæ tardius pugnarent, quod beſtiarii morarentur: nihil habes quod jam conqueraris, inquit Martialis: feras omnes ubi primum Carpophorus aſpicit, fugat, conficitque.

XXIII.

Naamachia.

1. Si quis ades longis ſerus ſpectator ab oris,
2. Cui lux prima ſacri muneris iſta fuit:
3. Ne te decipiat ratibus navalis Ænyo,
4. Et par unda fretis: hic modo terra fuit.
5. Non credis? ſpectes, dum laxent æquora Martem,
6. Parva mora eſt, dices: hic modo pontus erat.

Verſ. 1. 2. O tu quicumque ſerius ad ludos ſpectandos veniſti ab regione diſſita: cui dies iſte, quo datur Naumachia, eſt primus dies muneris ſacri, ſeu initium ſpectaculorum: qui ab hac prima die incipis intereſſe muneribus & ſpectaculis, cum aliis diebus, quando venationes editæ ſunt, & alia id genus, nondum adveniſſes:

2. *Sacri*. Ludi vocabantur ſacri, quia, venationes Dianæ, gladiatoria munera Sa-

rino & Marti, Naumachiæ Neptuno, ſacræ erant ac dedicatæ: vel quia dabantur ab Imperatore, cui adulatur hac voce.

3. 4. Noli decipi, dum vides in amphitheatro navale bellum exhiberi inſtructis navibus; dum cernis ſpatium aqua plenum par toti freto; noli credere hic revera fretum eſſe: hic modo, 1. antequam advenires, terra & ſicca arena fuit.

Enyo. Bellona, Dea belli præſes, Martis ſoror.

5. Si non id credis mihi dicenti, expecta & conſpicies, donec æquora, dum aquæ emiſſæ ex arena, laxent, dirimantque navale bellum ac Naumachiam, quaſi dimittant ac ſolvant; ei finem imponant.

6. *Dices, &c.* Miraberis aream ſiccam & arenam eſſe, ubi pontum videras; erumpes in iſtas voces; Qui fieri tam cito potuit, ut ibi terram & ſolum videam, ubi modo mare, navéſque aſpexi? Porro Naumachia ſignificat navalem pugnam *ναῦς* navis, *μάχη*, pugna. Interdum eſt locus, ubi ejuſmodi pugnæ navales & ludicræ fiunt.

XXIV.

De Nereidibus in amphiteatri Naumachiæ natantibus.

1. Luſit Nereidum docilis chorus æquore toto,
2. Et vario faciles ordine pinxit aquas.
3. Fucina dente minax, nexu fuit ancora curvo:
4. Credidimus remum, credidimuſque ratem:
5. Et gratum nautis ſidus fulgere Laconum,
6. Lataque perſpicuo vela tumere ſinu.
7. Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
8. Aut docuit luſus hos Thetis, aut didicit.

Verſ. 1. *Nereidum*. Erant illæ Nerei & Doridis filiæ, maris Nymphæ.

Docilis chorus. Turba probe docta certo modo & ordine natare. Chorus eſt proprie turba ſaltantium & canentium, inter ſe juncta manibus aut vocibus.

Æquore toto. Toto Naumachiæ ſpatio.

2. *Faciles*. Mobiles, facile cedentes.

Pinxit. Sulcatur unda, & quaſi deſcribitur a natantibus. Nereides variis modis compoſitæ varias figuras in aqua ſumma expreſſerunt.

3. *Fuſcina*. Tridens, telum Neptuni. In fuſcinæ morem natatores iſti Nereidum cultu veſtiti, ſe compoſuerunt.

4. Nereides natantes ita ſe diſponebant, ut imitarentur formam ac figuram remi, anchoræ, tridentis, ratis: adeo ut eas ipſas res nobis

nobis in undis cernere videremur.

5. *Laconum*. Caſtoris & Pollucis, qui Dii Lacones appellabantur, quia nati ſunt Mycenis, urbe Laconiæ in Græcia. Facile porro fuit repræſentare in Naumachia duas ſtellas velut pendentes in aere, quomodo Lacones pinguntur: vel duos pueros ſummo in velo pendulos, quales Caſtor & Pollux vulgo exhibentur. De Caſtore & Polluce aliis in locis fuſius agitur. Indicem conſule. Et epigr. 32. lib. 1.

6. *Perſpicuo*. Pellucido.

8. *Hos*. Superant humanam artem iſti ludi: aut docti ſunt a Thetide, maris Dea, aut potius ipſa Thetis eos didicit a Cæſare majore Deo.

XXV.

Carpophorum Herculi, & aliis monſtrorum domitoribus anteponit.

1. Sæcula Carpophorum, Cæſar, ſi priſca tuliſſent;
2. Jam nullum monſtris orbe fuiſſet opus.
3. Non Marathon taurum, Nemee frondoſa leonem,
4. Arcas Mænalium non timuiſſet aprum.
5. Hæc armata manus Hydræ mors una fuiſſet,
6. Huic percuſſa foret tota Chimæra ſemel,
7. Ignipedes poſſet ſine Colchide vincere tauros:
8. Solvere & Heſionem ſolus, & Andromeden.
9. Herculeæ laudis numeretur gloria, plus eſt,
10. Bis denas pariter perdomuiſſe feras.

Verſ. 2. Nullum amplius opus, ſeu labor ac negotium fuiſſet orbe, ſeu in orbe, monſtris domandis, in monſtris exſtinguendis: vel non fuiſſet orbis peragrandus ad extinguenda monſtra: omnia uno in amphitheatro, eodem tempore confici a Carpophoro potuiſſent: vel, non opus fuiſſet monſtris ad orbem ob ſcelera puniendum & vexandum, inutilia fuiſſent: Carpophorus enim omnia facile domuiſſet.

3. *Marathon*. Eſt urbs Atticæ, non procul Athenis. Neptunus iratus Minoi Cretenſium regi, taurum igniyomum in Cretam immiſerat, adduxit hunc a Creta Hercules in campum Marthonium, ibique occidit. Eum alii a Theſeo interfectum volunt.

Nemee. De Nemea ſylva vide Epig. 5.

4. Arcades non timuiſſent aprum Mænalium. Aper ferociſſimus vaſtabat agros circa Mænalum urbem Arcadiæ, aut circa Erymanthum ejuſdem Arcadiæ montem & oppidum, hunc Hercules interfecit.

5. 6. Hæc manus, nempe

Carpophoris, armata, una morte, uno ictu hydram peremisset, & uno vulnere chimæram sustulisset: Quæ monstra nonnisi multis vulneribus, & quasi multis mortibus, ab Hercule fuere confecta.

Hydræ. Hydra serpens fuit in Lerna, Græciæ palude: illi plura capita, quorum unum si secaretur, alia duo renascebantur. Hoc monstrum multo labore domuit Hercules.

6. Chimæra. Monstrum fuit in Lycia, e tribus, ut fabulantur, conflatum feris, leone, capra, & dracone. domitum est a Bellerophonte.

7. Ignipedes. Pernices, instar ignis. Jason, adjuvante Medea, aureum vellus abstulit, servatum a tauris ignivomis, Ovid. 7. Met. Legitur etiam *Æripedes*, i. quorum pedes instar æris solidi erant.

7. Colthide. Sine ope Medeæ, quæ Colchis appellatur, quia Æta ejus pater, Colchorum rex erat, ipsa quoque regio Colchis dicitur: Est in Asia, prope Pontum.

8. Hesionem. Hesione Laomedontis Trojanorum regis filia, postulante Neptuno, qui erat iratus Laomedonti, exposita ceto, liberata est ab Hercule. Ovid. xi. Met.

Andromedem. Erat filia Cephei regis Æthiopiæ: cujus mater Cassiope cum Nereides contempsisset, coacta est exponere suam filiam, & objicere ceto. Hæc a Perseo soluta fuit. Ovid. 4. Metam.

9. 10. Numerentur labores Herculis & monstra, quæ ipsi tantam fortitudinis laudem & gloriam attulerunt, ejus labores & palmæ vix 12. reperientur: Carpophorus 20. monstra perdomuit uno tempore, eodem spectaculo.

XXVII.

Titi Naumachiam, Augusti, Claudii & Neronis Naumachiis anteponit.

1. Augusti laudes fuerant committere classes,
2. Et freta navali solicitare tuba.
3. Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis
4. Et Thetis ignotas, & Galatea feras:
5. Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus,
6. Et domini Triton ipse putavit equos.
7. Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus
8. Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
9. Quidquid & in Circo spectatur & Amphiteatro
10. Dives Cæsarea præstitit unda tibi.
11. Fucinus, & pigri taceantur stagna Neronis:
12. Hanc norint unam sæcula Naumachiam.

Vers. 1. Committere classes, idest, inter se componere ad pugnam, alias aliis objicere.

2. Fre-

2. *Freta*. Aquam in amphiteatrum inductam instar maris.

Solicitare. Movere, personare, ad pugnam excitare.

Tubæ. In pugnis navalibus est etiam in usu tuba.

3. 4. Quantula hæc portio est eorum, quæ a Tito sunt facta? Simplicem videlicet Naumachiam, ideſt, navium pugnam Augustus exhibuit: addidit Titius monstra marina ignota, quæ nec viderat Thetis, nec Galatea (Deæ sunt marinæ) Imo pugnas ferarum inter se, quas docuit facere in aquis id omne, quod in arena, in terra, facere consueverant. Induxit etiam currus & alia omnia, quæ fieri solerent in solo sicco, & cavea amphiteatri.

5. *Ferventes*. Incitatos summa celeritate.

Æquoreo pulvere, in æquore, quasi in arena, & pulvere.

6. *Domini*. Neptuni. Putavit Triton se in vero mari esse, & equos Neptuni agitare.

Triton. Monstrum est marinum, a quo Neptuni currus agitatur; superiori parte hominem referens, inferiori piscem.

7. 8. Dum Neptunus rates instruit ad navale certamen, noluit incedere per aquas pedibus, ut poterat; curru vehi maluit. Visebatur nempe effigies quædam Nereum seu Neptunum curru invectum repræsentans; inde navalem aciem ordinabat, &c.

9. *Circo*. Erat circus spatium fere rotundum & clausum, instar oblongi circuli: circa illud erant ædificia & porticus, unde spectabantur varia certamina, præsertim currulia, in quibus currus circa positas in extremo circo metas circumgebantur.

10. *Cæsareæ*. Titi Cæsaris. In ea voce, ultima syllaba producitur ob duas consonantes sequentes in voce *præstitit*: exhibita sunt in nuda per Cæsarem immissa, omnia spectacula, quæ in circo solent exhiberi.

Tibi. O Spectator.

11. Non jactet Claudius Imperator suam Naumachiam in lacu Fucino; neque Nero, piger ille Imperator & otiosus, alteram, quam exhibuit in suo amphitheatro: hæc una Titi Naumachia digna est, quæ immortali posteritatis memoria celebretur.

Fucinus. Lacus est in Italia, in Latio & Marsorum regione, nunc *Lago di Celano*, vel *Lago di Marso* & *di Talgiacozzo*. De illo vid. Plin. lib. 3. c. 12. & lib. 36. c. 15.

XXVII.

Duo gladiatores mutuis vulneribus victores & victi.

1. Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus.
2. Esset & æqualis Mars utriusque diu.

3. Miſſio ſæpe viris magno clamore petita eſt;
4. Sed Cæſar legi paruit ipſe ſuæ.
5. Lex erat, ad digitum poſita concurrere palma:
6. Quod licuit, lances donaque ſæpe dedit.
7. Inventus tamen eſt finis diſcriminis æqui:
8. Pugnavere pares: ſuccubuere pares.
9. Miſit utrique rudes, & palmas Cæſar utrique,
10. Hoc pretium virtus ingenioſa tulit.
11. Contigit hoc nullo niſi te ſub principe, Cæſar:
12. Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

Verſ. 1. *Traheret*. In longum duceret, altero alterum ſuperare non valente.

3. Populus rogavit magno clamore, ut viris illis daretur ab Imperatore miſſio.

Miſſio. Cum læſus gladiator, & dejectus, jamque ab adverſario interficiendus vitam petebat a principe, aut populo, eamque in unum diem impetrabat, illi dari miſſio dicebatur: ſi negaretur miſſio, interficiebatur.

5. Lex ea poſita fuerat a Cæſare, ut concurrerent, ſive certarent, propoſita victori palma, ad digitum, id eſt, donec eorum alter victor, digitos ſeu manus protenderet, ſeque victum ultro fateretur, quod neutri iſtorum facere certum erat. Victos ſe fatebantur gladiatores digito ſublato. Victor exclamabat, *hoc habet*: victus manus protendebat, & ſubmittebat arma. Noluit hanc ſuam legem perfringere Imperator. Aliter hoc ipſum explicat P. Scriverius. Cum videret, inquit, Cæſar neutrum ab altero vinci certando poſſe, juſſit ut micatione digitorum inter ſe palmam ſortirentur, diſplicuit lex magnanimis gladiatoribus, redintegrato certamine, tandem ambo procubuerunt: ita uterque victor, uterque victus fuit. Micare porro digitis, eſt digitos certo quodam modo agitare, attollere vel deprimere, quod ſæpe ludo, interdum ſortitioni ſervit.

6. Miſit populo cibos Imperator, & alia munera, ut moram longioris pugnæ, atque adeo negatam a Cæſare gladiatoribus miſſionem, æquiore animo ferret; quod ipſe ſalva ſua lege facere poterat, non vero gladiatoribus miſſionem dare.

Lances. Obſonia in lancibus.

8. *Pares*. Simul alter ab altero vulneratus, & victus, non tamen peremptus.

9. *Rudes*. Erat rudis, ſcipio quidam ligneus, vel gladius, quo donabantur gladiatores emeriti, adeo ut ab omni certandi, niſi vellent, neceſſitate immunes eſſent. Itaque plus multo quiddam erat, quam miſſio.

10. Iſto donati ſunt præmio ob ſuam fortitudinem, mi-

mirabili quodam pugnæ exitu celebrandam, & industria pugnantium, cum uterque alterum læsisset, ac vicisset.

Ingeniosa: Propter insolitum pugnæ eventum: vel certantium artem. Vide Epigr. 13.

XXVIII.

Dama Cæsaris pedibus advoluta.

1. Concita veloces fugeret cum dama molossos,
2. Et varia obliquas necteret arte moras:
3. Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti
4. Constitit; & prædam non tetigere canes.
5. Numen habet Cæsar, sacra est vis, sacra potestas,
6. Credite: mentiri non didicere feræ.

Legitur hoc epigramma in quibusdam codicibus, estque simillimum decimo sexto, quod tu vide.

XXIX.

A quo vinci turpe sit.

1. Cedere majori, virtutis fama secunda est:
2. Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Mutilum hoc epigramma est: sententia illius hæc, Majori hosti cedere, & fortiori, laudem habet quamvis se undam; primam enim & maximam ille fert laudem, qui majorem aut certe parem vincit; nullam, qui minorem & inferiorem superat: durum vero est minori & inferiori cedere, ab eo vinci.

XXX.

Excusat epigrammata parum elaborata.

1. Da veniam subitis, non displicuisse meretur,
2. Festinat: Cesar, qui placuisse tibi.

Da, &c. Videtur hæc esse clausula cuiusdam Epigrammatis, quod intercideri, quo carminum ex tempore scriptorum festinationem excusaret Cæsari.

XXXI.

In Domitianum.

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit hæres!
Pene fuit tanti non habuisse duos.

Flavia gens. O Flaviorum familia, quantum tibi gloriæ Domitianus abstulit. Propemodum satius fuisset, non habuisse duos præstantissimos Imperatores ex ea domo, Vespasianum & Titum, quam hunc teterrimum ac patri fratrique dissimillimum.

Antiquus interpres Juvenalis ad Sat. 4. profert hoc epigramma, seu fragmentum epigrammatis, in Domitianum a Martiale scripti: quod si est a Martiale conditum, id contigit post Domitiani mortem, eo enim vivente nunquam id ausus esset. Sane constat omnia quæ legantur in hoc spectaculorum libello carmina, non eodem fuisse vel tempore, vel Imperatore scripta.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER PRIMUS.

EPISTOLA.

Ait se mores hominum describere, personis & nominibus parcere: rogat ne quis pejorem in partem suos versiculos explicet; denique, si quid est a se liberius paulo, & licentius dictum, excusat.

SPERO me secutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis de se bene senserit; cum, salva infimarum quoque personarum reverentia, ludant: quæ adeo antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis. At mihi fama vilius constet, & probetur in me novissimum ingenium. Absit a jocorum nostrorum simplicitate malignus interpres, nec epigrammata mea scribat. Improbe facit, qui in alieno libro ingeniosus est. Lascivam verborum licentiam, ideſt epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum. Sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur. Si quis tamen tam ambitiose tristis est, ut apud illum in nulla pagina latine loqui fas sit, potest epistola, vel potius titulo contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum nostrum: aut si intraverit, spectet. Videor mihi meo jure facturus, si epistolam versibus clausero.

Spero, &c. Arbitror eam in scribendo moderationem a me fuisse adhibitam, ut de meis epigrammatis queri jure possit nemo, qui nullius sceleris conscius sibi ipse fuerit.

Cuza

Cum, &c. Cum neminem vel infimæ sortis hominem lædant.

Ludant. Ludere apud Poetas est scriptitare aliquid, præsertim joculare ac venustum.

Abusi sint, Ideſt, non tantum homines infimos, & obscuros, in suis epigrammatis vero nomine, & suo singulos appellarint: sed etiam homines magnos, nobiles, claros. Is autem non tam jocorum & epigrammatum usus est, quam abusus.

Magnis. Ut Cæsarum, Pompejorum, &c.

At mihi, &c. Ego vero malim minorem consequi famam & gloriam, quam illam quærere claris hominibus ambitiose insectandis: malo gloriam e vilibus, & obviis argumentis, ac nominibus ignotis petere, &c. Major est fama scriptoris & illustrior, cum in nobiles scribit, at raro ea fama & periculose emitur.

Novissimum. Ultimum: ultimo loco laudetur in me ingenium: primo loco laudetur probitas, reverentia viris magnis debita, quam si retinere nequeo, malo ingenii laudem amittere.

Malignus. Qui eos in pejorem partem interpretetur, sic illos accipiendo, quasi aliquem descriptum, & notatum iis velim.

Scribat. Sua illa faciat, maligne interpretando, quæ mea sunt, si simpliciter explicentur. Vel *Scribat*, ideſt, *inscribat.* Ne apponat quasi titulum meis epigrammatis, perinde ac si in hunc illumve, cujus nomen iis præfigat, fuerint composita.

Ingeniosus est. Vult ingenium suum iniquis interpretationibus, & a mente auctoris alienis, ostendere.

Si meum esset exemplum. Si ea res a me primum fieret, si primus omnium scriberem licentius.

Ambitiose. Putidè, obstinate, famam e tristitia, hoc est, severitate & austeritate ista, captando.

Latine. Id est, clare, simpliciter & aperte, suis vocabulis res indicando licet subobscœnas, &c.

Titulo. Contentus sit legere solum hanc epistolam, vel titulos epigrammatum turpiorum.

Florales. Subaudi, ludos: illi celebrantur in honorem Accæ Tarratiæ, olim famosæ meretricis, quæ postea sub Deæ Floræ nomine, fuit culta & consecrata. Hæc populum Romanum moriens hæredem dixerat ea lege, ut editis ludis suum natalem diem quotannis celebraret. Pleni erant Florales ludi spurcitiæ ac turpitudinis. Vide Augustinum de Civitate Dei lib. 4. c. 8.

Cato. Ille Uticensis, notæ severitatis. Eo nomine indicatur austerus quicunque censor, & vir gravis. Jampridem enim Cato vixerat, qui sibi attulit manus Uticæ post pugnam Pharsalicam. Vide Epig. 9. Nepos erat M. Porcii Catonis, qui Censorius est nuncupatus, ejusdem severitatis, ac probitatis.

EPI-

EPIGRAMMA I.

Catonis ſeveritatem reprehendit.

1. Noſſes jocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
2. Feſtoſque luſus, & licentiam vulgi,
3. Cur in theatrum, Cato ſevere, veniſti?
4. An ideo tantum veneras, ut exires?

Verſ. 1. *Floræ ſacrum.* Diem ſacrum, ſeu feſtum Floræ celebrari cum ſcires. Ludi Floræ, ſeu Floralia, ut in epiſtola explicanda diximus, inſigni licentia celebrabantur: ſeos aliquando ut ſpectaret ingreſſus in theatrum Cato fuerat: populum laſciviæ ſuæ, & proterviæ, tanto ſpectatore, quaſi reprehenſum & admonitum puduit: quod ubi Cato intellexit, diſceſſit e theatro, ne populo moleſtus eſſet: Iſto exemplo lectores ſuos admonet Martialis, ut epigrammata ſua non legant, ſi ſeveriores eſſe velint. Certe caſtis oculis legi omnia non poſſunt: itaque merito ſubmoventur obſcena, tenebriſque damnantur, vel Catone, homine ethnico, judice.

II.

Sibi adhuc ſuperſtiti gloriam immortalem partam eſſe gratulatur.

1. Hic eſt, quem legis, ille quem requiris.
2. Toto notus in orbe Martialis
3. Argutis Epigrammaton libellis:
4. Cui, Lector ſtudioſe, quod dediſti
5. Viventi decus atque ſentienti,
6. Rari poſt cineres habent Poetæ.

Verſ. 1. &c. Ego ille ſum Martialis, cujus librum habes præ manibus, o lector; celebratus toto orbe propter arguta, quæ ſcripſi, epigrammata. Qui, te tribuente, famam ſum eam vivens, ac ſentiens conſecutus quam poetæ ceteri mortui vix conſequuntur.

6. *Poſt cineres.* Poſt obitum: quia olim apud Romanos corpora cremabantur, & cineres urna condebantur.

III.

Lectorem hortatur ut ſuos emat libellos, & ubi venales proſtent, docet.

1. Qui tecum cupis eſſe meos ubicumque libellos,

2. Et

2. Et comites longæ quæris habere viæ:
3. Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis:
4. Scrinia da magnis, me manus una capit.
5. Ne tamen ignores ubi sim venalis, & erres
6. Urbe vagus tota: me duce certus eris.
7. Libertum docti Lucensis quære Secundum,
8. Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Vers. 3. *Arctat*. Augustos & minoris molis facit: qui continentur paucis, & brevibus tabellis e membrana factis. Est autem membrana, pellis animalium, ad scribendum polita. Hæc interdum unica & longior in toto libro erat: interdum in varias pagellas, & tabellas divisa, quæ simul omnes compingebantur. Arctiores & minores libri, qui manu capi possent, vulgo vocabantur Enchiridia, ἐγχειρίδια, majores, volumina dicebantur, quia scripti erant in perpetua membrana circa bacillum ligneum involuta.

4. *Scrinia*. Ingentes libros repone domi, & serva in scriniis, sive arculis, & capsis: ego, ideſt, meus liber, gestari facile, & manu capi possum.

6. *Duce*. Docente viam, & bibliopolam monstrante.

7. *Lucensis*. Romani cujusdam nobilis, qui Lucensis appellatur, libertum erudītum, nomine Secundum, quæreris tabernam librariam habet post templum Pacis, & Forum Palladium. Hoc forum postea forum Nervæ dictum est: inchoatum a Domitiano, perfectum deinde a Nerva; inter Capitolium & Quirinalem Montes positum; vocabatur etiam Palladium a vicino Palladis templo: item transitorium, quia per illud ultro citroque multi commeabant. Porro ea vox *Lucensis* proprium viri nomen est, non appellativum: Etsi Luca urbs & respublica nunc Italiæ sit. Suspicatur tamen Turnebus *Secundum* non esse viri nomen, sed appellativum, atque in libertis alios primos, alios secundos, &c. appellatos fuisse refert, in suis Adversariis.

IV.

Librum suum exire gestientem admonet.

1. Argiletanas mavis habitare tabernas,
2. Cum tibi, parve, scrinia nostra vacent.
3. Nescis, heu, nescis dominæ fastidia Romæ:
4. Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
5. Majores musquam ronchi: juvenesque, senesque.
6. Et pueri, nasum rhinocerotis habent.
7. Audieris cum grande sophos, dum basia captas,

8. Ibis

8. Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.
9. Sed tu ne toties domini patiare lituras,
10 Neve notet luſus triſtis arundo tuos;
11. Ætherias laſcive cupis volitare per auras,
12. I, fuge; ſed poteras tutior eſſe domi.

Verſ. 1. Argiletanas. Argiletum erat locus quidam Romæ haud procul theatro Marcelli; in quo tabernæ bibliopolarum. Sic dictus eſt a quodam Argo duce Argivorum, qui ab Evandro exceptus hoſpitio, cum in affectati regni ſuſpicionem veniſſet, ab Arcadibus, inſcio Evandro, interfectus eſt: cui poſtea Evander tumulum erexit, quem de nomine ejus Argiletum appellavit. Lege Virg. 8. Æneid. verſu 346.

2. Cum in meis ſcriniis & arculis locus ſit vacuus, & patens: ubi manere, quaſi domi tuæ, tuto poſſis.

3. *Faſtidia.* Criticorum moroſam ſeveritatem, hominum judicia poetis parum æqua.

Dominæ. Urbium principis, atque adeo faſtidioſæ.

4. *Martia turba.* Romani plus æquo ſunt ingenioſi, & docti. Mars Romuli pater.

5. *Ronchi.* Ronchus eſt ſonitus, qui editur naſo a ſtertentibus, quo ſæpe utuntur, qui aliquid contemnunt, quaſi ſignificarent adeo ineptum illud eſſe, ut malint ſtertere quam id videre, vel audire. Senſus eſt, nullos eſſe homines Romanis faſtidioſiores.

6. *Naſum Rhinocerotis.* Longum naſum & acutum: quia Rhinoceros in procero & acuto naſo ingens habet cornu, &c. Vide librum ſuperiorem de Spect. Ep. 8. & 21. Habere naſum Latinis eſt, irriſorem eſſe; interdum eſſe acri, mordaci, & acuto judicio, quali fere ſunt riſores & cavillatores. Naſus calliditati tribuitur, ut frons pudori, &c.

7. Cum te laudari audieris. Hac voce, Sophos, *σοφὸς*, id eſt, docte, utebantur cum plaudebant, iſtis etiam *Euge belle*, &c.

Baſia. Oſcula: dum ambis gratulationes, dum plauſum conſectaris. Amicos oſculari ſolebant, item eos quos probarent, & quibus plauderent. Legitur etiam, *Dumbaſia jactas.* Quo verbo uſum eſſe Phædrum lib. 5. Gruterus obſervavit. *Jactas baſia tibicen*, &c.

8. Te tuus lector, excuſſa veſte per jocum projiciet in aerem ac ſubſilire coget.

Sago. Proprie ſagum eſt veſtis militum, hic pro qualibet ponitur. Metaphora ſumitur ab iis, qui ut aliquem irrideant, ſolent eum in aliquo ſtragulo, cujus oras & extrema teneant, manibus verſare & excutere.

8. *Domini.* Heri tui, poetæ: meas lituras, qui te emendo.

10. Neve ego arundine, id eſt, calamo, deleam ea quæ prave ſcribis: ludere dicuntur Poetæ, cum quid licentius & liberius ſcribunt. Notare proprie dicebantur Cenſores,

res, cum aliquem arguebant, damnabant, afficiebant ignominia, vel pœna.

11. *Lascive*. Proterve, petulans. *Volitare*, & Exire foras, prodire in vulgus.

V.

Cæsarem orat ut æquo animo libros suos legat.

1. Contigeris nostros, Cæsar, si forte libellos,
2. Terrarum dominum pone supercilium.
3. Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi,
4. Materiam dictis nec pudet esse Ducem.
5. Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum,
6. Illa fronte, precor, carmina nostra legas.
7. Innocuos censura potest permittere lusus:
8. Lasciva est nobis pagina, vita proba est:

Vers. 4. Ducem. Cum triumphabant Imperatores, solebat miles jocis liberioribus, conviciisque, in eum ipsum qui triumphabat jaciendis, indulgere. Non pudet igitur ipsum ducem esse materiam dictorum, id est dicteriorum & jocorum, quæ in illum dicuntur.

5 *Thymelen*. Erat Thymele Latini, histrionis famosi, uxor; utriusque actione mimica delectabatur plurimum Domitianus. Vox ista *Thymele* significat etiam pulpitum, scœnam.

7. Potest vel rigidissimus censor permittere innocentem ludum & liberum.

8. Quis id credat? Perinde quasi scriptor improbus esse vir probus possit, qui totidem fere improbos, quot lectores, efficiat.

VI.

Respondet Imperator Martiali.

1. Do tibi Naumachiam, tu das Epigrammata nobis.
2. Vis, puto, cum libro, Marce, natare tuo.

Vers. 1. 2. Dum edo Naumachiam, tu offers nobis epigrammata. Factum bene, adest commodum aqua, in quam malum poetam cum suo libro & munere levi, ac intempestivo, projiciam. Jocatur. De voce, Naumachia, vide lib. Spectac. Ep. 23.

VII.

Leonem Cæsaris cum Jovis aquila comparat.

1. Ætherias aquila puerum portante per auras,

2. Ille

2. Ille ſuum timidis unguibus hæſit onus:
3. Nunc ſua Cæſareos exorat præda leones,
4. Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
5. Quæ majora putas miracula? ſummus utrique
6. Auctor adeſt; hæc ſunt Cæſaris, illa Jovis.

Verſ. 1. 2. Cum olim aquila a Jove miſſa, ſive ipſe Jupiter mutatus in aquilam, Gany edem per auras portaret, hæſit puer ſine damno inter ungues aquilæ veluti metuentis, ne illum læderet.

Puerum. Ganymedem, Trois Regis Trojanorum filium, a Jove raptum, ut ſuperis nectar in cœlo miſceret.

3. Nunc lepores, licet a leonibus, quos in amphitheatrum Cæſar produxit, nullo perimi negotio queant ac præda leonibus certa & ſua ſint, vitam tamen ab ipſis impetrant & exorant, imo tuti ludunt in eorum ore.

6. Auctor & artifex utriuſque miraculi eſt maximus, Cæſar & Jupiter, atq; adeo, utrumque par & æquale eſt; niſi fortaſſe hoc ultimum, utpote difficilius, nempe quod lepores in leonum ore aperto impune ludant, majorem Deum videtur poſtulare. Sic Domitianum, qui ſe Deum jubebat appellari, Jovi vel anteponit, vel certe exæquat. Legitur *utriſque* in optimæ notæ codicibus.

VIII.

Laudat Stellæ poetæ carmen de columba.

1. Stellæ delicium mei columbæ,
2. Verona licet audiente dicam:
3. Vivit, Maxime, paſſerem Catulli.
4. Tanto Stella meus tuo Catullo,
5. Quanto paſſere major eſt columba.

Verſ. 1. *Stellæ*. Erat hic poeta Martiali amiciſſimus columbam habebat in deliciis, eam mortuam erudito carmine deflevit, ut Catullus paſſerem, mellitis verſiculis, qui extant: *Lugete o Veneres*, &c. Catullo Stellam præfert.

Columbæ. Carmen de columba.

2. *Veronæ*. Erat Catullus Veronenſis: eſt Verona urbs Itala. *Verona*, ad fluvium Atheſim: a Gallis olim condita, & ab eorum duce Brenno dicta primum Brenona. Juſtin. lib. 20. Natus eſt Catullus anno U. C. 667. ſcripſit imprimis epigrammata: Eſt in eo præcipuus candor Latini ſermonis, legendus eſt tamen caute propter obſcænitatem admiſtam.

4. *Tuo*. Quem ita admiraris. Tanto major eſt Stella Catullo, quanto columba eſt major paſſere.

Foi-

I X.

Fortitudo ſapientis.

1. Quod magni Thraſeæ, conſummatique Catonis
2. Dogmata ſic ſequeris, ſalvus ut eſſe velis:
3. Pectore nec nudo ſtrictos incurris in enſes:
4. Quod feciſſe velim te, Deciane, facis.
5. Nolo virum, facili redimit qui ſanguine famam:
6. Hunc volo, laudari qui ſine morte poteſt.

Verſ. 1. *Thraſeæ*. Thraſeas Petus, Romanus fuit omni virtute ornatiſſimus: a Nerone, qui tantam probitatem ferre non poterat, mori juſſus.

Catonis. Cato ille, de quo hic ſermo eſt, Ut icenſis dictus fuit, quia ſe Uticæ (eſt urbs Africæ) interfecit, ne veniret in Cæſa is victoris poteſtatem: homo, ut ait Vellejus, per omnia Diis quam hominibus propior, omnibus humanis vitiis immunis, &c.

Conſummati. Virtutibus omnibus perfecti.

2. *Dogmata*. Effata Stoicæ diſciplinæ, quam ſequebantur Thraſeas & Cato, quæ ſummum bonum in honeſtate & virtute ponit, ſed quæ docebant obeundam eſſe mortem, imo laceſſendam, ut periculum & ignominia vitarentur: contra ſentiebat Decianus, licet ſecta Stoicus.

Salvus. Vivus, incolumis. Ita Stoicam virtutem amas, ut vitam non oderis, ut adverſam ferre fortunam vivendo, quam fugere moriendo malis.

4. Facis probe, meo judicio: non aliter facere te velim.

5. Non probo virum, qui famam conſtantiæ & fortitudinis emit morte, qua nihil facilius: hunc probo, qui eam vita ſancte, ut facis, degenda, conſequitur: laudabilior mihi videtur, qui vivere ſapienter, quam qui mori fortiter poteſt. Legunt nonnulli in ſecundo verſu *Talis ut eſſe velis*: ſenſus eſt; ſic Stoicos ſequeris, ut eſſe, & porro vivere diu Stoicus velis.

X.

In hominem bellum, & elegantem.

1. Bellus homo & magnus vis idem, Cotta, videri,
2. Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt.

Verſ. 2. *Sed qui bellus, &c.* Bellus idem eſt, quod elegans, venuſtus. Porro ait Ariſtoteles res parvas venuſtas

nuſtas eſſe poſſe, non pulchras: quia pulchri udo & dignitas, niſi in magnis, eſſe nequit.

XII.

Heredipetam vetulæ divitis nuptias ambientem carpit.

1. Petit Gemellus nuptias Maronillæ
2. Et cupit, & inſtat, & precatur, & donat;
3. Adeone pulchra eſt? imo fœdius nil eſt.
4. Quid ergo in illa petitur & placet? tuſſit.

Verſ. 4. *Tuſſit.* Id eſt, ægra eſt, brevi moritura; tuſſis enim frequens & anhela, gravioris ægritudinis eſt ſignum: illam uxorem petit, ut eam mox ad rogum efferat, opes ejus auferat. Quidam codices habent; *Tuſſis.* Quid placet? Non ipſa, ſed ejus tuſſis, & mors, ſeu hæreditas, quæ mortem conſequetur. Gemellus porro, & Maronilla, ficta nomina ſunt.

XIII.

In avidum potorem.

1. Cum data ſint equiti bis quina numiſmata, quare
2. Bis decies ſolus, Sextiliane, bibis?
3. Jam defeciſſet portantes calda miniſtros,
4. Si non potares, Sextiliane, merum.

Verſ. 1. *Numiſmata.* Nummi ſeſtertii. In ſpectaculis ſolebant Imperatores dare ſpectatoribus nonnihil pecuniæ ad bibendum aut emenda bellaria, ut otium falleretur. Dati erant ſingulis equitibus decem nummi ſeſtertii, qui aſſes pecuniæ Gallicæ conficiunt 20. Romanæ, tres, admodum Julios. Sextilianus bis decies, ſeu vicies bibebat ſolus inter illos quibuſcum bibebat, & quidem merum, id eſt, vinum aqua non miſtum: quod longe ſuperabat pretium 10. ſeſtertiorum. Turnebo videtur accipiendum hoc de ſportula, quæ decem nummos, ſive centum quadrantes continebat. Cum ſportulam unam Sextilianus accepiſſet, duas tamen bibebat, ſive tantum hauriebat vini, quantum exæquaret viginti nummos ſeu pretium duarum ſportularum. Junius de lege ſumptuaria explicat, quæ cum juberet ut equites in cœnam impenderent diebus profeſtis decem tantum nummos, Sextilianus viginti nummos

in

in ſolum potum impendebat.

3. *Calida.* Aqua calida vinum temperare interdum amabant, ad ſanitatem id præſtare arbitrantes: quanquam nivibus, & glacie ſæpiſſime uterentur, præſertim æſtate.

XIII.

Viri probi ſunt in tutela Divinæ Providentiæ.

1. Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
2. Canaque ſulphureis Albula fumat aquis;
3. Rura, nemuſque ſacrũ, dilectaque jugera Muſis,
4. Signat vicina quartus ab Urbe lapis:
5. Hic rudis æſtivas præſtabat porticus umbras,
6. Heu quam pene novum porticus auſa nefas!
7. Nam ſubito collapſa ruit, cum mole ſub illa
8. Geſtatus bijugis Regulus eſſet equis.
9. Nímirum timuit noſtras Fortuna querelas.
10. Quæ partam magnæ non erat invidiæ;
11. Nunc & damna juvant; ſunt ipſa pericula tanti:
12. Stantia non poterant tecta probare Deos.

Verſ. 2. *Herculei*. Hercules imprimis Tibure, *Tivoli* oppido Latii ad decimum ab Urbe lapidem, colebatur. Gelidum appellatur, quia erat edito in colle ſitum, ubi aura frigidior.

2. Et fons dictus Albula, volvit aquas fumantes, & canas, ſive albicantes, ob ſulphureas venas montium unde oriuntur iſtæ aquæ. Albulæ aquæ, *Bagni di Tivoli*, ſunt aquæ ſalubres prope Tibur, quæ in Anienem fluvium devolvuntur.

3. In illa via, quæ ducit Tibur, habet Regulus villam Muſis charam (quia orator & vir doctus) quarto ab urbe lapide, ſeu milliaria diſtantem.

4. *Lapis*. Singula paſſuum millia ſignabant Romani poſito in via lapide: itaque lapis quartus, ponitur pro quarto milliario. Porro tria paſſuum millia leucam majorem Gallicam conficiunt.

5. *Rudis*. Inelegans, ruſticana.

6. *Novum*. Inauditum, ingens.

Nefas. Quia Regulum virum probum pene oppreſſit.

7. *Mole*. Porticu lapidea.

8. *Geſtatus eſſet*. Atque adeo præteriiſſet.

Bijugis. Binis uni jugo nexis.

9. Non eſt auſa Fortuna Regulum opprimere, communem invidiam verita, & omnium querelas atq; convicia, ſi virum probum ſic interemiſſet: timuit, ne, ſi oppreſſus eſſet Regulus, negaretur Divina Providentiæ, ut ſit ab impiis, in graviori proborum infortunio.

11. Ruina iſtius porticus quamvis damnoſa domino, magnam illi & nobis utilitatem

tatem affert, quia nos docet, viros probos curæ esse Superis: merito sunt optanda ejusmodi pericula, quæ Providentiam illustrent.

12. Si stetisset porticus, si lapsa non esset, non probasset esse Superos rerum humanarum arbitros, & virorum proborum custodes.

XIV.

Arria, sive muliebris fortitudo.

1. Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto
2. Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
3. Si qua fides, vulnus quod feci non dolet, inquit,
4. Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Vers. 1. *Arria.* Erat illa socrus Trasææ, de quo Epig. 9. uxor Cæcinæ Pæti, qui ab Imperatore Claudio jussus est sibi necem afferre, quia Scriboniani partes secutus fuerat: sed prævit illi uxor, semet feriendo, extractumque pugionem e vulnere marito tradidit, cum hac voce: *Pæte, non dolet.* Ita ferme Tacitus, Plin. &c. Lege Plinium, Epist. 16. lib. 3. & in eam eruditas Catanei notas.

3. *Si qua fides.* Si quid mihi credis.

4. *Quid tu.* Quia tu meipsa mihi charior es, tua vulnera gravius, quam mea sentio.

XV.

Ludus leonis cum lepore in arena.

1. Delicias, Cæsar, lususque jocosque leonum
2. Vidimus; hoc etiam præstat arena tibi:
3. Cum prensus blando toties a dente rediret,
4. Et per aperta vagus curreret ora lepus.
5. Unde potest avidus captæ leo parcere prædæ?
6. Sed tamen esse tuus dicitur, ergo potest.

Vers. 2. Hæc miracula tuam in gratiam amphitheatrum edit. Pars ima in amphitheatro, ubi depugnabant gladiatores, feræ, &c. vocabatur Arena, quia ibi arena spargebatur, quæ sanguinem interfectorum gladiatorum combiberet, efficeretque ut sine offensione caderent.

6. *Ergo potest.* Quia tibi ut Deo feræ ipsæ obediunt: quia tuam clementiam imitantur.

Hodie

XVI.

Hodie vivendum.

1. O mihi post nullos Juli memorande sodales,
2. Si quid longa fides, canaque jura valent:
3. Bis jam pene tibi Consul trigesimus instat,
4. Et numerat paucos vix tua vita dies.
5. Non bene distuleris, videas quæ posse negari;
6. Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
7. Expectant curæque catenatique labores:
8. Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
9. Hæc utraque manu, complexuque affere toto:
10. Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
11. Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam:
12. Sera nimis vita est crastina; vive hodie.

Vers. 1. 2. O Juli, quem nulli sodalium debeo postponere, si quid juris habet amicitia vetus: si modo primi debent esse amici, qui vetustissimi.

3. 4. Instat tibi prope annus sexagesimus & paucis tamen adhuc diebus vixisti, quia paucis genio indulsisti: vidisti jam ferme bis triginta consules.

Consul. Romani solebant annos per Consules designare, quia Consules initio anni magistratum ineabant, & primi scribebantur in fastis.

5. Non recte facies, si ea gaudia differas, & capere, dum potes, negligas, quæ intelligis posse tibi non dari, id est, præripi morte: vive dum vivis, quia incertus es futuri.

7. Curæ labores, quasi ad fores excubant, expectant, dum admittantur, a limine non recedunt, & aliis alii succedunt: avolant vero Gaudia. Catenatos vocat, quasi inter se connexos, & cohærentes, ita ut unus labor alterum afferat, adducatque; alius ex alio nascatur.

9. *Affere*. Tibi vindica & mancipa, arripe.

Utraque manu. Moris erat iis, qui suum quidpiam dicebant esse, ut isti rei manum injicerent. Ovid. *Et dicam, mea sunt; injiciamque manus*. Virgil. *Injecere manum Parcæ*.

10. *Fluunt*. Excidunt Gaudia elabuntur, quamvis intimo in sinu condita.

12. *Vive*. Vivere apud Martialem & poetas sæpe est, genio indulgere, vitam genialem vivere.

XVII.

De suis Epigrammatis.

1. Sunt bona, sunt quædã mediocria, sunt mala plura
2. Quæ

2. Quæ legis hic: aliter non fit, Avite, liber?

Vers. 2. *Hic* In isto libello meo.

Aliter. Non potest id non evenire in libro, qui multa contineat, in multis carminibus non possunt omnia esse optima. Vel liber, non potest aliter bonus esse. Nempe nævi aliquot formam commendant, ac deteriora quædam pretium adduntoptimis.

XVIII.

Cur poeta esse, quam causidicus, malit.

1. Cogit me Titus actitare causas,
2. Et dicit mihi sæpe, magna res est:
3. Res magna est, Tite, quam facit colonus.

Vers. 2. *Magna res est*. Magnæ utilitatis, magnæ dignitatis.

3. *Res magna*, &c. Ludit in hac voce, *Res*, quæ fundum, opes, fortunas sæpe significat: sententia est, tu dicis, o Tite, plurimum esse utilitatis in actitandis causis: respondeo ego plus esse in agris colendis, & colonũ seu agricolam rem familiarem suam magnam facere, multum facere lucri: utilitatem malo ex agro bene culto, quam lucrũ ex foro quærere.

XIX.

Vinum optimum pessimo admistum.

1. Quid te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno
2. In Vaticanis condita musta cadis?
3. Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
4. Aut quid fecerunt optima vina mali?
5. De nobis facile est: scelus est jugulare Falernum,
6. Et dare Campano toxica sæva mero.
7. Convivæ meruere tui fortasse perire:
8. Amphora non meruit tam pretiosa mori.

Vers. 1. *Falerno*. Falernum vinum erat optimum, in Campania Italiæ regione: Vaticanum, pessimum; in agro Vaticano prope Romam, natum, quod postea toxicum, ideſt, venenum, vocat.

2. *Musta*. Mustum est vinum recens e racemis expressum, atque adeo parum salubre, & male dulce.

5. Quantum ad nos attinet, facile id toleramus, quod nos isto veneno jugu-

les; facilis est nostri jactura: sed cur optimum vinum pessime perdis?
6. Et veneno interimere vinum Campanum: miscendo nempe Vaticanum vinum, quo Falernum corrumpatur, & pereat.

X X.

In edentulam, & tussientem aniculam.

1. Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
2. Expuit una duos tussis, & una duos.
3. Jam secura potes totis tussire diebus:
4. Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

Vers. 2. Amisisti illos omnes, semel iterumque tussiendo.
4. *Nihil*, &c. Nullos jam dentes amittere poteris, quæ omnes expuisti.

X X I.

In voracem, & gulosum hospitem.

1. Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata,
2. Solus boletos, Cæciliane, voras.
3. Quid dignum tanto tibi ventre, gulaq; precabor?
4. Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Vers. 2. *Boletos*. Boleti sunt fungi delicati: tu exquisitis cibis solus vescris; ii quos vocasti, vilioribus; an eos invitasti, ut te optima quæque vorantem spectarent jejuni?
4. *Claudius*. Imperatorum Rom. fuit quintus, Huic uxor Agrippina imperium filio suo Neroni maturare cupiens, boletum veneno infectum, quod esset avidissimus ciborum talium, obtulit, quo paulo post extinctus est. Sveton. In Claudio, c. 44.

X X I I.

Error Mucii Scævola gloriosus.

1. Cum peteret regem decepta satellite dextra,
2. Ingessit sacris se peritura focis.
3. Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
4. Et raptum flammis jussit abire virum.
5. Urere quam potuit contempto Mucius igne,
6. Hanc spectare manum Porsena non potuit.

7. Ma-

7. Major deceptæ fama eſt, & gloria dextræ,
8. Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Verſ. 1. *Peteret*, ad necem quæreret: *Dextra*, Mucii; quæ Porſenam petebat unum, *decepta* ejus ſatellite interfecto, quem Mucius Regem putarat eſſe.

Regem. Porſenam, regem Etruſcorum. Ille Tarquinium Superbum Roma expulſum, reſtituere cum vellet, in eum Romanus quidam Mucius conjuravit, pergenſq; in ejus caſtra, ſcribam militibus ſtipendia dividentem, & regio fere indutum cultu, pro rege accipiens, obtruncavit; protractus ad regem, facinus confitetur, &, *ut ſentias, Rex, quam viles ſit corpus iis qui magnam gloriam petunt*, inquit; dexteram foculo ad ſacrificium parato injecit, quaſi erroris pœnas daturam. Hinc factum illi nomen Scævolæ, quaſi qui ſiniſtra manu uteretur, ambuſta dextra; σκαία ſiniſtra manus. σκαιὸ'σας; Scæva, vel Scævola, qui ſiniſtra utitur. Id contigit anno U. C. 248. ante Chriſtum vero 512.

3. *Sæva miracula*. Mirabilem viri generoſi, at ſævam & noxiam domino fortitudinem. *Pius*. Clementior erga Mucium, quam ipſe Mucius erga ſe.

8. *Fecerat*; pro feciſſet, more loquendi Græco. Porſena quippe interfecto, non fuiſſet fortaſſe obſidio ſoluta: certe Mucius Scævola tantam gloriam ſibi non peperiſſet: non fuiſſet tanta gloria in interficiendo hoſte, quanta fuit in cremanda manu. Recte Seneca *confecit bellum inermis ac mancus, & ilta trunca manu reges duos vicit, Porſenã & Tarquinium.*

XXIII.

Ludus leonum cum leporibus.

1. Quid nunc ſæva fugis placidi lepus ora leonis?
2. Frangere tam parvas non didicere feras.
3. Servantur magnis iſti cervicibus ungues,
4. Nec gaudet tenui ſanguine tanta ſitis.
5. Præda canum lepus eſt, vaſtos non implet hiatus.
6. Non timeat Dacus Cæſaris arma puer.

Verſ. 1. *Quid nunc, &c.* Legitur etiam, *Quid non ſæva, &c.* ſenſuſque poteſt eſſe: Quid fugis non ſæva ora leonis nunc placidi?

3. *Cervicibus*. Feris majoribus laniandis reſervant ſe leones.

4. *Sitis*. Aviditas ſanguinis: erudelitas.

5. *Hiatus*. Rictus leonis.

6. *Dacus*. Daci erant, ubi ſunt nunc Valachi, Tranſilvani, & Moldavi, pro Gethis etiam uſurpantur, trans Iſtrum enim habitavere an-

te Aureliani tempora, qui eos Istrum transtulit. In illos Domitianus bis arma sumpsit, deque ipsis publice triumphavit, licet ab iis male fuisset mulctatus. Sensus est: In te sævire leo non magis amat, o lepus: quam Cæsar in pueros Dacorum: illos negligit, viros, quibuscum pugnet, quærit: vel, in hostem infirmum, quæ ipsius est clementia, non sævit.

XXIV.

Sera post mortem est gloria.

1. Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
2. Et cultum docto pectore profer opus:
3. Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
4. Nec sileant nostri, prætereantque senes.
5. Ante fores stantem dubitas admittere Famam?
6. Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
7. Post te victuræ per te quoque vivere chartæ,
8. Incipiant: cineri gloria sera venit.

Vers. 1. *Ede populo*. Fac publici juris, evulga in populi gratiam.

2. Et profer in lucem carmina ingenio elaborata.

3. 4. Quod opus Græci probent, ac Latini.

Arces Cecropiæ. Athenæ: sic dictæ a Cecrope primo rege Athenienſi. Pandion Rex eadem instauravit, ornavitque.

Prætereant. Non legant, non probent. *Nostri*. Latini scilicet.

5. *Ante fores*. Tuas. *Stantem*. Admitti postulantem.

6. *Curæ*. Operis summa cura elaborati.

7. *Victuræ post te*. Laudandæ, & celebrandæ a posteris post tuam mortem. *Per te*. Te illas nunc evulgante.

8. Exigua est, & sera gloria illa quę mortuis datur; ea potior, quæ vivis. Mortui enim sensum illius gloriæ non habent, absentes nempe & ignari.

XXV.

In avidum potorem vini exquisiti.

1. Sextiliane, bibis quantum subsellia quinque
2. Solus, aqua toties ebrius esse potes.
3. Nec consessorum vicina numismata tantum,
4. Æra sed a cuneis ulteriora petis.
5. Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis;
6. Uva nec in Tuscis nascitur ista jugis.

7. Testa

7. Testa, sed antiqui felix siccatur Opimi,
8. Egerit, & nigros Massica cella cados.
9. A caupone tibi fex Laletana petatur,
10. Si plus quam decies, Sextilianæ, bibis.

Vers. 1. *Subsellia quinque*. Quantum equites quinque in subselliis sedentes in theatro, ad visenda nempe spectacula.

Subsellia. Sunt humiliores sedes, in quibus equites considebant, nam senatores sellis altioribus utebantur.

2. Ipsa aqua toties hausta ebrium te faceret. Ironice dictum.

3. Nec tantum pecuniam eos poscis, qui tecum, qui prope te sedent, sed ab aliis ulteriore loco sedentibus.

Numismata. Diximus antea Epigr. 12. cautum fuisse lege, ne supra nummos decem impendere in vinum liceret equitibus, in conviviis. Ea lex non diu, neque apud multos viguit, ut iste Sextilianus documento est.

Cuneis. Ordines theatri, in quibus erant gradus spectatorum sive subsellia, vocabantur cunei, quia sensim augebantur, ab ima cavea ad summum theatrum crescendo: ut cuneus ferreus ab imo acumine in latum caput crescit.

5. 6. 7. Vindemia illa, id est, vinum quod bibis, non est domita, pressa, Pelignis prælis; non bibis vinum deterioris notæ, quale est Pelignum, vel Tusculanum, sed Opimianum hauris.

Pelignis. Peligni erant mediæ Italiæ populi in Apruntio, prope Veltinos: in eorum agro erat vinum pessimum, ut & in Thuscia.

Opimi. Lucio Opimio Consule, anno ab Urbe condita 633. ante Christum 119. vini optimi felix, & ingens Italia tota proventus fuit, quod in testas seu amphoras diffusum diuque postea servatum est.

8. *Et* cella, sive apotheca, egerit, ideſt, profert, promit, tibi cados, &c. Jubes tibi e cella vinaria afferri vinum Massicum: illud vates nigrum vocat, ideſt, saturi roboris, & pene fusci.

Massica. Massicus mons in Italiæ Campania fuit, vini generosi ferax. Nunc est in ea parte Italiæ, quæ vocatur Terra Laboris, in regno Neapolitano. *Monte Marſico* appellatur, inter Minturnas, & Calenum.

9. *Fæx Laletana*. Vinum fæculentum; ac vile. Laletania est Hispaniæ regio, in qua vinum pessimum. Nunc magna pars est Catalauniæ inter Gerundam, & Tarraconem.

10. *Decies*. Potores honesti, & moderati non plures cyathos, quam decem haurire consueverant. Monetur ergo iste Sextilianus, ut si decimum cyathum transire velit, ne bibat Opimianum, aut Falernum, sed Laletanum. Cyathus est patera modica: Vide sequens Epigramma.

XXVI.

Convivæ memor.

1. Hesterna tibi nocte dixeramus,
2. Quincunces, puto, post decem peractos,
3. Cœnares hodie, Procille, mecum.
4. Tu factam tibi rem statim putasti,
5. Et non sobria verba subnotasti,
6. Exemplo nimium periculoso:
7. Μισῶ μεὶμονα συμποτῆ, Procille.

Vers. 1. cum cænares heri mecum, nocte dixeram tibi, postquam peregissem, id est, hausissem, decem quincunces, ātq; adeo subebrius jam essem, dixeram, inquam, tibi, ut hodie mecum cænares invitaveram te ad cænam, tu hoc, quasi certum, & jam prope factum, accepisti, & subnotasti, hoc est, tacite notavisti, in memoria recondidisti, quod ego non sobrius, & per jocum dixeram.

2. *Quincunces*. Quincunx est poculum, quinque cyathos continens. Sextarius enim dividebatur in cyathos 12. ut as, qui duodecim in uncias distribuitur: estq; hic poculorum ordo. Sextarius continet cyathos, 12. Deunx, continet, 11. Dextans, decem: Dodrans, 9. Bes, 8. Septuns, 7. Semis, 6. Quincūx, 5. Quadrans, 4. Triens, 3. Sextās 2.

4. *Factam*. Res facta dicitur ea, quæ certo futura sit.

6. *Exemplo, &c.* In quorem fecisti mihi, & aliis periculosam.

Periculoso. Multa enim dicuntur in vino, & inter pocula, unde periculum convivis creari possit: quæ idcirco sunt penitus oblivisscenda. Tum valde periculosum est exigere ab ebrio promissa, cum ebrii facile omnia promittant.

7. Odi memorem convivam, Procille: itaque ne te putes vere invitatum a me: non te vocavi.

XXVII.

In ebriosum.

1. Hesterno fœtere mero, qui credit Acerram,
2. Fallitur, in lucem semper Acerra bibit.

Vers. 1. *Acerram*. Nomen est viri hoc in loco: alias thuribulum significat:

2. *In lucem*. Ideſt, usque in diem. Hesternum convivium nocte inchoatum protrahit in auroram: adeoque hodierno semper mero fœtet,

tet, non tantum heſterno. Sic dum illum videtur excuſare, gravius accuſat. | Qui totos dies potare Acerram credit, fallitur, potat etiam totas noctes.

XXVIII.

In furem alienorum carminum.

1. Fama refert noſtros te, Fidentine, libellos
2. Non aliter populo, quam recitare tuos.
3. Si mea vis dici: gratis tibi carmina mittam.
4. Si dici tua vis; hæc eme, ne mea ſint.

V. 4. *Tua*. Nam quod emas, poſſis dicere jure tuum. lib. 2.

XXIX.

In Imperitum medicum.

1. Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus:
2. Cœpit, quo poterat, clinicus eſſe modo.

Verſ. 1. *Chirurgus*. Is dicitur, qui manu vulneribus facit medicinam: a voce χεὶρ, manus, & ἔργον, opus: quaſi manu exequens. Clinicus eſt chirurgo præſtantior, iſque dicitur, qui aliquid præcipiendo, qui viſendo, ægros curat; a voce κλίνη, lectus, cubile, quia lectis aſſidet, cubilia ægrorum luſtrat. Veſpillo, is vocatur, qui mortuorum cadavera e lectulo effert ad rogum, a voce, veſperi, quia ſub noctem vulgo id fiebat, quaſi veſperillo; veſperillo veſprillo, veſpillo.

2. Ordo eſt; cœpit eſſe clinicus, quo eſſe modo clinicus poterat. Sententiam, & jocum ſic explico: Diaulus e chirurgo fieri clinicus, cum vellet, neque ob ingenii tarditatem eo pervenire poſſet, veſpillonis munus, & nomen ſumpſit, mortuos ſepelire, producere compoſitos in lectulis, cœpit, & ſic clinicus eſt factus aliquo modo, nempe circa lectos verſando, quod faciunt clinici, imo ſepeliendo mortuos, quod interdum medici illi clinici factitant, qui ægrotos ſæpe tollunt, & interficiunt.

XXX.

Ἀντιπάθεια.

1. Non amo te, Sabini: nec poſſum dicere quare,
2. Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Verſ. 1. *Quare.* Amoris & odii quædam ſunt latentes cauſæ, ab antipathia & ſympathia, hoc eſt, naturali quadam animorum conſenſione & repugnantia, ortæ; quas ſentire poſſumus, explicare non poſſumus. Poteſt exponi epigramma ſic: te non amo, neque tamen patitur meus pudor eloqui me odii mei cauſas. Ita eas tacendo innuit.

XXXI.

Ficta lacrima.

1. Amiſſum non flet, cum ſola eſt, Gellia patrem;
2. Si quis adeſt, juſſæ proſiliunt lacrymæ.
3. Non luget, quiſquis laudari, Gellia, quærit:
4. Ille dolet vere, qui ſine teſte dolet.

Verſ. 4. *Sine teſte.* Præſente, & conſcio nemine.

XXXII.

Amor fraternus.

1. Si, Lucane, tibi, vel ſi tibi, Tulle, darentur
2. Qualia Ledæi fata Lacones habent:
3. Nobilis hæc eſſet pietatis rixa duobus,
4. Quod pro fratre mori vellet uterque prior.
5. Diceret infernas & qui prior iſſet ad umbras
6. Vive tuo frater tempore, vive meo.

Verſ. 1. *Si vobis*, o Lucane & Tulle, fratres conjunctiſſimi, daretur divinitus eadem vivendi, & moriendi conditio, quæ Caſtori & Polluci data eſt, Ledæ Lacedemoniæ filiis.

Laconei. Caſtor & Pollux Helenæ fratres, alterni vivebant & moriebantur. Pollux cum immortalis eſſet, quia patrem habebat Jovem, ab eo petiit, ut Caſtor frater, qui mortalis erat (utpote genitus Tyndaro patre, licet ex eadem atque Pollux matre Læda) ſimili gauderet immortalitate. Cum recuſaret Jupiter, ſaltem id exoravit Pollux, ut immortalitatem ſuam cum fratre communicaret, ac partiretur, atque ita viverent, morerenturque alternis diebus.

Quod, &c. Uterque vellet prius, quam alter mori.

5. *Et qui* ∴. Qui prior amborum veſtrum mortuus foret, ille nollet redire ad vitam, ſed ſuum tempus, id eſt, diem ac tempus vivendi ſibi conceſſum, fratri concederet, contentus ipſe numquam vivere, ut frater ſemper viveret: diceret, æternum moriar, o frater, ut tu numquam moriare.

In

XXXIII.

In poetam plagiarium.

1. Quem recitas, meus est, o Fidentine, libellus:
2. Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

Vers. 1. *Recitas*. Poetæ solebant sua carmina, convocatis auditoribus, recitare ad pompam. Vide Epigr. 28. hujus libri.

2. *Tuus*. Quod male recitetur, hoc tuum est: quod bene compositus, meum. Incipit malus videri, ac tuus, cum a te male recitatur.

XXXIV.

Laus Deciani.

1. Si quis erit raros inter numerandus amicos,
2. Quales prisca fides, famaque novit anus;
3. Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Minervæ
4. Artibus, & vera simplicitate bonus:
5. Si quis erit recti custos, imitator honesti:
6. Et nihil arcano, qui roget ore Deos:
7. Si quis erit magnæ subnixus robore mentis:
8. Dispeream, si non hic Decianus erit.

Vers. 2. *Anus*. Vetusta, annosa. Legunt aliqui *avos*: hoc sensu, quales avi nostri fuere.

3. *Cecropiæ*. Atticæ. Cecrops rex primus fuit Athenensium. Minerva Attica, pro græcarum litterarum cognitione ponitur: Latia, pro latina eruditione.

Madidus. Plane eruditus non leviter tinctus litteris: illis omnino imbutus.

5. *Imitator*. Sectator: qui perfectæ virtutis ideam in se conetur exprimere.

6. *Arcano ore*. Tacito voto: idest, improbo. Illi enim clam Deos rogare dicebantur, qui parum honesta poscebant; unde Persius Sat. 2. laudat eos, qui aperto voto vivunt: qui palam a Diis omnia petunt, neq; audiri metuunt. Vide locum in Persio a nobis interpretatione perpetua, & notis illustrato.

7. *Subnixus robore mentis*. Fortis, generosus.

8. Finge tibi virum omni laude cumulatum. Decianum adumbrasti.

XXXV.

In invidum.

1. Qui ducis vultus, & non legis ista libenter:
2. Omnibus invideas, livide; nemo tibi.

Vers. 1. *Ducis*. Adducis in rugas, contrahis frontem, ut solent, qui contemnunt, & indignantur.

Nemo tibi. Nemo miseris invidet: itaque putat, ut sit iste miserrimus. Invidetur tantum bonis, & felicibus.

XXXVI.

In scurram insulsum.

1. Urbanus tibi, Cæcili, videris:
2. Non es, crede mihi: quid ergo? verna es.
3. Hoc quod Tranſtiberinus ambulator,
4. Qui pallentia ſulphurata fractis
5. Permutat vitreis: quod otioſæ
6. Vendit qui madidum cicer coronæ:
7. Quod cuſtos, dominuſque viperarum:
8. Quod viles pueri ſalariorum:
9. Quod fumantia qui tomacla raucus
10. Circumfert tepidis cocus popinis:
11. Quod non optimus urbicus poeta:
12. Quod de Gadibus improbus magiſter
13. Quare deſine jam tibi videri,
14. Quod ſoli tibi, Cæcili, videris;
15. Qui Galbam ſalibus tuis, & ipſum
16. Poſſis vincere Seſtium Caballum.
17. Non cuicumque datum eſt habere naſum:
18. Ludit qui ſtolida procacitate,
19. Non eſt Seſtius ille, ſed Caballus.

Vers. 1. *Urbanus*. Comis, ſalſus, elegans.

2. *Verna es*. Scurra es, verniliter comis, & facetus es. Servus domi ex ancilla natus, verna dicebatur. Illi autem vernæ erant vulgo ſcurræ, ſtolidi, & male dicaces, nihil habebant nativi ſalis, & ingenii.

3. *Hoc quod, &c.* Hoc es, quod ambulator ſeu mercator Tranſtiberinus. Viliſſima hominum genera commemorat, ſolita ſcurriliter jocari, quibus Cæcilium comparat. *Tranſtiberinus*. In regione Urbis poſita trans Tiberim plebecula egens, & circumforanei mercatores degebant. Illi urbem peragrabant venditando viliſſimas merces, & dictis quibuſdam ſcurrilibus emptores aucupando.

4. *Sulphurata*. Sunt ligna tenuja imbuta ſulphure in extremis hinc inde partibus ad ignem e fomite excipiendum: porro qui vendebant hæc ramenta, ea ferme permutabant fractis vitreis.

6. *Cicer*. Legumen eſt e piſorum genere, quod frigebatur, & populo ſpectanti ludos,

dos, vendebatur ad levandam famem, otiumque fallendum. Interdum vendebatur aqua maceratum, ut facilius decoqui posset *Corona* Multitudini.

7. *Custos, &c.* Circulator & præstigiator circumforaneus, qui viperas ostentat populo, a quibus ipse noxie vulneratur, &c.

8. *Pueri.* Servi, aut filii. Salarii sunt, qui salsamenta, ideſt, salitas carnes, divendunt, quod viles mulierculæ vulgo factitant.

9. *Tomacla.* Tomacula, & per syncopen, tomacla, erant farcimina, & intrita quædam e jecore suillo, cum ovis, caseo, &c. quæ fartores & concursantes urbem coqui multo clamore calida, & fumantia. vendebant ganeonibus, in popinis.

11. *Urbicus poeta.* Intelligit histrionum quoddam genus, & poetarum, qui versus pessimos populo decantant in triviis, atque ita captant vulgi aures, quæstus gratia.

12. *Quod de Gadibus.* Gades urbs, & insula est in extrema Hispania, ad meridiem, ad freti Gaditani angustias, *Cadice*: hic parum pudicæ quædam saltationes, & ridiculæ vigebant, ac docebantur a magistris in varias oras inde prodeuntibus.

14. *Videris.* Nimirum politus, & urbanus, ita ut etiam possis, hoc est, putes te posse vincere urbanitate Galbam (famosus fuit scurra Augusti) & Sextium, sive ut quidam legunt, Tertium Caballum, scurram quoque insignem, qui sub Vespasiano, ejusque filiis floruit, & propter dicacitatem, quasi a calcitrando, Caballi cognomen adeptus est.

17. *Habere nasum.* Argute & Urbane jocari. V. Epig. 4.

18. Qui ludos illiberales & facetias procaces stolide ut tu, consectatur, is non est similis Sextio Caballo, scurræ, cui te anteponis: non est Sextius ille cognomento Caballus, facetus, & urbanus scurra; sed est similis dumtaxat caballo, ideſt, equo, est stolida pecus, & Sextii Caballi nihil habet præter dimidiam nominis partem, nempe ut caballus sit.

XXXVII.

Porcia fortitudo.

1. Conjugis audisset fatum cum Porcia Bruti,
2. Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
3. Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
4. Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
5. Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas:
6. I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Vers. 1. *Conjugis.* Bruti, a quo Cæsar percussus, uxor fuit Porcia, filia Catonis Uticensis: ea cum mariti necem accepisset, qui sibi post Philippense prælium violentas

manus attulerat, neque ferri copiam, vel teli haberet, ardentes carbones hausit ore.

4. *Patrem*. Catonem lege Epigr. 10. Ille cum ferro se graviter vulneraſſet, impeditus fuit ab amicis, ne ſe ipſum omnino cõficeret, paſſuſque eſt ab iis vulnus obligari, ac ſomni cupiditate ſimulata, cum eoſdem abire compuliſſet, ſolutis, quibus obligatũ erat vulnus, vinculis, inſerta per illud manu, viſcera ſibi & vitam avulſit.

6. *Moleſta*. Famuli enim gladios illi omnes ſubduxerãt. Poteſt hic verſiculus tribui Porciæ quaſi famulis inſultanti; poteſt etiam poetæ.

XXXVIII.

Convivium jejunum.

1. Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
2. Et poſitum eſt nobis nil here præter aprum.
3. Non quæ de tardis ſervantur vitibus uvæ,
4. Dulcibus, aut certant, quæ melimela favis.
5. Non pyra, quæ lenta pendent religata geniſta:
6. Aut imitata breves Punica mala roſas.
7. Ruſtica lactantes nec miſit fiſcina metas,
8. Nec de Picenis venit oliva cadis.
9. Nudus aper, ſed & hic minimus, qualiſq; necari
10. A non armato pumilione poteſt. (omnes:
11. Et nihil inde datum eſt: tantum ſpectavimus
12. Ponere aprum nobis ſic & arena ſolet.
13. Ponatur tibi nullus aper poſt talia facta:
14. Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

Verſ. 1. 2. Sexagenos ad cœnam invitaſti heri, nihilque dapis appoſuiſti præter aprum.

2. *Here*: Vocabulum vetus pro heri, heſterna die.

3. Uvæ, quæ ſero autumno lectæ, ſervantur.

4. Aut melimela, quæ, cum ipſo melle de ſapore certant: quæ dulci melle dulciora ſunt.

Melimela. Sunt poma quædam exigua, quæ a melleo ſapore μελίμηλα ſunt vocata. *Favi*, ſunt cellæ, & foruli apium, ubi mel condunt: pro melle ipſo hic ſumitur ea vox.

5. *Pendent*. In cellis, & apothecis condita: geniſta, *ginestra*, eſt fruticis genus lentum, & molle, ut ſalix, & ſpartum, unde fiunt nodi, & retinacula.

4. *Punica* mala. Poma granata. Punica vocantur, quia in agro Punico, ideſt, Carthaginenſi, plurima, & inſignia naſcebantur: granata vero, a granis, ſive acinis, quibus referta ſunt. Roſis dicuntur ſimilia, quia flos mali Punici, brevi ſeu exi-

guæ

gux roſæ ſimilis eſt.

7. Non educti ſunt a calatho ruſtico caſei aſſurgentes in metarum, ſeu pyramidum figuram.

Fiſcina. Eſt calathus, ſeu corbis e vimine, quo fere utuntur ruſtici ad fructus & alia id genus ferenda.

Metas lactantes. Caſeos lacte ſtillantes, ab ima parte lata in acumen deſinentes, quæ eſt metæ forma, & inverſi turbinis, ac ſupini. Legunt quidam *lactentes*, quaſi caſeus ipſe lac hauriat, ex eoque conſtet. Puer lactens dicitur, mater lactans: quia hæc lac donat, quod fugit puer.

8. *Picenis*. Ager Picenus eſt in Italia ad oram maris Adriatici, ubi nunc *Ancona*, Lauretum. *La Marca d'Ancona*: ibi olivæ præſtantes, in cadis condi ſolitæ, & Romam deportari.

9. *Nudus*. Sine condimento, vel ſine aliis obſoniis, & cibis, eſt appoſitus.

10. *Pumilione*. Homine nano, eoque inermi.

11. *Inde*. Ex apro.

12. *Arena*. Amphitheatrum, in quo apri ſæpe ſpectabantur, & aliæ feræ cum hominibus, aut inter ſe certantes. Spectaculum dedit nobis aper tuus, non convivium. De voce *arena* vide librum Spect. Epigr. 8.

14. Sed tu objiciaris apro, cui expoſitus eſt Charidemus, nempe devorandus. Iſte ſcilicet Charidemus a Domitiano objectus apro in arena paulo ante fuerat, ob ſua ſcelera.

XXXIX.

Ad lectorem faſtidioſum.

1. Laſcivos leporum curſus, luſuſque leonum
2. Quod major nobis charta, minorque gerit:
3. Et bis idem facimus: nimium ſi, Stella, videtur
4. Hoc tibi: bis leporem tu quoque pone mihi.

Verſ. 1. 2. Quod in quolibet meo libro ſive majori, ſive minori, deſcribo leporum cum leonibus ludentium petulantes curſus, & bis idem tracto argumentum, ſi tibi videtur faſtidioſum, o Stella, ulciſcere me, voca me ad cœnam, & bis leporem mihi appone; non faſtidiam. 2. *Major charta*. Videtur ea vox indicare hunc primum librum, in quo plura ſunt Epigrammata; minor vero charta, librum de ſpectaculis, in quo ſunt pauciora.

XL.

De libro ſuo.

1. Edita ne brevibus pereat mihi charta libellis;
2. Dicatur potius τὸν δ' ἐσαμείβομενος.

Verſ.

Verſ. 1. Ne papyrus in edito jam & compacto brevi libello Epigrammatum, vacua & inutilis ſuperſit, malo ineptum aliquid potius quam nihil ſcribere, quam pati ut papyrus pereat, itaque ad verſum faciendum hemiſtichium illud Homericum pono, τὸν δ' ἀπαμείβετο μῦθος, ideſt, *Illi autem reſpondens*.

2. *Potius, &c.* Videtur illos arguere ſcriptores, qui ut faciant librum, vel augeant ſaltem; apta, inepta, ſcribunt; aut etiam carpere Homerum, qui ad nauſeam iſtas voces reperere ſolet, τὸν δ' ἀπαμείβετο μῦθος.

XLI.

De medico imperito.

1. Nuper erat medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus:
2. Quod veſpillo facit, fecerat & medicus.

Verſ. 1. *Veſpillo.* Quid ſit hoc nominis, vide Epigr. 29. Jocus eſt. Cum eſſet medicus Diaulus occidebat ac tollebat ægrotos, eoſdem nunc veſpillo factus ad rogum effert, quod eſt ſimillimum: utrobiq; ipſi cum mortuis res eſt; hic ſepelit, illic interficiebat: medicus ægrotos debebat neci; veſpillo, eoſdē mortuos terræ mandat.

XLII.

Luſus leporum, & leonum.

1. Rictibus his tauros non eripuere magiſtri,
2. Per quos præda fugax itque reditque lepus.
3. Quodque magis mirum, velocior exit ab hoſte,
4. Nec nihil a tanta nobilitate refert.
5. Tutior in ſola non eſt cum currit arena.
6. Nec caveæ tanta conditur ille fide.
7. Si vitare canum morſus, lepus imbrobe, quæris
8. Ad quæ confugias ora leonis habes.

Verſ. 1. Magiſtri leonum non potuerunt eripere tauros eorumdem leonum rictibus & dentibus, per quos tamen rictus, lepores timidi impune commeant, & innoxii fugiunt, iiſque elabuntur.

3. 4. Lepores ab leonum ore velociores fugiunt, & celeritatem ac robur, imo nobilitatem & gloriā, videntur ab tam nobili fera reportare, accipere. Legunt aliqui *mobilitate*, eritque hæc ſententia; quo velocius per aperta leonum ora curſitant, eo minus læduntur. Itaque ſua ipſis velocitas utilis eſt.

5. Non ſunt tutiores lepores, cum in arena ſoli ſunt, aut

aut conditi in cavea.

6. Caveæ. Cavea eſt locus in quem abduntur feræ ut ſerventur: antrum & receptaculum, ſeptum ligneum, ubi aluntur, continentur. Fidelis cavea hic dicitur, quia feras cuſtodit, tutaſque præbet. Cavea etiam dicebatur amphitheatri ſolum. Vide librum Spect. Epig. 8.

7. Deinceps, o feſtivi lepores, cum vos canes perſequentur, ad leones confugite. Acumen eſt in eo, quod leo crudelis fera ſit, & longe fortior canibus, a quibus lepores capiuntur, qui leo tamen lepori perfugium præbere dicatur.

XLIII.

Amicum in Hiſpaniam proficiſcentem ad vitam ruſticam, & genialem hortatur.

1. Vir Celtiberis non tacende gentibus,
2. Noſtræque laus Hiſpaniæ,
3. Videbis altam, Liciniane, Bilbilim,
4. Aquis & armis nobilem,
5. Senemque Caunum nivibus, & fractis ſacrum
6. Vadaveronem montibus,
7. Et delicati dulce Botrodi nemus,
8. Pomona quod felix amat.
9. Tepidi natabis lene Congedi vadum,
10. Molleſque Nympharum lacus,
11. Quibus remiſſum corpus aſtringas brevi
12. Salone, qui ferrum gelat.
13. Præſtabit illic ipſa figendas prope
14. Voberca prandenti feras.
15. Æſtus ſerenos aureo franges Tago,
16. Obſcuris umbris arborum.
17. Avidam rigens Dircenna placabit ſitim,
18. Et Nutha quæ vincit nives.
19. At cum December canus, & bruma impotens
20. Aquilone rauco mugiet,
21. Aprica repetes Tarraconis littora,
22. Tuamque Laletaniam.
23. Ibi illigatas mollibus damas plagis.
24. Mactabis, & vernas apros,
25. Leporemque forti callidum rumpes equo,
26. Cervos relinques villico.
27. Vicina in ipſum ſylva deſcendet focum.

28. In

28. Infante cinctum fordido.
29. Vocabitur venator, & veniet tibi
30. Conviva clamatus prope.
31. Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
32. Olidæque vestes murice:
33. Procul horridus Liburnus, & querulus cliens,
34. Imperia viduarum procul.
35. Non rumpet altum pallidus somnum reus,
36. Sed mane totum dormies.
37. Mercetur alius grande, & insanum sophos:
38. Miserere tu felicium:
39. Veroque fruere non superbus gaudio,
40. Dum Sura laudatur tuus.
41. Non impudenter vita, quod reliquum est, petit,
42. Cum fama, quod satis est, habet.

Vers. 1. O Liciniane, qui merito prædicaris a Celtiberis. Celtiberi sunt Hispaniæ Tarraconensis populi, a Gallis circa Garumnam positis, qui Celtæ vocabantur, oriundi, qui cum venissent ad Iberum Hispaniæ flumen, ibique consedissent, addiderunt suo nomini, fluminis, juxta quod consederant, nomen, & Celtiberi sunt vocati. Nunc magna est pars Arragoniæ, & Castellæ.

3. *Bilbilim*. Urbs fuit olim Hispaniæ, in Celtiberis, patria Martialis: nunc pagus *Banbola*, seu *Bambola*. Prope veterem bilbilim pridem excisam, condita est urbs, quæ appellatur *Calatajud*, quæ Bilbilis nova dici potest.

4. *Aquis*. Alluit Bilbilim Salo fluvius, *Xalon*, cujus aquæ ferrum & gladios durant. Sane in Itinerario Antonini fit mentio aquarum Bilbilitanarum, quas oportuit fuisse fontes prope hanc urbem inclytos aliqua dote. Malit legere Scriverius *Equis & armis* .... alit enim Hispania equos optimos: & equis magis cum armis convenit, quam aquis.

Armis. Bilbilitani ceteris Hispaniæ populis præstabant in cudendis armis ferreis, in tingendis gladiis, & veterem adhuc famam retinere dicuntur.

5. *Senem*. Albicantem, candidum nivibus. Cavnus est mons Arragoniæ ad Septentrionem, versus Castellæ veteris fines, sex leucis distans ab Ibero fluvio, nunc *Moncayo* dicitur. Sunt qui legant *sterilemque Calvum nivibus*, &c. Sed ubi mons ille sit, & cui veterum notus, non explicant.

Et fractis .... Et montem Vadaveronem ab reliquis montibus separatum. Sacros putabant esse montes, ac multi cuipiam Deo consecrati erant. Vocatur iste mons nunc *Vadavicor*.

7. Be-

7. *Botrodi*. Eſt oppidum hoc in eadem Celtiberia, nemore, ac pomario inclytum. *Delicati*. Deliciis pleni; quippe quod arboribus, umbris & fontibus abundat.

8. *Pomona*. Dea hortorum præſes & fructuum, a pomis dicta.

9. Natationi dabis operam in fluvio Congedo leniter fluente, ac ſolibus æſtivis tepido. Sunt qui legant *Tepida natabis luce Congedi vada. Tepida luce*, ſub meridiem, cum aqua, ſolis calore tepefacta, natationi eſt aptior. Vocatur hodie Congedus, ſive Cogedus, *Rio di Codes*, vel *Congedo*, & in Salonem influit.

10. *Nympharum*. Lacus enim Nymphis erant ſacri.

11. Quibus lacubus tepidis & Congedo ſolutum, & quaſi laxatum corpus, refrigerabis, & aqua Salonis conſtringes; frigus poros corporis claudit, & omnia contrahit. Salonis autem fluvii aqua frigidior eſt.

Brevi. Tenui, non alto, ſeu qui non longo ſpatio volvitur. Poteſt etiam ea vox *brevi*, exponi brevi tempore, ſtatim refrigerabis corpus aqua Salonis, cum æſtuabis.

12. *Gelat*. Salonis aqua egregia eſt ad tingendum ferrum & laminas enſium.

13. Ipſa Voberca (oppidum ſeu vicus Hiſpaniæ *Bobierca* & *Bubierca*, in finibus Celtiberorum) circumſepta ſilvis, præſtabit ac offeret figendas tibi prandenti feras, ac prope manu prehendendas, tanta eſt earū tibi copia, ut in ipſas villas confluant.

15. Calores æſtivos, qui ſereno cœlo ſunt majores, mitigabis merſo in aquis Tagi corpore, tectus & latens ſub arboribus ad ripam conſitis. Tagus, *Tajo*, fluvius Hiſpaniæ celeberrimus, oritur in Caſtella nova, & duabus infra Ulisipponem leucis Oceano miſcetur; aureas arenas dicitur volvere.

17. *Dircenna*. Fons frigidiſſimus: item Nutha. *Vincit nives*, frigidior eſt nivibus.

19. *Canus*. Albus propter nives. *Bruma impotens*. Sæva propter modum.

21. Secedes Tarraconem, urbem cœlo temperato, & clementi ſubjectam. Eſt in ora Catalauniæ, inter Barcinonem & Dertuſam: nunc *Tarragona*.

Aprica. Locus apricus dicitur, qui eſt ſoli expoſitus.

22. *Luletaniam*. Eſt Hiſpaniæ regio. Vid. Ep. 25. nunc magna pars eſt Catalauniæ.

24. *Vernas apros*. Quaſi indigenas domique natos. De Vernis Vide Epigr. 36. *Plagis* retibus.

25. *Rumpes*. Dilaniabis, perimus; vel, ejus curſus, quos callide diſſimulat, variatq; ad fallendos venatores, equo celeri antevertes, & illius technas ſolves, irritas facies: vel denique defatigabis: venatores interdum leporem necari non ſinunt, ſed currendo delaſſant.

26. *Relinques villico*. Mactandos videlicet, quia caro cervina eſt inſulſa, & deterior leporina, ideoque ruſticis aptior cibus.

27. *Silva*. Ligna vicinæ ſilvæ quaſi ſua ſponte focum agreſtem inſtruent; facile domum portabuntur.

28. *Sor-*

28. *Sordido*. Villici filio pannoso, & squallido.

30. *Clamatus*. Vicinus venator a te voce accitus veniet, ut tecum prandeat. neque servo erit opus ad eum invitandum, quem, utpote vicinum, ipse voce tua poteris vocare, & e propinquo inclamare.

31 *Lunata*.... Non erunt in tuo convivio viri nobiles, & senatores, quibus morem gerere oporteat. Senatores orti e centum primis senatoribus, a Romulo creatis, calceos gerebant aluta, seu pelle agnina tectos, iisque adsuebant imaginem lunæ crescentis, quæ etiam est nota numeri centenarii, ut indicarent se oriundos e centum primis illis senatoribus a Romulo creatis. De calceis illis lunatis consule, Epigr. 26. lib. 2.

Toga. Vestis erat Romanorum propria, maxime clientium, qui cum patronos assectarentur, salutarent, &c. togati apparebant. Toga igitur pro togatis clientibus hic sumitur.

32. *Murice*. Purpura. Proprie murex est piscículus, a cujus succo, vel sanguine fit Purpureus color: *olidæ*; quia panni recens infecti, vel bis tincti gravius olent.

33. *Liburnus*. Servus publicus, lector, præco: tales enim fere oriundi erant e Liburnia, quæ est regio Illyrici inter Istriam, & Dalmatiam ad sinum Adriaticum, erantque valentes, proceri, & ut ait hic poeta, horridi, hoc est, truces, feri, odiosi.

Querulus. Quia multa postulabant a patronis, vestes, cibos, &c. Cliens apud Romanos erat homo fere plebejus, qui se in tutelam potentioris conferebat, & quem colebat, ut patrem.

34. *Viduarum*. Viduas imperiosas, & arrogantes. Viduæ, divites, & orbæ colebantur ab heredipetis, qui multas ab iis molestias devorare cogebantur: describit his versibus urbanam vitam, & ejus incommoda.

35. *Reus*. Vel cliens, vel alius quilibet, qui te consulat, anxius de suæ causæ eventu. Reus est, quicumque in jus vocatur, cujus res agitur.

37. Alii acclamationes, & plausum emant Popularem magno pretio: tu felices illos, qui appellantur, miseros (ut revera sunt) puta, eorumque felicitatem dignam commiseratione existima, qui tanto labore gratiam populi, rem tantillam, mercantur.

Sophos. Gloriam, famam. Vide Epigr. 4. ubi ea vox explicatur. *Insanum*. Ingens, ridiculum.

39. *Non superbus*. Ab omni ambitione disjunctus *Vero gaudio*. Quod in tranquillitate animi, & quiete positum est.

40. *Sura*. Nobilis causidicus, amicus Liciniani.

41. 42. Qui famam, & gloriam satis magnam est consecutus, potest ille jure, quod vitæ reliquum est, genio, dare, ac voluptati. Cum famæ satis est consultum, ratio habeatur valetudinis, & vitæ.

Jocus

XLIV.

Jocus in cocum, ex Homero.

1. Si tibi Miſtyllus cocus, Æmiliane, vocatur,
2. Dicetur quare non Taratalla mihi?

Verſ. 1. *Myſtillus*. Eſt in Homeri Iliade verſus ejuſmodi græcus, lib. 1. verſ. 465. Μυστυλλὸν τ' ἄρα τ' ἄλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν. *Secabant alia (fercula) in fruſta, & veruibus figebant.* Æmilianus joco, ſuum cocum vocabat Myſtillum: dicit illi Martialis ſe eodem jure poſſe ſuum cocum vocare Taratallam: quam vocem format e tribus voculis in Homeri verſ. allato, proxime poſt μυστυλλον ſequentibus, τ' ἄρα τ' ἄλλα.

XLV.

Lepus leonem fugiens.

1. Non facit ad fævos cervix niſi prima leones,
2. Quid fugis hos dentes ambitioſe lepus?
3. Scilicet a magnis ad te deſcendere tauris,
4. Et, quæ non cernunt, frangere colla velint,
5. Deſperanda tibi eſt ingentis gloria fati
6. Non potes hoc tenuis præda ſub hoſte mori.

Verſ. 1. Non decet leones alia præda quam vaſta, immanis: non conveniunt leoni feræ, niſi quæ habeant cervicem ingentem, ut tauri, apri, &c. *Prima cervix*. Cervix primarum, & nobilium ferarum.

2. *Ambitioſe*. Quaſi ambias gloriâ pereundi a leone provocando illum tua fuga, ut te perſequatur, & enecet.

3. *Ad te deſcendere*. Abjicere ſe ad ignobilem prædam, relicta nobiliori.

4. *Non cernunt*. Ob exiguitatem, vel, quæ deſpiciunt.

5. *Fati*. Mortis glorioſæ quam tibi a leone inferri expeteres.

XLVI.

Libros ſuos Quinctiano commendat.

1. Commendo tibi, Quinctiane, noſtros,
2. Noſtros dicere ſi tamen libellos
3. Poſſim, quos recitat tuus poeta.
4. Si de ſervitio gravi querantur.

5. Aſ-

5. Assertor venias, satisque præstes;
6. Et, cum se dominum vocabit ille,
7. Dicas esse meos, manuque missos.
8. Hoc si terque, quaterque clamitaris;
9. Impones plagiario pudorem.

Vers. 3. *Tuus Poeta*. Fidentinus, qui eos mihi subripuit, ac recitat, ut suos. *Tuus*, tibi notus, familiaris.

4. Si mei libelli quæruntur se in servitutem redigi a Fidentino, cum sint liberi: tu eos defende esse liberos, asseve, ac vendica: imo da prædes, quibus illis cautum sit.

5. *Assertor*. Est vindex, liberator, seu defensor, & testis alienæ libertatis.

Satis præstes. Præstare satis, sive satisdare, in jure, est dare prædes, seu fidejussores, & sponsores, qui negotii periculum in se suscipiant, qui creditorem securum præstent, *far sicurtà*.

6. *Dominum*. Ad quem versus mei pertineant, tanquam sui.

Manumissos. Qui donabantur libertate, manu a domino tenebantur, circumagebantur, & emittebantur e manu, liberique pronunciabantur: hinc ea vox, manumitti, est, donari libertate.

9. *Plagiario*. Ita dicitur, qui hominem aliquem liberum, emit invitum, aut vendit, aut pro servo tenet. Facta vox a plagis, quod qui hujus criminis convicti essent, damnarentur plagis, lege Fannia. Transfertur ad eos, qui res alias furantur, pro suis vendicant, ac retinent sibi.

XLVII.

In poetam plagiarium.

1. Una est in nostris tua, Fidentine, libellis
2. Pagina, sed certa domini signata figura:
3. Quæ tua traducit manifesto carmina furto.
4. Sic interpositus villo contaminat uncto
5. Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus;
6. Sic Aretinæ violant crystallina testæ.
7. Sic niger, in ripis errat cum forte Caystri,
8. Inter Ledæos ridetur corvus olores:
9. Sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,
10. Improba Cecropias offendit pica querelas.
11. Indice non opus est nostris, nec vindice libris:
12. Stat contra, dicitque tibi tua pagina, fures.

Vers. 1. In nostris epigrammatum libellis, quæ tu describere soles, ac recitare pro tuis, una est pagina tua, id-

ſideſt, a te ſcripta. Exſcribebat Fidentinus epigrammata Martialis, & pro ſuis venditabat: ne furtum vero pateret, quædam a ſe compoſita illis inſerponebat.

2. Sed illa pagina certo quodam indicio ſatis oſtendit, quis ejus auctor, & dominus ſit, nempe ſe prodit eſſe tuam, quia inepte eſt ſcripta & illepide,

3. Quæ tua carmina ridenda exponit, ob furtum manifeſtum.

Traducit. Traducebantur proprie ſceleratí cum trans urbem, aut per arenam ducebantur, ut eſſent omnibus ſpectaculo & ludibrio: hinc verbum *traduco*, ſæpe ſumitur pro, irrideo, ridendum propono, palam accuſo.

4. 5. Sic bardocucullus, quo Lingones, populi Galliæ, utuntur, ſi inter veſtes urbanas Tyrianthinas miſtus & interpoſitus appareat, videtur eas villo ſuo craſſo & uncto inquinare. Sic, inquam, ſordent tua carmina meis interjecta, pulchris ſordida, uncta nitidis.

Villo. Villi pili ſunt, ſeu fila, e quibus panni conſtant. Legitur alicubi, *filo*.

Urbica. Urbana, Romana.

Bardocucullus. Bardi erant Gallorum cantores & poetæ, ſeu philoſophi imprimis eruditi, Marcellino teſte; qui hac veſte utebantur: habebat illa quoddam capitis tegumen, qui cucullus a forma vocabatur. Nam proprie cucullus eſt papyraceum involucrum, quo pigmentarii utuntur. Quod ſi ea veſtis careret cucullo, dicebatur Bardiacus. Scriverius e bonis libris ita legit, *ſic inter poſito bilis contaminat unco*, *&c.* Nam cucullus acutus erat inſtar metæ, idemque longior, unde incurvabatur & uncum repræſentabat, ut longioribus cucullis contingit, cum extrema pars a capite in ſcapulas recidit.

Tyrianthina. Vox ea componitur ex Τύριος, Tyrius; ἰοβαφὲς, viola purpurea: eſt igitur Tyrianthinum veſtimentum confectum e purpura violacei coloris.

6. Sic teſtæ ex argilla Aretina (Aretium Italiæ oppidum, *Arezzo*, in Thuſcia) factæ, ſi comparentur cum vaſis cryſtallinis, ſordent, & illa fœdant.

7. *Cayſtri*. Cayſter Aſiæ minoris fluvius, cycnis abundans, per Lydiam labitur: nunc vocatur *Chiay*.

8. *Ledæos*. Quia Jupiter ſub forma cycni venit ad Ledam Caſtoris, & Pollucis matrem.

9. Sic, ubi nemus aliquod ſacrum reſonat philomelarum cantibus, earum dulces querelas pica offendit, turbat, corrumpit. *Multiſona*. Multam & variam vocem habente.

Atthide. Attica: ſubaudi, alite: ſignificatur Philomela Pandionis regis Athenienſium filia: Cecropia dicitur, ideſt, Athenienſis, a Cecrope rege primo Athenienſium. Ejus cantus querelæ appellantur, quia videtur adhuc queri de injuria ſibi a Tereo rege illata. Vid. l. 5. Epig 61.

11. 12. *Indice*. Qui oſtendat eos eſſe meos: accuſatore. *Vindice*, qui aſſerat eoſdem in libertatem. (Vide Epig. 46.) tua carmina meis

a te inferta, & illis diſſimillima, me tacente, ac nemine inclamante; furem te ſatis clamant.

XLVIII.

De amicorum delectu.

1. Si quid: Fuſce, vacas adhuc amari;
2. (Nam ſunt hinc tibi, ſunt & hinc amici)
3. Unum ſi ſupereſt, locum rogamus:
4. Nec me, quod tibi ſim novus, recuſes.
5. Omnes hoc veteres tui fuerunt,
6. Tu tantum inſpice, qui novus paratur.
7. An poſſit fieri vetus ſodalis.

Verſ. 1. Si vacat adhuc apud te locus novo amico: ſi adhuc amari potes ab aliis novis amicis. *Fuſce.* Cornelius Fuſcus præfectus cohortium prætorianarum ſub Domitiano fuit, magnæ apud principem auctoritatis. 5. *Hoc fuerunt.* Novi ſcilicet, ut ego.

XLIX.

Se privata vita, & modicis opibus contentum eſſe.

1. Vota tui breviter ſi vis cognoſcere Marci,
2. Clarum militiæ, Fronto, togæque decus:
3. Hoc petit: eſſe ſui, nec magni ruris arator,
4. Sordidaque in parvis otia rebus amat.
5. Quiſquam picta colit Spartani frigora ſaxi,
6. Et matutinum portat ineptus Ave;
7. Cui licet, exuviis nemoris, ruriſque beati,
8. Ante focum plenas explicuiſſe plagas!
9. Et piſcem tremula ſalientem ducere ſeta,
10. Flavaque de rubro promere mella cado:
11. Pinguis inæquales onerat cui villica menſas,
12. Et ſua non emptus præparat ova cinis.
13. Non amet hanc vitã, quiſquis me non amat, opto:
14. Vivat, & urbanis albus in officiis.

Verſ. 1. 2. Si reſcire vis quid optem ego, Marcus Val. Martialis tuus amicus, o Fronto, domi, foriſque, belli & pacis artibus, inclyte. *Fronto.* Vir fuit cum multis rebus præclare geſtis, tum ſingulari in eruditos, & libe-

literatos amore clarus.

3. *Sui*. Ad ſe pertinentis: cujus ſit dominus: optat agrum colere, non ita quidem magnum, ſed ſuum.

4. *Sordida otia*. Sine cultu & ſplendore urbano: *in parvis rebus*, in re familiari anguſta & tenui.

5. 6. Eſſene quemquam adeo mente captum, ut colere amet viros nobiles in marmoreis ædibus habitantes, eoſque mane ſalutare magno labore; ſi poſſit ille, ſi ſatis opum habeat, ut poſtquam feras captas in ſuo nemore incluſit retibus, ea retia explicet, exoneret, domi ſuæ ante focum ſedens, &c. Ordo eſt, cui licet explicare ante focum plagas plenas exuviis ruris & nemoris beati. Eſt qui legat beato: ideſt, cui beato exuviis, abundanti ſpoliis ruris.

Spartani. Marmor Spartanum ſeu Laconicum laudabatur: Sparta, urbs Peloponneſi primaria fuit, in Laconia regione: Eadem Lacedæmon dicta eſt, nunc vocatur *Miſitra*. Eſt autem marmor frigidiſſimum; idem vulgo eſt pictum venis variis, & maculoſum. Itaque, *picta frigora Spartani ſaxi*, intellige domum ornatam marmore frigido, & variis coloribus diſtincto.

9. *Seta*. Linea piſcatoria quæ ſæpe fit e ſetis equinis. *Salientem* palpitantem.

11. *Inæquales*. Modo lautiores, modo tenuiores: vel, non æque ab omni parte fultas; v.g. ſi ſit (ut in Baucidis menſa. Ovid. 8. Met.) pes tertius impar, & teſta parem faciat. Vel impolitas, non dolatas manu artificis.

12. *Non emptus* Factus e lignis non emptis. *Sua*, quia ova calido cinere & modico igne melius coquuntur vel, domi nata, non aliunde quæſita.

14. *Albus*. Vel pallidus & anxius, in urbanis muneribus & curis: vel albatus, hoc eſt, indutus veſte candida, ad ſalutandos officioſe, & colendos patronos: quia clientes alba toga utebantur ad officia patronis præſtanda: vel denique, candida facie, non fuſca, ut ruſticorum eſt.

L.

In cauponem.

1. Continuis vexata madet vindemia nimbis;
2. Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum.

Verſ. 1. 2. *Merum*. Ludus eſt in hac voce, quæ vinum ſignificat non dilutum aqua. Vinum igitur aqua cœleſti & imbribus ita temperatum eſt, ut illud non poſſit purum vendi. *Ut cupias*, quamvis cupias: quæ ſane ironia lepida eſt, in cuponem ſolitum vino aquam admiſcere, & minime cupientem merum vendere.

Lau-

L I.

Lauta balnea, jejuna cœna.

1. Dat Bajana mihi quadrantes ſportula centum,
2. Inter delicias quid facit iſta fames?
3. Redde Lupi nobis, tenebroſaque balnea Grylli:
4. Tam male cum cœnem, cur bene, Flacce, lavor?

Verſ. 1. 2. Cum te, o Flacce, ad Bajana balnea patronum cliens ſequor, das mihi ſportulam, in qua numerantur centum quadrantes; quæ ſumma pecuniæ non ſufficit ad levandam famem: quid juvat me eſurientem locus deliciarum plenus?

Bajana. Bajæ, Bajarum, *Baja*; locus amœnus in campano littore, juxta Lucrinum ſinum, inter Puteolos & Miſenum montem, ibi aquæ calidæ, & celebrata erant balnea.

Sportula. Eſt vas vimineum e ſparto, in quo cibi, pecunia, &c. feruntur. Vulgo apud Romanos vox ea ſignificabat cibos, quos clientibus patroni dividebant e ſua menſa: id vero cum viſum eſſet moleſtum patronis divitibus, illi pro cibis in dies ſingulos dederunt centum quadrantes, quæ ſumma redit ad aſſes viginti quinque pecuniæ Gallicæ, & ad tres Julios cum dimidio Romanæ, eſt autem quadrans quarta pars Romani aſſis, tres unciæ.

2. *Fames.* Inopia, ægre ſufficiens ad tollendam famem.

3. 4. Reduc me Romam, & patere, ut ibi laver cum populo promiſcue in vilibus, ac tenebricoſis Lupi, & Grilli balneatorum balneis: non amo egregia balnea, & cœnam jejunam: malim optime cœnare, & peſſime lavari.

L II.

De lepore, & leone.

1. Intres ampla licet torvi lepus ora leonis,
2. Eſſe tamen vacuo ſe leo dente putat.
3. Quod ruet in tergũ, vel quos procũbet in armos?
4. Alta juvencorum vulnera figet ubi?
5. Quid fruſtra nemorum dominũ, regemque fatigas?
6. Non niſi delecta paſcitur ille fera.

Verſ. 3. 4. Tu nullum habes prope tergum, nullos armos, in quos ruat leo; quæ pars in te reperietur, in qua poſſit alta vulnera facere, & dentes figere, quo pacto ſolet

let infigere juvencis, nempe lacerando tota membra?

Vide Epigram. 42.

6. *Delecta* Insigni, magna.

LIII.

Laus poetarum aliquot, maximi Hispanorum.

1. Verona docti syllabas amat Vatis;
2. Marone felix Mantua est:
3. Censetur Apona Livio suo tellus,
4. Stellaque, nec Flacco minus:
5. Apollodoro plaudit imbrifer Nilus,
6. Nasone Peligni sonant.
7. Duosque Senecas, unicumque Lucanum,
8. Facunda loquitur Corduba.
9. Gaudent jocosæ Canio suo Gades,
10. Emerita Deciano meo:
11. Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
12. Nec me tacebit Bilbilis.

Vers. 1. *Verona*. Urbs Italiæ, item Mantua. *Veronæ, Mantuæ.*

Docti vatis. Catulli; natus est Veronæ anno ab U. C. 667. Vide Epigr. 8. hujus libri, & 177. lib. XIV.

Syllabas. Versus, quorum ratio syllabis constat, & certa illarum mensura.

2. *Marone*. Virgilius natus est in vico, qui Andes vocabatur, non procul Mantua, anno ab Urbe condita 684.

3. *Censetur*. Æstimatur, laudatur. Illi apud Romanos censeri dicebantur, qui profitebantur apud Censorem nomen suum, genus, tribum, liberos, maxime vero suas opes, & rem familiarem, quæ proprie vocabatur census; quibus nihil erat pecuniæ, pauperes, capite censori dicebantur, quia nihil præter seipsos in censum referebant, cum divites, alius trecentis millibus nummum, alius sexcentis, alius pluribus, paucioribusve censerentur. Hinc ortum est, ut aliquis aliqua re, ac dote censeri dicatur, qua excellit, ac præstat, ut virtute, forma, &c. Sic Patavium censetur Livio. Scripsit T. Livius Romanam historiam stylo amplo, & eleganti. Floruit sub Augusto, & Tiberio: ediderat libros 142. Supersunt tantum 35. Est in illo ubertas, amplitudo, & lactea eloquentia.

Apona tellus. Patavina regio: sic appellatur a fonte prope Patavium. *Padova*, qui dicitur Aponus; *Abano*.

4. Nec minus laudatur ob Titum Livium Patavina regio, gloriaturque duobus summis poetis, Stella, & Flacco, qui indidem orti sunt. Stellæ opera non extant. Valerius Flaccus scripsit

octo libros Argonauticon. Campanus fuit, ex urbe Setia in Italia. Opus suum Vespasiano dedicavit.

5. *Apollodoro*. Nobili poetæ comico, Alexandrino, Menandri æmulo.

Imbrifer. Qui toti Ægypto loco est imbrium: illi enim vix umquam in Ægyptum decidunt, sed Nilus exundans totam irrigat.

6. *Peligni*. Populi Italiæ, ubi Sulmo urbs, Ovidii patria. Vide Epig. 25.

7. *Senecas*. M. Annæum Senecam, qui rhetor insignis extitit, & ejus filium L. Annæum Senecam, qui philosophus est dictus, ac tragœdiarum, ut quidam volunt, scriptor fuit. Vide lib. 4. Epist. 32.

Lucanum. Senecæ philosophi ex fratre nepos fuit. Historiam belli civilis Cæsarem inter, & Pompejum, versu scripsit. Perire jussus a Nerone, cui propter æmulationem artis poeticæ invisus erat, sibi venas incidit. Ejus poesis tumidior est, & ambitiosior; licet plerumque acris, & ingeniosa.

8. *Corduba*. Urbs Hispaniæ. *Cordova*.

9. *Jocosa*. Quia saltationi, & choreis dediti erant Gaditani. Sunt autem Gades urbs, & insula in extrema Hispania prope Africam, in freto Gaditano. *Cadice*. vide Epig. 36.

10. *Emerita*. Emerita augusta, urbs Lusitaniæ, nunc *Merida*. Decianus autem iste fuit Stoicus Philosophus, de quo agit Epig. 9. de urbe Bilbili, vide Epigr. 43.

LIV.

Hominum frequentia periculosa.

1. Casta, nec antiquis cedens Levina Sabinis,
2. Et quamvis tetrico tristior ipsa viro:
3. Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno;
4. Et dum Bajanis sæpe fovetur aquis:
5. Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto,
6. Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Vers. 1. *Sabinis*. Mulieres Sabinæ olim laudabantur ob castimoniam.

2. *Tristior*. Alienior a jocis & deliciis, quam vir suus severus homo, & austerus.

3. Dum navigat modo in Averno lacu, modo in Lucrino. Est uterque lacus in Campania Italiæ; Avernus Cumis, Bajisque proximus, appellatur hodie *lago d'Averno*, vel di *Tripergola*. Lucrinus inter Puteolos, & Bajas, olim erat celebris, sed terræ motu anno 1538. absorptus est: restat tantum lutosa palus, & vocatur *Mare Morto*.

4. Dum utitur sæpe Balneis tepidis Bajanis. De Baiis paulo ante dictum Epig. 51.

5. *Flammas*. Amoris inhonesti. Flammas aquis opponit.

6. *Penelope venit*. Tam casta,

sta, quam Penelope Ulyssis uxor, quæ, cum, ejus vir longo errore jactatus, domum non rediret, licet a sexcentis procis sollicitata, fidem tamen marito, pudicitiamque servavit.

Helene. Impudica, similis Helene, quæ Menelaum regem Laconum, maritum suum reliquit, ut Paridem, filium Priami regis Trojæ, qui tum forte a Menelao susceptus hospitio fuerat, sequeretur: quæ causa Trojani belli fuit.

LV.

Auditor improbus.

1. Ut recitem tibi nostra rogas epigrammata, nolo;
2. Non audire, Celer, sed recitare cupis.

Vers. 2. *Sed recitare*. Vis illa idcirco audire, ut retineas memoriam, tum aliis, quasi tua essent, recites: vel, non mea vis audire, sed habere causam recitandi tua.

LVI.

Laus suspiciosa.

1. Bella es; novimus: & puella; verum est:
2. Et dives; quis enim potest negare?
3. Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
4. Nec dives, neque bella, nec puella es.

Vers. 1. *Bella*. Venusta: bellus quidem minus est pulchro. Vide Epigr. 10.

4. *Nec dives*, &c. Facis nimium te laudando, & tuas divitias, formam, castitatem prædicando, ut eas in te dotes inesse non credamus. Qui se nimium laudat ac venditat, videtur sibi defensionem parare, ac suis rebus diffidere.

LVII.

In Cæcilianum ficosum.

1. Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
2. Et dici ficos, Cæciliane, jubes.
3. Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
4. Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Vers. 1. Cum ego vocem hanc *ficus* pluralis numeri posui in quarta declinatione, me rides quasi loquar barbare, & parum latine, visque dici ficos, quasi vox ficus

cus esset tantum secundæ declinationis. Ego vero tibi respondeo vocem illam, ficus, cum significat fructum qui ex ficu arbore nascitur, esse recte, ac dici in quarta declinatione: at cum significat morbum turpem, qui tuus est, quo tu laboras, esse ordinis secundi: Dicimus igitur ficus arboreas, & tuos ficos.

Ficus. Significat ea vox notam arborem, ejusque fructum; item morbum seu vitium corporis ex intemperantia ortum, quando intumescit caro, & instar ficus excrescit; quo morbo qui laborant, ficosi appellantur. Cum arborem, & fructum ejusdem arboris significat: est promiscue quartæ, aut secundæ declinationis; cum vero morbum, est tantum secundæ, ac generis etiam masculini, ut liquet ex hoc loco Martialis, qui aliter explicari satis commode, & latine non potest.

LVIII.

In furem librorum.

1. Erras, meorum fur avare librorum,
2. Fieri poetam posse, qui putas tanti,
3. Scriptura quanti constat, & tomus vilis.
4. Non sex paratur, aut decem sophos nummis,
5. Secreta quære carmina, & rudes curas,
6. Quas novit unus, scrinioque signatas
7. Custodit ipse virginis pater chartæ:
8. Quæ trita duro non inhorruit mento.
9. Mutare dominum non potest liber notus:
10. Sed pumicata fronte si quis est nondum,
11. Nec umbilicis cultus atque membrana;
12. Mercare: tales habeo, nec sciet quisquam.
13. Aliena quisquis recitat, & petit famam;
14. Non emere librum, sed silentium debet.

Vers. 2. Ordo est. Erras si putas posse fieri aliquem poetam tanti, id est, tanto pretio; non majore sumptu artem poeticam comparari posse, quam quo liber constat, ac tomus, *vilis*, hoc est, exigui pretii: *avarum* vocat furem illum, quia rem tantam, quanta est poetæ fama, emere contendebat vili pretio.

3. *Scripturæ*. Scripta in libro carmina: vel, labor describendi aliena carmina.

Tomus. Pars libri: liber, τόμος a τέμνω, scindo divido. Opus aliquod, ingens liber, in multos tomos, in multas partes secatur.

4. *Sex nummis*. Sestertiis sex. Sestertius nummus valet asses gallicæ monetæ duos: ita fuit appellatus quasi semistertius, quia vale-

lebat asses tres dempto semisse, sive duos & semis. Exprimi solebat ac notari duabus L. L. cum S. nempe, duæ libræ sive asses duo, & semis: postea duæ L. L. junctæ sunt, & facta est littera H, unde obtinuit usus, ut illa nota H. S, sestertium significaret. Porro sestertium in neutro genere valet mille sestertios.

Sophos. Plausus, fama boni poetæ. Proprie *Sophos* est vox acclamantium & plaudentium; a Græco σοφῶς, idest, sapienter, præclare, belle, &c. Ponitur autem hoc in loco quasi nomen neutrius generis.

5. *Secreta*. Nondum vulgata, in scrinio poetæ recondita.

Rudes. Nondum editas, libros quasi recens cusos. Metaphora ducitur a nummis, qui recens cusi, apparent rudes & asperi; usu deteruntur ac lævigantur.

6. 7. Quas chartas seu curas eruditas, solus earum auctor & quasi pater, custodit in suo pluteo & scrinio clausas & obsignatas clavi, aut annulo, solas & intactas; ut virgines abduntur a parentibus, & custodiuntur domi. Virgo charta, quæ nondum lectorem experta est, quam nullius adhuc manus attigit. Alias significat chartam, in qua nihil scriptum sit, quæ pura dici quoque solet.

8. Quæ nondum barbam contraxit. Cum libri sinu vel manibus diu tenentur ac teruntur, solent sordida quadam lanugine inhorrere, in iisque villi quidam & pili, ut in virili mento, subnascuntur.

9. Alteri auctori adscribi nequit liber ille, qui jam est vulgatus, sed is tantum qui nondum est fronte pumicata, &c.

10. *Pumicata*. Libri olim obtegebantur aliquando pellibus, & constabant distinctis foliis, ut nunc fere fit: ea folia interdum erant membranea, vulgo tamen lignea, & cera obducta, in qua cera scribebatur graphio, ac folia illa tabulæ dicebantur. Pelles extimæ poliri pumice & lævigari solebant. Est autem pumex lapis aridus, levis, spongiosus & erosus. Aliquando libri constabant ex uno longiori, & perpetuo membranæ folio, ex una pagina, in cujus ima parte affuebatur bacillus tenuis, seu radius e buxo, cedro, ebore, &c. Circa hunc bacillum volvebatur illa ingens, & perpetua pagina, ita ut extra oras membranæ circa bacillum involutæ, extarent bacilli capita duo tornata, & buxo, ebore, &c. ornata, quæ vocabantur libri cornua. In ima pagina, ut ad marginem angulosve librorum addebantur, ornamenti causa, bullæ, clavi ex ære aut, argento, emblomata umbonis, aut umbilici speciem referentia, quæ omnia umbilici dicebantur.

Frontę. Frons libri, qui e foliis multis compactis constet, dici potest plana facies defecti marginis, Gallice, *la tranche*, Italice *la testa del libro*, quia exterior ille margo primus in oculos incurrit, ut frons & vultus aspicitur ab eo, qui nos allo-

quitur adversos: in voluminibus autem seu libris circa bacillum involutis, frontes erant oræ & margines chartæ complicatæ in orbem circa bacillum; quibus in mediis extabant cornua: itaque geminæ in singulis libris erant, solebant æquari, & poliri pumice. Potest etiam gemina frons libri vocari paginæ initium, & pars prima tum interior, tum exterior.

11. *Membrana*. Vel pellis est, qua obducebantur libri, vel ipsa illa membrana, in qua scribebatur; quæ bicolor a Persio dicitur Satyr. 3. quia introrsum, (qua videlicet parte scribebatur) candida erat; extrorsum croceo, vel purpureo colore imbuta.

12. *Tales habeo, &c.* Hunc versiculum sic aliqui reponunt non prave. *Mercare tales adeo, &c.* Mendose vero, qui legunt, *Mercare tales ab eo*, nempe custode chartæ virginis. Peccaret enim versus contra prosodiæ leges.

13. *Et petit famam*. Et laudari, tanquam si sua essent, cupit: auctor illorum haberi optat.

14. Is non tam debet pretium dare pro libro, quam pro silentio: hoc est, dare pecuniam auctori ut sileat, permittatque te illa recitare pro tuis.

LIX.

Poeta liber.

1. Liber homo es nimiũ, dicis mihi, Cherile, semper.
2. In te qui dicit, Cherile, liber homo est.

Vers. 1. 2. Dicis mihi semper, o Chærile, me esse dicaciorem, & liberiorem: sane hunc esse liberum admodum & otiosum oportet, qui habeat satis otii, ut in te hominem nauci & nihili, ac de te scribat; non is ego sum: jocarer in te libenter & libere, si liber ab aliis occupationibus forem.

Liber. Ea vox aliquando dicacem, & maledicum sonat, aliquando otiosum, & vacuum, cui nihil est, quod agat: ludit in gemina ista significatione: Vel, liber homo est, quia a te nihil timet, nihil expectat. Vel: Liber est quicumque in te dicit, quia in te dici libere omnia & vere possunt. Legi potest eadem extrema Versiculi pars cum interrogationis nota: liber homo est; an est liber, & dicax, qui te insectatur? imo justus, & sincerus est.

LX.

Jocus in Canium.

1. Cepit, Maxime, Pana, quæ solebat,
2. Nunc ostendere Canium Terentos.

Vers. 1.

Verſ. 1. 2. O Maxime, convenire antea ſolebant homines ad Terrentum, ut ibi ſimulachrum Panos viſerent, jam convenient, concurrentque, ut Canium viſant: & Terentos (eſt in recto caſu ea vox, græco flexu) pro ſimulacro Panos ridentis, ipſum Canium cœpit oſtendere.

Pana. Pan Deus erat agrorum, Faunorum & Satyrorum ductor, vino, ſomno, choreis indulgere ſolitus; ejus ſimulacrum viſebatur in Terento, quæ Terentus erat locus in campo Martio, ſic dictus, quod eſſet prope ripam Tiberis, & ejus aquis tereretur, ſeu alluereturr, vel, quod in eo lara Ditis terra occultaretur. Porro ſtatua Panos habitu ridentis pingebatur: Canius autem erat Poeta lepidiſſimus ac ridere ſemper ſolitus, qui non ita pridem habitare in campo Martio prope Terentum cœperat. Ait igitur Martialis, Canium deinceps loco Panos oſtenſum iri, neque repertum iri diſſimilem; ſi quidem eum ſemper homines videbunt ridentem, feſtivum & lepidum.

LXI.

Librum ſuum Proculo mittit.

1. Vade ſalutatum pro me liber: ire juberis
2. Ad Proculi nitidos, officioſe, Lares.
3. Quæris iter? dicam: vicinum Caſtora canæ
4. Tranſibis Veſtæ, virgineamque domum.
5. Inde ſacro veneranda petes palatia clivo,
6. Plurima qua ſummi fulget imago ducis.
7. Ne te detineat miri radiata coloſſi
8. Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus
9. Flecte vias hac qua madidi ſunt tecta Lyæi,
10. Et Cybeles picto ſtat Corybante tholus.
11. Protinus a læva clari tibi fronte Penates.
12. Atriaque excelſæ ſunt adeunda domus.
13. Hanc pete: ne metuas faſtus, limenq; ſuperbum;
14. Nulla magis toto janua poſte patet:
15. Nec propior quam Phœbus amet, doctæq; ſorores,
16. Si dicet: quare non tamen ipſe venit?
17. Sic licet excuſes: Quia, qualiacumque leguntur
18. Iſta ſalutator ſcribere non potuit.

Verſ. 3. *Iter.* Habitabat Martialis ad pilam Tiburtinam in ſeptima urbis regione; C. Julius Proculus in Palatio, regione decima. *Caſtora.* Templum Caſtoris

te inserta, & illis dissimillima, me tacente, ac nemine inclamante; furem te satis clamant.

XLVIII.

De amicorum delectu.

1. Si quid: Fusce, vacas adhuc amari;
2. (Nam sunt hinc tibi, sunt & hinc amici)
3. Unum si supereſt, locum rogamus:
4. Nec me, quod tibi sim novus, recuses.
5. Omnes hoc veteres tui fuerunt,
6. Tu tantum inspice, qui novus paratur.
7. An possit fieri vetus sodalis.

Vers. 1. Si vacat adhuc apud te locus novo amico: si adhuc amari potes ab aliis novis amicis. *Fusce.* Cornelius Fuscus præfectus cohortium prætorianarum sub Domitiano fuit, magnæ apud principem auctoritatis. 5. *Hoc fuerunt.* Novi scilicet, ut ego.

XLIX.

Se privata vita, & modicis opibus contentum esse.

1. Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
2. Clarum militiæ, Fronto, togæque decus:
3. Hoc petit: esse sui, nec magni ruris arator,
4. Sordidaque in parvis otia rebus amat.
5. Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
6. Et matutinum portat ineptus Ave;
7. Cui licet, exuviis nemoris, ruriſque beati,
8. Ante focum plenas explicuisse plagas!
9. Et piscem tremula salientem ducere seta,
10. Flavaque de rubro promere mella cado:
11. Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
12. Et sua non emptus præparat ova cinis.
13. Non amet hanc vitā, quisquis me non amat, opto:
14. Vivat, & urbanis albus in officiis.

Vers. 1. 2. Si reſcire vis quid optem ego, Marcus Val. Martialis tuus amicus, o Fronto, domi, foriſque, belli & pacis artibus, inclyte. *Fronto.* Vir fuit cum multis rebus præclare gestis, tum singulari in eruditos, & libe-

literatos amore clarus.

3. *Sui*. Ad ſe pertinentis: cujus ſit dominus: optat agrum colere, non ita quidem magnum, ſed ſuum.

4. *Sordida otia*. Sine cultu & ſplendore urbano: *in parvis rebus*, in re familiari anguſta & tenui.

5. 6. Eſſene quemquam adeo mente captum, ut colere amet viros nobiles in marmoreis ædibus habitantes, eoſque mane ſalutare magno labore; ſi poſſit ille, ſi ſatis opum habeat, ut poſtquam feras captas in ſuo nemore incluſit retibus, ea retia explicet, exoneret, domi ſuæ ante focum ſedens, &c. Ordo eſt, cui licet explicare ante focum plagas plenas exuviis ruris & nemoris beati. Eſt qui legat beato: ideſt, cui beato exuviis, abundanti ſpoliis ruris.

Spartani. Marmor Spartanum ſeu Laconicum laudabatur: Sparta, urbs Peloponneſi primaria fuit, in Laconia regione: Eadem Lacedæmon dicta eſt, nunc vocatur *Miſitra*. Eſt autem marmor frigidiſſimum; idem vulgo eſt pictum venis variis, & maculoſum. Itaque, *picta frigora Spartani ſaxi*, intellige domum ornatam marmore frigido, & variis coloribus diſtincto.

9. *Seta*. Linea piſcatoria quæ ſæpe fit e ſetis equinis. *Salientem* palpitantem.

11. *Inæquales*. Modo lautiores, modo tenuiores: vel, non æque ab omni parte fultas; v.g. ſi ſit (ut in Baucidis menſa. Ovid. 8. Met.) pes tertius impar, & teſta parem faciat. Vel impolitas, non dolatas manu artificis.

12. *Non emptus* Factus e lignis non emptis. *Sua*, quia ova calido cinere & modico igne melius coquuntur vel, domi nata, non aliunde quæſita.

14. *Albus*. Vel pallidus & anxius, in urbanis muneribus & curis: vel albatus, hoc eſt, indutus veſte candida, ad ſalutandos officioſe, & colendos patronos: quia clientes alba toga utebantur ad officia patronis præſtanda: vel denique, candida facie, non fuſca, ut ruſticorum eſt.

L.

In cauponem.

1. Continuis vexata madet vindemia nimbis;
2. Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum.

Verſ. 1. 2. Merum. Ludus eſt in hac voce, quæ vinum ſignificat non dilutum aqua. Vinum igitur aqua cœleſti & imbribus ita temperatum eſt, ut illud non poſſit purum vendi. *Ut cupias*, quamvis cupias: quæ ſane ironia lepida eſt, in cuponem ſolitum vino aquam admiſcere, & minime cupientem merum vendere.

Lau-

let infigere juvencis, nempe lacerando tota membra? | Vide Epigram. 42. 6. *Delecta* Insigni, magna.

LIII.

Laus poetarum aliquot, maximi Hispanorum.

1. Verona docti syllabas amat Vatis;
2. Marone felix Mantua est:
3. Censetur Apona Livio suo tellus,
4. Stellaque, nec Flacco minus:
5. Apollodoro plaudit imbrifer Nilus,
6. Nasone Peligni sonant.
7. Duosque Senecas, unicumque Lucanum,
8. Facunda loquitur Corduba.
9. Gaudent jocosæ Canio suo Gades,
10. Emerita Deciano meo:
11. Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
12. Nec me tacebit Bilbilis.

Vers. 1. *Verona*. Urbs Italiæ; item Mantua. *Veronæ, Mantuæ.*

Docti vatis. Catulli; natus est Veronæ anno ab U. C. 667. Vide Epigr. 8. hujus libri, & 177. lib. XIV.

Syllabas. Versus, quorum ratio syllabis constat, & certa illarum mensura.

2. *Marone*. Virgilius natus est in vico, qui Andes vocabatur, non procul Mantua, anno ab Urbe condita 684.

3. *Censetur*. Æstimatur, laudatur. Illi apud Romanos censeri dicebantur, qui profitebantur apud Censorem nomen suum, genus, tribum, liberos, maxime vero suas opes, & rem familiarem, quæ proprie vocabatur census; quibus nihil erat pecuniæ, pauperes, capite censori dicebantur, quia nihil præter seipsos in censum referebant, cum divites, alius trecentis millibus nummum, alius sexcentis, alius pluribus, paucioribusve censerentur. Hinc ortum est, ut aliquis aliqua re, ac dote censeri dicatur, qua excellit, ac præstat, ut virtute, forma, &c. Sic Patavium censetur Livio. Scripsit T. Livius Romanam historiam stylo amplo, & eleganti. Floruit sub Augusto, & Tiberio: ediderat libros 142. Supersunt tantum 35. Est in illo ubertas, amplitudo, & lactea eloquentia.

Apona tellus. Patavina regio: sic appellatur a fonte prope Patavium. *Padova*, qui dicitur Aponus; *Abano*.

4. Nec minus laudatur ob Titum Livium Patavina regio, gloriaturque duobus summis poetis, Stella, & Flacco, qui indidem orti sunt. Stellæ opera non extant. Valerius Flaccus scripsit

octo libros Argonauticon. Campanus fuit, ex urbe Setia in Italia. Opus suum Vespasiano dedicavit.

5. *Apollodoro*. Nobili poetæ comico, Alexandrino, Menandri æmulo.

Imbrifer. Qui toti Ægypto loco est imbrium: illi enim vix umquam in Ægyptum decidunt, sed Nilus exundans totam irrigat.

6. *Peligni*. Populi Italiæ, ubi Sulmo urbs, Ovidii patria. Vide Epig. 25.

7. *Senecas*. M. Annæum Senecam, qui rhetor insignis extitit, & ejus filium L. Annæum Senecam, qui philosophus est dictus, ac tragœdiarum, ut quidam volunt, scriptor fuit. Vide lib. 4. Epist. 32.

Lucanum. Senecæ philosophi ex fratre nepos fuit. Historiam belli civilis Cæsarem inter, & Pompejum, versu scripsit. Perire jussus a Nerone, cui propter æmulationem artis poeticæ invisus erat, sibi venas incidit. Ejus poesis tumidior est, & ambitiosior; licet plerumque acris, & ingeniosa.

8. *Corduba*. Urbs Hispaniæ. *Cordova*.

9. *Jocosa*. Quia saltationi, & choreis dediti erant Gaditani. Sunt autem Gades urbs, & insula in extrema Hispania prope Africam, in freto Gaditano. *Cadice*. vide Epig. 36.

10. *Emerita*. Emerita augusta, urbs Lusitaniæ, nunc *Merida*. Decianus autem iste fuit Stoicus Philosophus, de quo agit Epig. 9. de urbe Bilbili, vide Epigr. 43.

LIV.

Hominum frequentia periculosa.

1. Casta, nec antiquis cedens Levina Sabinis,
2. Et quamvis tetrico tristior ipsa viro:
3. Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno;
4. Et dum Bajanis sæpe fovetur aquis:
5. Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto,
6. Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Vers. 1. *Sabinis*. Mulieres Sabinæ olim laudabantur ob castimoniam.

2. *Tristior*. Alienior a jocis & deliciis, quam vir suus severus homo, & austerus.

3. Dum navigat modo in Averno lacu, modo in Lucrino. Est uterque lacus in Campania Italæ; Avernus Cumis, Bajisque proximus, appellatur hodie *lago d'Averno*, vel di *Tripergola*: Lucrinus inter Puteolos, & Bajas, olim erat celebris, sed terræ motu anno 1538. absorptus est: restat tantum lutosa palus, & vocatur *Mare Morto*.

4. Dum utitur sæpe Balneis tepidis Bajanis. De Baiis paulo ante dictum Epig. 51.

5. *Flammas*. Amoris inhonesti. Flammas aquis opponit.

6. *Penelope venit*. Tam casta,

ſta, quam Penelope Ulyſſis uxor, quæ, cum, ejus vir longo errore jactatus, domum non rediret, licet a ſexcentis procis ſollicitata, fidem tamen marito, pudicitiamque ſervavit.

Helene. Impudica, ſimilis Helene, quæ Menelaum regem Laconum, maritum ſuum reliquit, ut Paridem, filium Priami regis Trojæ, qui tum forte a Menelao ſuſceptus hoſpitio fuerat, ſequeretur: quæ cauſa Trojani belli fuit.

LV.

Auditor improbus.

1. Ut recitem tibi noſtra rogas epigrammata, nolo;
2. Non audire, Celer, ſed recitare cupis.

Verſ. 2. *Sed recitare*. Vis illa idcirco audire, ut retineas memoriam, tum aliis, quaſi tua eſſent, recites: vel, non mea vis audire, ſed habere cauſam recitandi tua.

LVI.

Laus ſuſpicioſa.

1. Bella es; novimus: & puella; verum eſt:
2. Et dives; quis enim poteſt negare?
3. Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
4. Nec dives, neque bella, nec puella es.

Verſ. 1. *Bella*. Venuſta: bellus quidem minus eſt pulchro. Vide Epigr. 10.

4. *Nec dives*, &c. Facis nimium te laudando, & tuas divitias, formam, caſtitatem prædicando, ut eas in te dotes ineſſe non credamus. Qui ſe nimium laudat ac venditat, videtur ſibi defenſionem parare, ac ſuis rebus diffidere.

LVII.

In Cæcilianum ficoſum.

1. Cum dixi ficus, rides quaſi barbara verba,
2. Et dici ficos, Cæciliane, jubes.
3. Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci,
4. Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Verſ. 1. Cum ego vocem hanc *ficus* pluralis numeri poſui in quarta declinatione, me rides quaſi loquar barbare, & parum latine, viſque dici ficos, quaſi vox ficus

cus esset tantum secundæ declinationis. Ego vero tibi respondeo vocem illam, ficus, cum significat fructum qui ex ficu arbore nascitur, esse recte, ac dici in quarta declinatione: at cum significat morbum turpem, qui tuus est, quo tu laboras, esse ordinis secundi: Dicimus igitur ficus arboreas, & tuos ficos.

Ficus. Significat ea vox notam arborem, ejusque fructum; item morbum seu vitium corporis ex intemperantia ortum, quando intumescit caro, & instar ficus excrescit; quo morbo qui laborant, ficosi appellantur. Cum arborem, & fructum ejusdem arboris significat: est promiscue quartæ, aut secundæ declinationis; cum vero morbum, est tantum secundæ, ac generis etiam masculini, ut liquet ex hoc loco Martialis, qui aliter explicari satis commode, & latine non potest.

LVIII.

In furem librorum.

1. Erras, meorum fur avare librorum,
2. Fieri poetam posse, qui putas tanti,
3. Scriptura quanti constat, & tomus vilis.
4. Non sex paratur, aut decem sophos nummis,
5. Secreta quære carmina, & rudes curas,
6. Quas novit unus, scrinioque signatas
7. Custodit ipse virginis pater chartæ:
8. Quæ trita duro non inhorruit mento.
9. Mutare dominum non potest liber notus:
10. Sed pumicata fronte si quis est nondum,
11. Nec umbilicis cultus atque membrana;
12. Mercare: tales habeo, nec sciet quisquam.
13. Aliena quisquis recitat, & petit famam;
14. Non emere librum, sed silentium debet.

Vers. 2. Ordo est. Erras si putas posse fieri aliquem poetam tanti, id est, tanto pretio; non majore sumptu artem poeticam comparari posse, quam quo liber constat, ac tomus, *vilis*, hoc est, exigui pretii: *avarum* vocat furem illum, quia rem tantam, quanta est poetæ fama, emere contendebat vili pretio.

3. *Scriptura*. Scripta in libro carmina: vel, labor describendi aliena carmina.

Tomus. Pars libri: liber, τόμος a τέμνω, scindo divido. Opus aliquod, ingens liber, in multos tomos, in multas partes secatur.

4. *Sex nummis*. Sestertiis sex. Sestertius nummus valet asses gallicæ monetæ duos: ita fuit appellatus quasi semissertius, quia valc-

lebat asses tres dempto semisse, sive duos & semis. Exprimi solebat ac notari duabus L. L. cum S. nempe, duæ libræ sive asses duo, & semis: postea duæ L. L. junctæ sunt, & facta est littera H, unde obtinuit usus, ut illa nota H. S, sestertium significaret. Porro sestertium in neutro genere valet mille sestertios.

Sophos. Plausus, fama boni poetæ. Proprie *Sophos* est vox acclamantium & plaudentium; a Græco σοφῶς, idest, sapienter, præclare, belle, &c. Ponitur autem hoc in loco quasi nomen neutrius generis.

5. *Secreta*. Nondum vulgata, in scrinio poetæ recondita.

Rudes. Nondum editas, libros quasi recens cusos. Metaphora ducitur a nummis, qui recens cusi, apparent rudes & asperi; usu deteruntur ac lævigantur.

6. 7. Quas chartas seu curas eruditas, solus earum auctor & quasi pater, custodit in suo pluteo & scrinio clausas & obsignatas clavi, aut annulo, solas & intactas; ut virgines abduntur a parentibus, & custodiuntur domi. Virgo charta, quæ nondum lectorem experta est, quam nullius adhuc manus attigit. Alias significat chartam, in qua nihil scriptum sit, quæ pura dici quoque solet.

8. Quæ nondum barbam contraxit. Cum libri sinu vel manibus diu tenentur ac teruntur, solent sordida quadam lanugine inhorrere, in iisque villi quidam & pili, ut in virili mento, subnascuntur.

9. Alteri auctori adscribi nequit liber ille, qui jam est vulgatus, sed is tantum qui nondum est fronte pumicata, &c.

10. *Pumicata*. Libri olim obtegebantur aliquando pellibus, & constabant distinctis foliis, ut nunc fere fit: ea folia interdum erant membranea, vulgo tamen lignea, & cera obducta, in qua cera scribebatur graphio, ac folia illa tabulæ dicebantur. Pelles extimæ poliri pumice & lævigari solebant. Est autem pumex lapis aridus, levis, spongiosus & erosus. Aliquando libri constabant ex uno longiori, & perpetuo membranæ folio, ex una pagina, in cujus ima parte assuebatur bacillus tenuis, seu radius e buxo, cedro, ebore, &c. Circa hunc bacillum volvebatur illa ingens, & perpetua pagina, ita ut extra oras membranæ circa bacillum involutæ, extarent bacilli capita duo tornata, & buxo, ebore, &c. ornata, quæ vocabantur libri cornua. In ima pagina, ut ad marginem angulosve librorum addebantur, ornamenti causa, bullæ, clavi ex ære aut, argento, emblomata umbonis, aut umbilici speciem referentia, quæ omnia umbilici dicebantur.

Fronte. Frons libri, quæ foliis multis compactis constet, dici potest plana facies defecti marginis, Gallice, *la tranche*, Italice *la testa del libro*, quia exterior ille margo primus in oculos incurrit, ut frons & vultus aspicitur ab eo, qui nos allo-

quitur adversos: in voluminibus autem seu libris circa bacillum involutis, frontes erant oræ & margines chartæ complicatæ in orbem circa bacillum; quibus in mediis extabant cornua: itaque geminæ in singulis libris erant, solebant æquari, & poliri pumice. Potest etiam gemina frons libri vocari paginæ initium, & pars prima tum interior, tum exterior.

11. *Membrana*. Vel pellis est, qua obducebantur libri, vel ipsa illa membrana, in qua scribebatur; quæ bicolor a Persio dicitur Satyr. 3. quia introrsum, (qua videlicet parte scribebatur) candida erat; extrorsum croceo, vel purpureo colore imbuta.

12. *Tales habeo, &c.* Hunc versiculum sic aliqui reponunt non prave. *Mercare tales adeo, &c.* Mendose vero, qui legunt, *Mercare tales ab eo*, nempe custode chartæ virginis. Peccaret enim versus contra prosodiæ leges.

13. *Et petit famam*. Et laudari, tanquam si sua essent, cupit: auctor illorum haberi optat.

14. Is non tam debet pretium dare pro libro, quam pro silentio: hoc est, dare pecuniam auctori ut sileat, permittatque te illa recitare pro tuis.

LIX.

Poeta liber.

1. Liber homo es nimiũ, dicis mihi, Cherile, semper.
2. In te qui dicit, Cherile, liber homo est.

Vers. 1. 2. Dicis mihi semper, o Chærile, me esse dicaciorem, & liberiorem: sane hunc esse liberum admodum & otiosum oportet, qui habeat satis otii, ut in te hominem nauci & nihili, ac de te scribat; non is ego sum: jocarer in te libenter & libere, si liber ab aliis occupationibus forem.

Liber. Ea vox aliquando dicacem, & maledicum sonat, aliquando otiosum, & vacuum, cui nihil est, quod agat: ludit in gemina ista significatione: Vel, liber homo est, quia a te nihil timet, nihil expectat. Vel: Liber est quicumque in te dicit, quia in te dici libere omnia & vere possunt. Legi potest eadem extrema Versiculi pars cum interrogationis nota: liber homo est; an est liber, & dicax, qui te insectatur? imo justus, & sincerus est.

LX.

Jocus in Canium.

1. Cepit, Maxime, Pana, quæ solebat,
2. Nunc ostendere Canium Terentos.

Vers. 1.

Verſ. 1. 2. O Maxime, convenire antea ſolebant homines ad Terrentum, ut ibi ſimulachrum Panos viſerent, jam convenient, concurrentque, ut Canium viſant: & Terentos (eſt in recto caſu ea vox, græco flexu) pro ſimulacro Panos ridentis, ipſum Canium cœpit oſtendere.

Panos. Pan Deus erat agrorum, Faunorum & Satyrorum ductor, vino, ſomno, choreis indulgere ſolitus; ejus ſimulacrum viſebatur in Terento, quæ Terentus erat locus in campo Martio, ſic dictus, quod eſſet prope ripam Tiberis, & ejus aquis tereretur, ſeu alluereturr, vel, quod in eo lara Ditis terra occultaretur. Porro ſtatua Panos habitu ridentis pingebatur: Canius autem erat Poeta lepidiſſimus ac ridere ſemper ſolitus, qui non ita pridem habitare in campo Martio prope Terentum cœperat. Ait igitur Martialis, Canium deinceps loco Panos oſtenſum iri, neque repertum iri diſſimilem; ſi quidem eum ſemper homines videbunt ridentem, feſtivum & lepidum.

LXI.

Librum ſuum Proculo mittit.

1. Vade ſalutatum pro me liber: ire juberis
2. Ad Proculi nitidos, officioſe, Lares.
3. Quæris iter? dicam: vicinum Caſtora canæ
4. Tranſibis Veſtæ, virgineamque domum.
5. Inde ſacro veneranda petes palatia clivo,
6. Plurima qua ſummi fulget imago ducis.
7. Ne te detineat miri radiata coloſſi
8. Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus
9. Flecte vias hac qua madidi ſunt tecta Lyæi,
10. Et Cybeles picto ſtat Corybante tholus.
11. Protinus a læva clari tibi fronte Penates.
12. Atriaque excelſæ ſunt adeunda domus.
13. Hanc pete: ne metuas faſtus, limenq; ſuperbum;
14. Nulla magis toto janua poſte patet:
15. Nec propior quam Phœbus amet, doctæq; ſorores,
16. Si dicet: quare non tamen ipſe venit?
17. Sic licet excuſes: Quia, qualiacumque leguntur
18. Iſta ſalutator ſcribere non potuit.

Verſ. 3. *Iter*. Habitabat Martialis ad pilam Tiburtinam in ſeptima urbis regione; C. Julius Proculus in Palatio, regione decima. *Caſtora*. Templum Caſto-

ris & Pollucis, quod in foro erat. De Caſtore dictum ſupra Epigr. 32.

4. *Veſtæ*. In æde Victoriæ erat ſimulacrum Veſtæ allatum Peſſinunte, & juxta viſebatur virginum Veſtalium domus. Canam vocat Veſtam, quia Saturni Deorum antiquiſſimi filia.

5. A Romano foro ibis in montem Palatinum, & regiam Domitiani, per ſacrum clivum, ideſt, ſacram viam, ea parte qua Domitiani ſtatua equeſtris, ſpectatur *Plurima*, alta, eminens, conſpicua.

7. Ne moram trahas in ſpectanda ingenti ſtatua Solis, cujus moles Rhodi Coloſſum ſuperat: ideſt, ſtatuam ingentem Solis in portu inſulæ Rhodi poſitam.

Coloſſi. De illo vide Epigr. 2. libri Spectaculorum. Sunt qui hunc, & libri Spectaculorum verſum interpretentur de ſtatua Domitiani, quam egregiis verſibus deſcripſit Statius.

9. Pete hinc templum Bacchi, & Cybeles.

Lyæi. Ita vocatur Bacchus a λύω ſolvo, quia curas ſolvit. Cybele Deorum erat mater.

10. *Tholus*. Eſt teſtudo templi, ſive pars, in quam lapides, aut trabes fornicis coeunt & conveniunt: ex qua ſuſpendi dona votiva conſueverant. Sumitur eadem vox aliquando pro ædificiis omnibus, quorum faſtigium eſt rotundum.

Corybantes. Erant Corybantes ſacerdotes Cybeles: eorum multæ imagines pictæ cernebantur in ejus templo. Dicti ſunt voce græca κορύπτειν, quæ ſignificat caput ſaltando jactare, quod illi ſacerdotes velut in ſano furore correpti ſaltitarent, vel, a voce κόρυς, *galea*, quod galero quodam inſtar galeæ facto, uterentur.

11. *A læva fronte*. Ad lævam partem templi Cybeles Proculi domum invenies.

Penates. Proprie Penates erant Dii domeſtici, ita dicti, quia in penitiori domo colebantur: pro tota domo ſumuntur.

14. Nulla domus eſt apertior, & patentior adeuntibus, ob domini ſcilicet humanitatem.

15. Nec ulla domus eſt Phœbo, Muſiſque gratior, *Propior*. præſentior, benignior.

16. *Ipſe*. Martialis: cur mittit librum, cur non venit ipſe?

17. Ita poteris Martialem excuſare. Qualiacumque, quantulacumque ſint iſta Epigrammata, requirunt otii tamen aliquid ac temporis, quod iis non ſuppetit, qui ſalutatores eſſe volunt: qui ſalutandis amicis tempus terunt.

LXII.

In plagiarium.

1. Noſtris verſibus eſſe te poetam,
2. Fidentine, putas, cupiſque credi.

3. Sic

3. Sic dentata ſibi videtur Ægle,
4. Emptis oſſibus, Indicoque cornu:
5. Ceruſſata ſibi placet Lycoris.
6. Sic, quæ nigrior eſt cadente moro,
7. Hac & tu ratione, qua poeta es.
8. Calvus cum fueris, eris comatus.

Verſ. 1. *Noſtris*. Quos mihi ſurripuiſti, &c.

4. *Oſſibus*. Eburneis dentibus. Ebur eſt ipſe dens elephantis, quæ bellua naſcitur maxime in India: quidam elephantis dentes vocant cornua, quia cornuum bubulorum magnitudinem & vim habent.

5. *Cadente*. Maturo: tunc enim nigreſcit.

6. *Ceruſſata*. Fuco infecta. Ceruſſa eſt pigmentum candidum, quod genis allinitur ad concilianda venuſtatē.

7. Sic tu comatum te dices, quantum emptos crines, & aſcititios appones calvo capiti; ſed quemadmodum aſcita coma non impedit, quominus aliquis revera ſit calvus, ita tua furta & carmina mea, quæ pro tuis recitas, non impedient quominus poeta ſis peſſimus.

LXIII.

Malum nomen.

1. Dimidium donare Lino, quam credere totum
2. Qui mavult; mavult perdere dimidium.

Verſ. 1. 2. Qui Lino poſcenti ſummam pecuniæ mutuo accipiendam, donat gratis dimidiam ſummæ illius partem, ſapienter facit, quia perdet tantum dimidiam illam partem: ſi enim totam ſummam daret illi mutuam, & ab eo ſperaret eſſe reddendam, totam perderet, quia Linus nunquam ſolvit mutuum, creditum nunquam reddit.

LXIV.

Forum dives, Parnaſſus inops.

1. O mihi curarum pretium non vile mearum
2. Flacce Antenorei ſpes, & alumne Laris,
3. Pierios differ cantuſque, choroſque ſororum:
4. Æs dabit ex iſtis nulla puella tibi.
5. Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ,
6. Hæc ſapit, & hæc omnes fœnerat una Deos.
7. Quid poſſent hederæ Bacchi dare? Palladis arbor

8. Inclinat varias pondere nigra comas.
9. Præter aquas Helicon, & ſerta, lyraſque Dearum
10 Nil habet, & magnum, ſed perinane, ſophos,
11 Quid tibi cum Cyrrha; quid cum Permeſſide lympha?
12. Romanum propius, divitiuſque forum eſt.
13. Illic æra ſonant: at circum pulpita noſtra,
14. Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

Verſ. 1.2. O Flacce oriunde Patavio, qui dignus es cui conſulam, cujus res curem, cujus res & commoda mihi & Reip. magno habenda ſunt in pretio.

Flacce. Val. Flaccus poeta nobilis, Argonautica ſcripſit: Veſpaſiani tempore floruit: Vide Epig. 53.

Antenorei laris. Urbis Patavinæ, in qua habitavit, & quam condidit Antenor Trojanus. Virg. 1. Æneid. Patavium ſive Padua, *Padova*, quaſi Patavium dictum eſt, quia eſt ad Padum.

3.4. *Differ*. Omitte poeticam & carmina, aut in aliud tempus rejice: nulla e Muſis te divitem faciet.

5. Fruſtra opes a Phæbo petis; eget.

Minervæ. Templum Minervæ, vicinum erat Romano foro: ubi cauſæ agebantur, magno cauſidicorum lucro. De foro Palladio vide infra verſ. 12.

6. Tantum habet pecuniæ Minerva, ut mutuos dare Diis reliquis nummos poſſit: itaque ſapit, ac merito Dea ſapientiæ præſes dicitur.

7. Quem fructum affert hedera? certe nullum, at olea baccas profert, earumque pondere ramos depreſſos habet: hoc eſt, friget poeſis, fervet ac diteſcit forum. Poetæ coronabantur hedera. Virg. *Paſtores hedera creſcentem ornate poetã*. Ecloga VII. Poetæ enim ſunt in tutela Bacchi, cui ſacra hedera.

Varias. Qui virides una parte, altera cãdidiores ſunt.

Helicon. Mons Græciæ in Bœotia, nunc *Helicona*, Muſis ſacer.

10. *Perinane*. Admodum inane, nullius plane utilitatis. De voce *Sophos*, lege Epiſt. 58. in hoc libro.

11. *Cyrrha*. Unus eſt e verticibus Parnaſſi: alter Niſa dicitur.

Permeſſide. Aqua fluvii Permeſſi, qui ex Helicone fluit. Legitur etiam: *Permeſſide nuda*.

12. *Romanum*. Forum Latium & Latinum, ſive Romanum, idemque Vetus dictum, erat omnium antiquiſſimum: additum aliud deinde a Cæſare fuit, Julium nuncupatum, ac deinde Paladium, cum Domitianus illud inſtauraſſet: tertium ab Auguſto. Acceſſit quartum Nervæ, quod Tranſitorium dicebatur. Additum denique Trajani forum, ſive Ulpium.

Propius. Quam Cyrrha & Helicon, qui ſunt procul hinc, in Græcia.

Divitius. Divitior & ditior;

mor, a dives; recte ambo dicuntur & latine; illud antiquius & obsoletius.

13. *Æra.* Nummi, qui olim ex ære sunt cusi. *Sonant.* Dum solvuntur a clientibus.

Pulpita. Pulpitum suggestus est, & locus editior, unde ad populum verba fiunt; alias significat locum in theatro altiorem, ubi pueri symphoniaci.

14. *Cathedras.* Unde magistri discipulos docent, & poetæ carmina sua recitant.

Basia. Oscula: hoc est, inanes plausus. Solebant deosculari, quos laudarent, probarentque.

LXV.

Romana Mors.

1. Indignas præmeret pestis cum tabida fauces,
2. Inque suos vultus serperet atra lues:
3. Siccis ipse genis flentes hortatus amicos
4. Decrevit Stygios Festus adire lacus:
5. Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
6. Aut torsit lenta tristia fata fame:
7. Sanctam Romana vitam sed morte peregit,
8. Dimisitque animam nobiliore via.
9. Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
10. Fama potest, hujus Cæsar amicus erat.

Vers. 1. *Indignas.* Affectas morbo, qui erat indignus homine probo, quem sua nimirum virtus ab eo vindicare debere videbatur; qui tale supplicium minime merebatur.

Pestis, &c. Morbus iste, de quo hic agitur, scabies quædam est: a mento in collum, pectusque serpit, & Mentagra vocatur; aliter, Lichen.

4. *Stygios adire lacus.* Inferos petere, ubi Styx, palus inferorum, decrevit mori.

5. Noluit se tamen veneno interficere.

Obscuro. Quod arcana vi nocet, imisque in præcordiis clam sævit. *Polluit.* Veneno extincti colorem fere lividum referunt.

6. Vitam, fame tristi sensim se macerando, non absumpsit.

7. *Romana.* Romanis heroibus usitata, forti & generosa gladio se confecit.

9. *Catonis.* De Catone Uticensi. Vide Epig. 9. hujus lib.

10. *Hujus.* Festi. Præferendus Catoni Festus, quod Cato sibi necem consciverit metu & odio Cæsaris; Festus Imperatoris amicus erat.

LXVI.

In Attalum ardelionem.

1. Semper agis causas, & res agis, Attale, semper:
2. Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.
3. Si res, & causæ desunt, agis, Attale, mulas:
4. Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Vers. 1. *Res*. Negotia varia: tales homines a Græcis vocantur, πολυπραγμονες, qui semper occupati sunt, & inquieti, quia apta inepta, aliena, & sua agunt. De illis vide lib. II. Epigr. 6. 3. *Agis mulas*. Oleribus scilicet, aut alia quapiam merce onustas, quod vilissima mancipia factitabant. 4. *Agas animam*. Opto, ut moriaris: ne otiosus sis, ne nihil agas. Ludit in verbo, *agas*, agere animam est eam expellere, exhalare, mori.

LXVII.

In sportula petitorem.

1. Sportula, Cane, tibi suprema nocte petita est,
2. Occidit, puto, te, Cane, quod una fuit.

Vers. 1. O Cane (fictum est nomen) tu ea nocte, quæ tibi suprema fuit, qua mortus es, petieras a patronis sportulam; sed cum unam tantum accepisses, ac videres tibi cum ista sportula moriendum esse fame, puto te hoc dolore exanimatum fuisse. Vei, qui soleres multas sportulas a multis patronis corrogare, cum unam duntaxat tibi datam vidisti, periisti.

LXVIII.

In servum.

1. E servo scis te genitum, blandeque fateris;
2. Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Vers. 1. 2. Sosibianus ex adulterio nobilis matronæ cum servo, natus erat, & illius matronæ virum, cujus filius putabatur, dominum blandiendo vocitabat. Recte, inquit vates, facis, o Sosibiane, tuus ille dominus non pater est, tu servus, & furto natus.

Ho-

LXIX.

Homo, probus, superum est cura.

1. Hæc quæ pulvere dissipata multo
2. Longas porticus explicat ruinas,
3. En quanto jacet absoluta casu!
4. Tectis nam modo Regulus sub illis
5. Gestatus fuerat, recesseratque:
6. Victa est pondere cum suo repente,
7. Et postquam domino nihil timebat,
8. Securo ruit incruenta damno.
9 Tantæ, Regule, post metum querelæ.
10 Quis curam neget esse te Deorum,
11. Propter quem fuit innocens ruina?

Vers. 1. *Hæc*. Idem argumentum tractat Epig. 13. *Dissipata*. Cum ingenti pulvere dissoluta, & collapsa.

3. Quam bene *illo* suo casu, & prolapsione liberata est ab hominum invidia, & a gravi crimine, quo laborassset, si virum probum oppressisset! vel, quam felici eventu, & casu, soluta est veluti scelere, cujus fuisset rea, si, &c.

6. *Securo*. Nihil domino nocens, sed sibi; suo damno & periculo tantu cadens, non alieno. *Incruenta*. Innoxia.

9. 10. Postquam soluti, & liberati fumus metu damni & exitii tui, quod profecto ingentes hominum querelas excitassent, qui divinam accusassent, aut negassent providentiam, quis non intelligit te superis curæ esse, cujus virtuti datum sit, ut impune, ac te illæso, porticus rueret?

LXX.

In præconem stolide facetum.

1. Venderet excultos colles cum præco facetus,
2. Atque suburbani jugera pulchra soli:
3. Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
4. Vendere: nil debet; fœnerat imo magis.
5. Quæ ratio est igitur? servos ubi perdidit omnes,
6. Et pecus, & fructus, non amat inde locum
7. Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet
8. Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

Vers.

Vers. 1. *Venderet.* Marius quidam prædium prope urbem habebat lautum, & cultum: illud, ut æs alienum dissolveret, vendere cupiens, præconi, & hastæ subjecit, id est, adhibuit præconem, a quo venale prædium proclamaretur, auctionem constituit (auctionis signum erat hasta in certo loco publice fublata, & fixa) Præco male facetus cum vellet Marium excusare, ne quis eum inopia & æris alieni gravitate id facere putaret, attulit fictam causam, nempe quod in eo prædio Marius servos, & pecora amisisset; sed non intellexit homo stupidus fore ut inde omnes colligerent continuo, agrum esse pestilentem, atque ita nemo vellet ejus facere pretium, hoc est, illum emere, quod revera contigit.

4. *Fœnerat.* Non modo nihil aliis debet, ut contra mutuam ipsis det pecuniam.

5. *Ubi.* Ordo est, ob eam causam non amat hunc fundum, ubi servos perdidit.

8. *Noxius.* Damnosus Mario, qui venderc illum cupiebat, ut haberet, unde alienum æs dissolveret; vel ubi servos perdiderat. *Hæret*, manet, non emitur ab aliis.

LXXI.

Vicinus non vicinus.

1. Vicinus meus est, manuque tangi
2. De nostris Novius potest fenestris.
3. Quis non invideat mihi, putetque,
4. Horis omnibus esse me beatum,
5. Juncto cui liceat frui sodale?
6. Tam longe est mihi, quam Terentianus,
7. Qui nunc Niliacam regit Seynen.
8. Non convivere, nec videre saltem,
9. Non audire licet: nec urbe tota
10. Quisquam est tam prope, tam proculque nobis,
11. Migrandum est mihi longius, vel illi.
12. Vicinus Novio, vel inquilinus
13. Sit, si quis Novium videre non vult.

Vers. 5. *Juncto.* In junctis ædibus habitante.

Terentianus. Eques Rom. qui Ægyptum administrabat. *Syene.* Est urbs in Æthiopiæ finibus & Ægypti: nunc appellatur *Asna.* Sub tropico Cancri posita est ad Nilum; olim Romani Imperii, ut nunc Turcici, terminus.

12. *Inquilinus fit.* Habitet in ipsius Novii domo. Vocatur inquilinus, qui habitat in domo alterius conducta, non sua. Lemma vulgo huic epigrammati præfixum legitur, *De Novio Myeropsycho* seu

seu *Mycrospico* (quæ vox eadem est, ac prior, translatis pauliſper ac vitiatis elementis.) Est autē *Μικρόψυχος* homo puſilli animi, & meticuloſi, qui ſubruſtico pudore impeditur, ne homines conveniat, accipiat, alloquatur.

LXXII.

In mulierem ebrioſam.

1. Ne gravis heſterno fragres, Feſcennia, vino,
2. Paſtillos Coſmi luxurioſa voras.
3. Iſta linunt dentes jentacula: ſed nihil obſtat,
4. Extremo ructus cum venit a barathro.
5. Quid quod olet gravius miſtum diapaſmate virus,
6. Atque duplex animæ longius exit odor.
7. Notas ergo nimis fraudes, deprehenſaque furta
8. Jam tollas, & ſis ebria ſimpliciter.

Verſ. 1. Ne oleas vinum a te hauſtum heri.

Vino. Vini uſus Romanis feminis ſevere admodum interdictus erat.

2. *Paſtillos.* Paſtillus a pane dictus eſt, quod parvi panis formam referat, cum ſit rotundus, & planus ad rotæ ſimilitudinem: hinc *παστὸς rotula*, vocatur a Græcis. Eſt rotundæ maſſa ex cinnamo, pipere, & aromatibus conflata, quam ore continebant, ut halitus eſſet ſuavis, & bene olens.

Luxurioſa. Delicata, intemperans. Coſmus autem erat unguentarius, & pharmacopola celebris.

3. Iſti paſtilli nihil aliud agunt niſi dentes, & os extremum linunt, non depellunt autem odorem tetrum, qui ab ructante ſtomacho tanquam a barathro fætente venit.

Jentacula. Quia iſti paſtilli mane, ut plurimum ſumebantur a jejunis.

5. 6. Imo virus, & vini odor gravis, fœdius olet, cum eſt miſtus odori paſtillorum, & anima, ſive halitus ex utroque iſto odore miſtus, longius propagatur, durat diutius.

Diapaſmate. Diapaſmata proprie dicuntur ea, quæ ſiccis odoribus conſtant, ſine oleo, aut alio liquore, ut pulvis, quem Cyprium vocant, qui crinibus inſpergitur, a voce *διαπάσσω*, inſpergo. Sumitur hic pro paſtillo, ſeu trochiſco, & odorato orbiculo.

8. Abſtine igitur deinceps a vorandis paſtillis, omitte iſtas fraudes, & furtiva jentacula, quæ tuam ebrietatem magis produnt, & fætorem augent, minus graviter olebis, cum eris tantum ebria, cum ſimplici fætore vini laborabis, & non duplici, nempe vini, & diapaſmatum. Vel; eſto aperte & candide ebria, non diſſimulanter, & moleſte.

Epi-

LXXIII.

Epitaphium Alcimi.

1. Alcime, quem raptum domino, crescentibus annis,
2. Lavicana levi cespite velat humus:
3. Accipe non Pario nutantia pondera saxo,
4. Quæ cineri vanus dat ruitura labor;
5. Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
6. Quæque virent lacrymis roscida prata meis,
7. Accipe, chare puer, nostri monumenta doloris:
8. Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
9. Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos,
10. Non aliter cineres mando jacere meos.

Vers. 2. Lavicana. Qui in via Lavicana sepultus es. Sepulcra juxta vias publicas poni moris erat, ut prætereuntes admonerentur mortalitatis. Labicum autem seu Lavicum est vicus Latii. Hinc via Lavicana, quæ Roma Lavicum ducebat; vulgo nunc *Strada di Valmontone*.

Levi cespite. Non magnifico tumulo, nempe, cespititio. *Velat.* Tegit, tumulat.

3. 4. Non extruimus tibi sepulcrum e marmore, cujus moles immensa, & in altum educta sit, qualem Principes mortuis ponunt, inani labore, quia istæ moles aliquando corruent.

Pario. Parus insula est Ægæi maris, *Pario*, ubi marmor insigne: legitur etiam *Phario*. Est Pharus, *Farion*, exigua insula Ægypti, prope Alexandriam. In ea insula erat ingens turris. Pharus quoque dicta, quæ navigantibus iter commonstraret, ad portum. Si legas, *Phario*, Pyramides intellige, quæ erant sepulcrum regum Ægypti. De illis vide lib. Spect. Epig. 1.

Nutantia. Ædificia altissima videntur nutare.

5. *Buxos.* Sepulcri locum solebant obumbrare arboribus, iisque ut plurimum quæ perpetuam viriditatem retinent, rati hoc felicibus umbris convenire: flores etiam ferebant eos, qui diutius durarent,

Palmitis. Est proprie palmes ramus viteus: hic pro qualibet arbore ponitur.

6. *Prata.* Cespitem quem meis lacrymis irrogavi, unde herba viridior.

7. 8. *Monumenta.* Nempe buxetum, pratum, atque adeo hæc mea carmina, quæ durabunt, & vivent diu in tuum honorem.

9. *Lachesis.* Una de Parcis. Tres vulgo numerantur: Clotho, Atropos, & Lachesis. Lege lib. IV. Ep. 42.

Perneverit. Nendo absolverit, ubi fatale pensum absolverit, finemque meis annis imposuerit, non cupio alio sepulcri honore frui æque tu: carmina mihi dari, & cespititium tumulum amicorum lacrymis rigatum volo, præterea nihil.

Car-

LXXIV.

Garrire in aurem.

1. Garris in aurem ſemper omnibus, Cinna:
2. Garris & illud, teſte quod licet turba:
3. Rides in aurem; quereris; arguis; ploras:
4. Cantas in aurem; judicas; taces; clamas.
5. Adeone penitus ſedit hic tibi morbus,
6. Ut ſæpe in aurem, Cinna, Cæſarem laudes?

Verſ.1. In aurem. Omnes alloqueris clanculum, & ſecreto, quaſi diceres myſterii quidpiam.

2. Et illud clam dicis, quod omnes ſciunt, quod licet publice coram omnibus dicere.

5. Adeo ne placet tibi, & inolita eſt iſta taciturnitas, atque arcani religio vitioſa? ut etiam Imperatorem nonniſi clam laudes? Fortaſſe obtrectatorem carpit, qui Cæſari detrahebat clam, cum in aurem de eo loqueretur. Si vere laudas; luce, palam, & clare lauda.

LXXV.

Obtrectator.

1. Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli:
2. Carpere, vel noli noſtra, vel ede tua.

Verſ.2. Ede tua. Si enim tua edideris carmina, plura in iis erunt reprehendenda quam in meis, quæ tamen maligne carpis, quaſi poeta optimus.

LXXVI.

Amicorum Epitaphium.

1. Fabricio junctus fido requieſcit Aquinus,
2. Quis prior Elyſias gaudet adiiſſe domos.
3. Ara duplex primi teſtatur munera pili:
4. Inſcriptum eſt, titulo quod breviore legis
5. Junctus uterque ſacro laudatæ fœdere vitæ.
6. Famaque, quod raro novit, amicus erat.

Verſ.1. Junctus. In vicino tumulo conditus.

2. *Gaudet.* Lætus animorum, quod reliquerit amicum ſuperſtitem, quod prior objerit.

3. *Ara-*

3. *Ara*. Excitari solebant prope tumulos arulæ: duobus illis gemina posita est; & in aræ basi sculptum fuit vexillum, ex quo intelligatur eos fuisse primipili honore donatos. Primipili centuriones vocabantur, qui custodiebant legionis vexillum, quod aliud nihil erat, quam arula inaurata imposita summæ perticæ, infra quam aram imago Imperatoris pendebat: supra autem aquilæ effigies visebatur, aræ imminens. Ordo & sensus est: Ara duplex (vel excitata prope tumulum, vel incisa & insculpta cippo) testatur eos fuisse primipili dignitate ornatos: ad eorum tamen laudem est insignius id, quod legis inscriptum breviore titulo, nempe paucioribus verbis scriptum in tituli, & elogii morem, (scriptum, inquam, in aræ ipsius basi, vel cippo aliquo) scilicet illud distichum, quod sequitur *Junctus uterque, &c.* Cujus gemini versiculi est hæc sententia. Uterque vitam iisdem in armis, & arte militari, in eadem honorum, & munerum societate, vixit, & uterque amicus alteri vixit, quod raro prædicatur inter pares, atque æmulos.

Primipili. Pilum erat hasta brevior, telum Romanis usitatum. Centurio primi pili, sive Primipilus, erat in prima cohorte centurio triariorum; Triarii vocabantur milites, qui tertium & præcipuum in cohorte ordinem seu lineam, ut vocant, tenebant, militum omnium natu maximi: secundum locum, & ordinem habebant ii, qui Principes dicebantur: primum, seu anteriorem Hastati. In singulis legionibus erant decem cohortes, & centuriones sexaginta, sex in unaquaq; cohorte. Centurio Primipilus aliis omnibus centurionibus præstabat, aquilam legionis tenebat, aderat consilio cum tribunis, &c.

LXXVII.

In pissimum causidicum.

1. Quod clamas semper, quod agentibus obstrepis, Heli,
2. Non facis hoc gratis: accipis, ut taceas.

Vers. 1. *Agentibus obstrepis*. Alios, qui causas agunt, patronos, obtundis & interpellas clamando, vociferando.

2. *Gratis*. Sine causa: sine spe lucri: speras hanc tuam loquacitatem tibi lucro fore: & est sane tibi quæstuosa: cogis enim judices & bonos patronos tibi os obturare muneribus, & silentium tuum emere. Alii accipiunt munera, ut loquantur, tu ut taceas: adeo improbus es tabula.

In

LXXVIII.

In hominem mollem, ac effœminatum.

1. Si non moleſtum eſt, teque non piget, Scazon,
2. Noſtro (rogamus) pauca verba Materno
3. Dicas in aurem, ſic, ut audiat ſolus:
4. Amator ille triſtium lacernarum,
5. Et bæticatus atque leucophæatus,
6. Qui coccinatos non putat viros eſſe,
7. Amethyſtinaſque mulierum vocat veſtes;
8. Nativa laudet, habeat & licet ſemper
9. Fuſcos colores: galbanos habet mores.
10. Quæris, quis hic ſit? excidit mihi nomen.

Verſ. 1. *Scazon*. Verſus eſt jambico cetera ſimilis, hoc uno diſpar, quod in ſexta ſede ſpondæum habeat, jambum in quinta. Hunc alloquitur Martialis, mittitq; ad Maternum; modo tamen, inquit, ire commode poſſis; claudicat enim Scazon, & ita vocatur a verbo σκαζω, claudico; ſcholiambus etiam dicitur, quaſi claudus jambus; a σκολιος, tortuoſus: & ἰαμβος, jambus.

3. *In aurem*. Vide Epig. 74. & lepide hoc dicit: jubet clam a verſu narrari, quod ipſe palam litteris mandat ac vulgat.

4. Iſte quem noſti, qui amat uti lacernis vilibus, & obſcuri coloris.

Ille. Aliquis Materno notus, quidam Cinnam, alii Galbam, nonnulli Fuſcum vocant.

Lacernarum. Erat lacerna veſtis craſſior, quæ ceteris imponebatur, vulgo pulli coloris; a militibus primum uſurpata in caſtris, & armis ſuperinjecta; poſt in urbem inducta.

5. *Bæticatus*. Qui utitur veſtibus nativo colore tinctis, qualem habent lanæ ovium Hiſpaniarum prope fluvium Bætim, nunc dictum *Guadalquivir*. Nativus ille Bæticarum ovium & lanarum color erat rutilus, in cetera Hiſpania vulgo nativus ovium color fuſcus erat, ac ferrugineus, quem forte Martialis hoc in loco intelligit, Bæticam accipiendo pro tota Hiſpania, cujus eſt pars Bætica, nunc Andaluſia & pars regni Granatenſis.

Leucophæatus. Qui veſtes gerere leucophæas ſolet: color leucophæus eſt miſtus ex albo & nigro, cinereus, a λευκος albus, & φαιος niger: λευκοφαιος leucophæus: ex albo & nigro conflatus.

6. Qui non putat temperantes & pudicos eſſe illos, qui coccineis veſtibus induuntur. Coccum eſt granum ſumptum ex arbuſcula quadam, quo rubeus color ad-

admodum vividus conficitur.

7. *Amethystinas*. Violacei coloris. Amethystus est gemma referens colore vinum pallidum, aut sanguinem dilutum. Vide lib. X. Epig. 45. Erant in pretio vestes istius coloris, apud Romanos. Sensus est: qui vestes amethystinas mulierum proprias, mulieribus relinquendas esse clamat.

8. Quamvis nativas, id est, natura, non arte tinctas vestes laudet, Bæticatas nimirum, coloresque vestium habeat fuscos & viles: mores habet tamen minime vestibus similes seu fuscos, sed Galbanos, seu tinctos galbano, quo colore maxime gaudent feminæ, id est, molles habet mores, ac effœminatos.

Galbanos. Galbanus sive Galbeus, aut Galbinus, & Galbaneus, est color subalbus & pallidus, qualis apparet in galbano, quod est visci, aut resinæ genus, in Syria frequens: eo vestium colore, maxime feminæ utebantur. *Galbus* exponitur χλωρὸς, id est, viridis, flavescens, pallidus. Volunt aliqui notatum his verbis clam Imperatorem Galbam, qui erat imprimis effœminatus, aut aliquem alium, quem carpit, & cujus nomen sibi excidisse argutissimo joco dicit, licet illud satis indicaverit, dum fuscos colores dixit (si Fuscus appellabatur) Galbanos mores (si Galba) coccinatus (si Cinna)

LXXIX.

In clamosum causidicum.

1. Cum clamant omnes, loqueris tu, Nævole, tantum,
2. Et te patronum, causidicumque putas.
3. Hac ratione potest nemo non esse disertus.
4. Ecce, tacent omnes, Nævole, dic aliquid.

Vers. 2. *Patronum*. Nempe eloquentem, & eximium.

3. *Hac ratione*. Si clamet omnibus clamantibus: quis enim illum audiat, aut qualis orator sit, judicet? sed si tacentibus aliis loquatur solus, & dicat aliquid, tunc num vere sit eloquens, poterit judicari. Hoc tu facito, Nævole.

LXXX.

Litigatoris chiragra.

1. Litigat, & Podagra Diodorus, Flacce, laborat;
2. Sed nil patrono porrigit: hæc chiragra est.

Vers. 2.

Vers. 2. *Chiragra*. Non tantum podagra laborat, sed etiam chiragra, quæ manus ipsi constringit, ne quid largiatur. Legitur & *Cheragra*, quia κειρα primam producit: potest tamen eximie, & sic κειρα primam corripiet, quæ raro producta reperitur.

LXXXI.

Dives avarus e paupere liberali.

1. Non plenum modo vicies habebas:
2. Sed tam prodigus, atque liberalis,
3. Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
4. Optarent tibi centies amici.
5. Audit vota Deus, precesque nostras;
6. Atque intra, puto, septimas Kalendas
7. Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
8. At tu, sic quasi non foret relictum,
9. Sed raptum tibi centies, abisti
10. In tantam miser esuritionem,
11. Ut convivia sumptuosiora
12. Toto quæ semel apparas in anno,
13. Nigræ sordibus explices monetæ:
14. Et septem veteres tui sodales
15. Constemus tibi plumbea selibra.
16. Quid dignum meritis precemur istis?
17. Optamus tibi millies, Calene:
18. Hoc si contigerit, fame peribis.

Vers. 1. Non ita pridem habebas in loculis ferme vicies centena millia sestertium. Redit hæc summa ad libras Francicas 100000.

Vicies. Sumitur hic quasi neutro genere, & subauditur, centena millia: vicies centena sestertiorum millia. *Non plenum*, est, non integrum: pauci desiderabantur nummi, quominus plena, & tota hæc summa foret, quominus totum omnino vicies haberes.

Centies. Subaudi, centena millia H. S. idest, Francicos nummos 100000.

6. Intra septem menses adiisti hæreditates quatuor hominum mortuorum, quarum ope hanc summam es consecutus. Kalendæ sunt prima dies cuiusque mensis. Cur ita dictæ, vide lib. 1.

8. *Relictum*. Testamento.

9. *Raptum*. Furto sublatum.

10. In tam sordidam, & famelicam avaritiam lapsus es, ut in convivia, vel maxime sumptuosa, quæ die natali tuo semel in anno præbes, non insumas nisi nigram, & sor-

& sordidam monetam ære, & plumbo constantem, nimirum aliquot teruncios, quadrantesve, quibus accipis septem convivas, coque amicos veteres. Explicare convivia, est instruere mensam explicatis, & appositis cibis.

15. *Selibra*. Est dimidia libra, seu semilibra: *plumbea*, nummo æreo, valente selibram, quam ironice plumbeum vocat: quod enim in hocque genere deterius erat plumbeum vocabant, cuia in metallis plumbum est deterrimum. Libra porro idem est quod as, si pretium spectes: itaque selibra est dimidia pars assis, seu duo quadrantes. Quod hyperbolice, ut vides, accipiendum est.

17. *Millies*. Libras Francicas 10000000.

18. Si enim tam parcus, & sordide avarus es, cum superi tibi dedere centies centena millia H. S. quid fiet, si dederint millies?

LXXXII.

In vetulam.

1. Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum
2. Dici, & mammarum maxima mamma potest.

Vers. 1. *Mammas*. Pueri matrem vocabant mammam; & patrem, tatam: Afra vetula cum ætatem cupide celare vellet, suos parentes, blandiendo sic vocitabat, & infantum more delicias faciebat, cum tamen omnium mammarum maxima propter senectutem dici posset. Turnebus ait hoc in loco maximam mammam dici eo modo, ac sensu, quo latine dicitur maximus avunculus, maximus socer.

LXXXIII.

Servus moriens libertate donatus.

1. Illa manus quondam studiorum fida meorum,
2. Et felix dommo, notaque Cæsaribus,
3. Destituit primos viridis Demetrius annos:
4. Quarta tribus lustris addita messis erat.
5. Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
6. Ureret implicitum cum scelerata lues,
7. Cavimus; & domini jus omne remisimus ægro:
8. Munere dignus erat convaluisse meo.
9. Sensit deficiens sua præmia, meque patronum
10. Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

Vers. 1.

Vers. 1. &c. Ordo est: Demetrius viridis, hoc est, juvenis, illa manus, (per appositionem) nempe, ille meus servus amanuensis, librarius meus, qui fidus erat, seu mihi fidelis, & conscius studiorum, & carminum meorum, quæ, scilicet, describebat, cum ea mitterem ad Cæsares, quibus idcirco notus erat. *Felix*, utilis.

3. *Destituit*, *&c.* Vitam vix inchoatam reliquit.

4. Natus erat annos undeviginti, seu 19.

Lustris. Lustrum est spatium annorum quinque quo finito censores lustrabant urbem, & recensebant civium nomina, fortunas, &c.

5. *Famulus*. Non donatus libertate: ordo est; nos tamen cavimus, idest prohibuimus, providimus, ne servi nomen, & conditionem retineret extremo in morbo.

7. Eum volui solutum esse ab omni jure, quod habebam in eum, ut dominus in servum.

Jus omne. Domini jus habebant vitæ, & necis in suos servos, omnia bona servi domini erant, &c.

8. Debebat profecto convalescere isto munere; libertate per me donatus; id merebatur, nisi fata invida obstitissent. Quam vellem, ut sanitatem recipere, perinde ac libertatem, potuisset.

9. Moriturus præmium sibi a me pro fideli opera navata persolutum libens, & lætus agnovit; meque patroni nomine salutavit extremum.

LXXXIV.

Venus invenuste picta.

1. Qui pinxit Venerem tuam, Lycori,
2. Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

Vers. 2. *Blanditus*. Certavit olim Venus de forma cum Pallade, arbitro Paride, qui palmam Veneri adjudicavit, unde grave odium Palladis in Venerem exarsit. Pictor imperitus imaginem Veneris Lycoridi puellæ, insectam, & inelegantem pinxerat; ait Martialis illum hoc fecisse, ut gratiam iniret a Pallade (eadem est, ac Minerva) Venerem nempe deformem pingendo.

LXXXV.

In avarum repente divitem factum.

1. Si dederint Superi decies mihi millia centum,
2. Dicebas nondum Scævola justus eques:
3. Qualiter, o, vivam, quam large, quamque beate!
4. Riserunt, faciles & tribuere Dei.
5. Sordidior multo post hoc toga, pænula pejor:

6. Cal-

6. Calceus est sarta terque, quaterque cute.
7. Deque decem plures semper servantur olivæ;
8. Explicat, & cœnas unica mensa duas.
9. Et Vejentani bibitur fex crassa rubelli,
10. Asse cicer tepidum constat, & asse faba.
11 In jus, o fallax atque inficiator, eamus:
12. Aut vive, aut decies, Scævola, redde Deis

Vers. 1. *Decies centum millia*. Efficit hæc summa libras Francicas 100000. Romanæ vero monetæ circiter viginti duo millia, & quingentos nummos, quos scutatos vocant, & pro immani, ac prægrandi summa poni vulgo solebat.

2. *Justus eques*. Nondum habens censum equestrem, nempe 400. sestertia.

4. *Riserunt*. Norant quippe Scævolam non esse mutaturum avaros mores, & sordidos. *Faciles*. Largi, boni. *Tribuere*, quod petebas, nempe decies centena millia sestertium.

5. *Toga*. Imponebatur tunicæ, idque fere in urbe; ut pænula ruri, aut per imbrem: erat enim pænula villosa vestis, & crassa.

7. De olivis decem, quas convivis apponis in cœna, servas plurimas in cœnam & diem sequentem.

8. Et apponis in una mensa, in uno convivio ferculla rancida, quæ asservaveras, & sepositeras e priori mensa: ita ut eadem fercula duabus cœnis ministrentur, vel tota, vel partim. Potest aliter explicari: Partiris pauca fercula, quæ vix uni mensæ sufficerent, in cœnas duas.

9. *Vejentani rubelli*. Vini rubri pessimi, apud Vejentes (Italiæ populi sunt) nati: urbs primaria Vejentium dicebatur Veii, nunc *Isola*, estque castrum quoddam in Hetruria.

10. Cicer & fabas, vilia legumina, emis, & parvo. De cicere supra Ep. 36.

11. *Fallax*. Qui tu lautius victurum spondebas, si diteseeres.

Inficiator. Negator: qui non stas promissis, qui negas te debere, quod promisisti, nempe, te lautius victurum.

12. *Vive*. Genialiter nimirum, ac opipare.

LXXXVI.

Leonum, & leporum usus.

1. Picto quod juga delicata collo
2. Pardus sustinet; improbæque tigres
3. Indulgent patientiam flagello;
4. Mordent aurea, quod lupata cervi;
5. Quod fræno Lybici domantur ursi;

6. Et

6. Et quantum Calydon tuliſſe fertur,
7. Paret purpureis aper capiſtris;
8. Turpes eſſeda, quod trahunt biſontes;
9. Et molles dare juſſa, quod choreas
10. Nigro bellua nil negat magiſtro;
11. Quis ſpectacula non putet Deorum?
12. Hæc tranſit tamen, ut minora, quiſquis
13. Venatus humiles videt leonum,
14. Quos velox leporum timor fatigat.
15. Dimittunt, repetunt, amantque captos,
16. Et ſecurior eſt in ore præda;
17. Laxos cui dare, pervioſque rictus
18. Gaudent, & timidos tenere dentes,
19. Mollem frangere dum pudet rapinam,
20. Stratis cum modo venerint juvencis.
21. Hæc clementia non paratur arte,
22. Sed norunt cui ſerviant leones.

Verſ. 1. &c. Ordo eſt, Quis non putet ſpectacula Deorum eſſe, hoc eſt, divina, admirabilia, qualibus ipſi Dii capiantur, quod pardi juga collo ſuſtinent: quod tigres & cervi frænis & flagello, ut equi, regantur? &c.

Picto. Maculoſo, varii coloris.

Delicata. Mollia, elegantia, modica; ſericis & aureis ornamentis ad delicias compacta & ornata.

2. *Pardus*. Animal ferum, inſigni crudelitate, velocitate ſumma, maculoſa pelle. *Leopardo*.

Improbæ. Atroces, feræ: vel, cicuratæ, itaut feritate ſua nihil noceant, ſed blandiantur potius & alludant. Ita improbum leporem antea vocavit, lepidum ſcilicet, protervum, petulcum.

3. Verberari ſe ultro patiuntur, adeo ſunt indulgentes Cæſari, & magiſtris obſequentes, quamvis poſſent illis reſiſtere.

4. *Lupata*. Fræna ſunt aſpera & inæqualia, quorum morſus acerrimus: a dentibus lupinis, qui acutiſſimi ſunt, nomen illis factum.

6. *Calydon*. De illo apro vide Ep. 14. libri ſpectac. Vocarur ea nunc urbs *Ayton*. Aper tantus, quantus erat ille Calydonius.

7. *Capiſtris*. Capiſtrum eſt lignum, quod inſeritur equorum collo, dum aratro juguntur: aut vinculum quo illorum os, collumve obſtringitur.

8. *Eſſeda*. Sunt currus Britannici, aut etiam Gallici *Chariots*, *i Carri*.

Biſontes. Vide Ep. 22. libri Spectac.

10. *Nigro*. Alicui nimirum Indo vel Æthiopi.

Bellua. Elephas: ita proprie dicitur ob molem corporis immanem.

12. Hæc tamen ſpectacula licet admirabilia, contemnit, præ leonum venatione lepores magno quaſi labore & defatigatione captantium, humiles feras, & timidas.

13. *Humiles*. Velut indignos leonibus.

14. *Timor leporum*. Timidi lepores.

19. *Frangere*. Occidere. *Rapinam*. Prædā: captos lepores.

20. Pudet leones interimere lepores, cum paulo ante tauros interemerint. *Venerint*. In arenam.

22. Cæſaris numen ſentiunt leones, & clementiam ſcilicet imitantur: norunt eum abhorrere a feritate. Eadem eſt fere clauſula Ep. 16. lib. Spectac. & 15. hujus lib.

LXXXVII.

Vinum Nomentanum vetus.

1. In nomentanis, Ovidi, quod naſcitur agris,
2. Accepit quoties tempora longa merum;
3. Exuit annoſa mores, nomen ſenecta,
4. Et, quidquid voluit, teſta vocatur anus.

Verſ. 1. 2. &c. Vinum Nomentanum ubi diu ſervatum fuit, deponit ingenitam aſperitatem, neque jam Nomentanum vocatur, ſed quodcumque libuerit nomen adſciſcit, Cæcubumque aut Falernum appellari poteſt, quia tunc de bonitate & palma certat cum vinis generoſiſſimis.

Nomentanis. Nomentum eſt oppidum Italiæ in Latio. vulgo nunc *Lamentana*.

Teſta anus. Vetus amphora: vinum vetus in amphoras diffuſum. Doliis etiam fictilibus utebantur.

LXXXVIII.

Poetas quid acuat ad laborem.

1. Sæpe mihi dicis, Luci clariſſime Juli,
2. Scribe aliquid magnum: deſidioſus homo es.
3. Otia da nobis; ſed qualia fecerat olim
4. Mæcænas Flacco, Virgilioque ſuo;
5. Condere victuras tentem per ſæcula curas,
6. Et nomen flammis eripuiſſe meum.
7. In ſteriles campos nolunt juga ferre juvenci:
8. Pingue ſolum laſſat, ſed juvat ipſe labor.

Verſ. 3. *Otia, &c.* Reſpondet Martialis.

Flacco. Horatio, qui Mæcenati chariſſimus; uti & Virgilius ac cujus verſum reſpexiſſe Martialis videtur: *O Me-*

Melibæe Deus nobis hæc otia fecit, otium hic porro pingue, & pecuniosum intelligit. Mœcenas summa fuit apud Augustum in gratia, idemque omnium eruditorum patronus.

5. Tunc ego tentabo ejusmodi carmina scribere cum cura, quæ immortalitatem consequantur: nempe si mihi otia dederis, &c.

6. *Flammis*. Rogo, morti, oblivioni.

7. 8. Nolunt arare littus, agros steriles exercere, tauri. Fatigantur quidem agricolæ, dum pingue, & opimum solum proscindunt, sed ille ipse labor eos delectat, spe nimirum amplæ messis, & mercedis: est illis magno quæstui. Ita scribendi laborem spes mercedis levat.

LXXXIX.

Liber salutator.

1. Est tibi (sitque precor, multos crescatq; per annos)
2. Pulchra quidem, verum Transtiberina domus.
3. At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus:
4. Factus in hac ego sum jam regione senex:
5. Migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem:
6. Es tanti, vel si longius illa foret,
7. Sed tibi non multum est, unum si præsto togatum:
8. Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego,
9. Ipse salutabo decima, vel serius, hora:
10. Mane tibi pro me dicat avere liber.

Vers. 3. At ego habito prope porticum M. Vipsanii Agrippæ. Is Augusti fuit gener; ædificavit templum in honorem omnium Deorum, quod appellavit Pantheum, addiditque porticum lauris opacatam.

Cænacula. Pars ædium ubi cœnabatur, cœnaculum dicta est: erat fere in superiori domo, quæ pars superior cum pauperibus inquilinis vulgo locaretur, cœnaculum sumitur pro vili domuncula.

5. Si velim te mane salutare, demigrandum est mihi ex hac mea domuncula, conducenda mihi alia domus est trans Tiberim, tuæ vicina; tanta enim est intercapedo inter hanc meam prope Pantheon positam, & tuam domum, ut si mane egrediar te salutaturus, viam emetiri ante non possim, quam idonea salutandi hora effluxerit, & tardius ad te sim venturus.

6. Equidem scio te tanti faciendum esse, ut mihi non recusandum sit tantum suscipere itineris, & laboris, etsi domus mea longius abesset a tua.

7. Sed tua dignitas non multum augebitur, si me tibi toga vestitum (ut clientes salutaturi solebant) mane sistam, unum inter tot clien-

tes: ſine incommodo tuo, abeſſe unus poſſum: at non poſſũ adeſſe, tibi præſto eſſe, ſine meo magno incommodo: ſi enim hunc, hoc eſt me, unum mihi nego, mihi eripio & meis litteris, ſi otium ac tempus tero, dum ſalutandi officio fungor, multum mihi perit, magnam jacturam facio.

9. Decima horæ. Tertia ante noctem hora. Diem enim ſemper in horas 12. dividebant, & prima illa erat, qua ſol oriebatur; duodecima, qua occidebat. Hora nona fere cœnabant. Itaq; poſt cœnam ſe venturum dicit, cum litterulis oper navare minus commode poterat:

XC.

Catellæ ſcite pictæ.

1. Iſſa eſt paſſere nequior Catulli,
2. Iſſa eſt purior oſculo columbæ,
3. Iſſa eſt charior Indicis lapillis,
4. Iſſa eſt deliciæ catella Publi:
5. Hanc tu, ſi queritur, loqui putabis,
6. Sentit triſtitiamque, gaudiumque.
7. Collo nixa cubat, capitque ſomnos
8. Ut ſuſpiria nulla ſentiantur:
9. Et deſiderio coacta ventris,
10. Gutta pallia non fefellit ulla;
11. Sed blando pede ſuſcitat, toroque
12. Deponi monet, & rogat levari:
13. Caſtæ tantus ineſt pudor catellæ.
14. Hanc ne lux rapiat ſuprema totam,
15. Picta Publius exprimit tabella.
16. In qua tam ſimilem videbis Iſſam,
17. Ut ſit tam ſimilis ſibi nec Iſſa.
18. Iſſam denique pone cum tabella,
19. Aut utramque putabis eſſe veram,
20. Aut utramque putabis eſſe pictam.

V. 1. Iſſa. Nomẽ eſt caniculæ Publii, amici Martialis.

Paſſere. Vide Epig. 8. hujus libri.

Nequior. Blanditiis vincit paſſerem a Catullo laudatum.

2. Oſculo. Solent columbæ inter ſe, quaſi mutuæ amicitiæ ſignificandæ cauſa, roſtellis admotis oſculari. Senſus eſt, puriorem eſſe caniculam ipſis columbis.

6. Triſtitiam. Domini ſui Publii triſtitiam novit, ut cum eo dolere videatur, &c.

8. Suſpiria. Gravior anhelitus & reſpiratio; ronchi.

9. Ventris. Exonerandi.

10. *Non*

10. *Non fefellit.* Quasi cum palliis pacta esset catella, ne illa inquinaret, servat datam fidem, lotio pallia non fedat.

11. *Suscitat.* Herum, aut famulum aliquem.

Levari, Se deponi e lecto, onere ventris levari.

XCI.

Brevia Epigrammata.

1. Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa;
2. Ipse nihil scribis: tu breviora facis.

Vers. 2. *Breviora.* Neque enim breviora scribi possunt, quam si nulla scribantur, sic hominem, dum laudare simulat, falsè ridet.

XCII.

Munera convenientia.

1. Cum tibi sit Sophiæ par fama, & cura Deorum,
2. Ingenio pietas nec minor ipsa tuo:
3. Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
4. Et qui miratur, Regule, thura dari.

Vers. 1. Cum non minorem famam collegeris propter tuam sapientiam, quam propter religionem & Deorum colendorum curam *Sophiæ*, σοφίᾳ, sapientia.

3. Nemo mirabitur tibi a me mitti muneri librum, & thura (thuris forte librā pro xeniis miserat) nisi qui nesciat convenientia meritis & virtutibus munera danda esse. Merita hic pro egregiis Reguli dotibus & virtutibus accipit. Librū mitto viro sapientiæ studioso: thus, viro pio, & sæpe sacrificanti, ideoque thure multo indigenti.

XCIII.

In mentitum nobilem.

1. Cum te non nossem, dominum, regemq; vocabam:
2. Cum bene te novi, jam mihi Priscus eris.

Vers. 1. Antequam te nossem, te salutabam nomine domini, regis, &c. ratus te scilicet virum esse divitem ac nobilem: postquam quis esses intellexi, tuo te jam nomine & Priscum, qui Priscus es, sine ulla dignitatis nota, compellabo. Fortasse jam antea norat illum Priscum,

sed aliquid ab eo sperans pecuniæ, aut beneficii, palpabat hominis avaro: ubi nihil se blanditiis suis extorquere vidit, eum cœpit contemnere, & hoc Epigrammate lacessere.

XCIV.

Ubi libri sui sint venales, docet.

1. Quæcumque lusi juvenis, & puer quondam,
2. Apinasque nostras, quas nec ipse jam novi:
3. Male collocare si bonas voles horas,
4. Et invidebis otio tuo, lector,
5. A Valeriano Pollio petes Quincto,
6. Per quem perire non licet meis nugis.

Vers. 1. *Lusi*. Scriptitavi paulo licentius fortasse.

2. *Apinas*. Nugas: ludicros versus. Ait Plin. lib. 3. c. 11. Apinas & Tricas fuisse urbiculas duas in Latio, quas Diomedes evertit tanta cum ignominia, & pernicie, ut earum nomen abierit in proverbium usurpari solitum de rebus nullius pretii, & momenti.

Jam novi. Adeo multæ sunt; a tempore tam longo scriptæ.

4. *Invidebis otio tuo*. Cum otii te tui pœnitebit, cum odisse illud incipies, ac male occupatum voles.

6. *Non licet*. Quia ipse illas collegit, & in lucem edidit. Bibliopola, credo, celebris & vulgo notus erat iste Pollius.

XCV.

Epitaphium Antullæ.

1. Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
2. Fœnius, & breve rus, udaque prata tenet:
3. Condidit hic natæ cineres, nomenque sacravit,
4. Quod legis Antullæ, dignior ipse legi;
5. Et Stygias æquum fuerat patrem isse sub umbras:
6. Quod quia non licuit, vivat, ut ossa colat.

Vers. 1. O Faustine, in hortis tibi vicinis & villa, Telesphorus Fœnius habitat. *Cineres*. Vide Ep. 2.

Nomen sacravit. Filiæ Antullæ, quod legitur, quod adscriptum est, nomen addidit tumulo, & Diis Manibus tumulum totum consecravit. Solebant Romani tumulo præfigere hunc titulum, *Diis Manibus sacrum*, idque istis notis significare & litteris, D. M. S. Deinde paulo

lo inferius addebant nomen ſepulti cum aliquo elogio ſeu epigrammate, iiſque fere verbis utebantur: Hic ſitus eſt ∴ H. S. E.

4. *Dignior ipſe legi.* Dignũ, ideſt, æquum, & par fuiſſet ut Teleſphori Fænii nomen prius, quam Antullæ filiæ, legeretur in tumulo: æquum erat patrem prius obire, quam filiam. Itaque legit Heraldus: *Et Stygias æquum fuerat prior eſſet ad umbras.*

6. *Oſſa colat.* Sacri erant priſcis tumuli, & mortuos, animaſq; defunctorum, quas Manes vocabant, colere ſoliti erant ac venerari. Vivat igitur diu, ut Manes charos diu colat. Ita patri adulatur, dum filiam prædicat.

XCVI.

Ager in familiæ ſepulchrum ſepoſitus.

1. Hoc nemus æterno cinerum ſacravit honori
2. Fœnius, & culti jugera pauca ſoli.
3. Hoc tegitur cito rapta ſuis Antulla ſepulchro:
4. Hoc erit Antullæ miſtus uterque parens.
5. Si cupit hunc aliquis, moneo, ne ſperet agellum:
6. Perpetuo dominis ſerviet iſte ſuis.

Verſ. 1. *Nemus.* Lucum ſolebant addere tumulis, religionis cauſa.

Sacravit. Sacrum eſſe, & ut ſacrum coli juſſit, ob ſuæ filiæ cineres ibi jam conditos, & ſuos, uxoriſque cineres olim in eodem tumulo condendos.

3. *Suis.* Parentibus, propinquis.

4. Hoc ſepulchro miſti erunt cineres utriuſque parentis Antullæ.

5. *Ne ſperet.* Solebant agri portionem ad ſepulchrum familiæ ſervare, cavebantq; ne cum cæteris bonis ad hæredes tranſiret, iſtis compendiariis litteris cippo, ſeu columnellæ, inſculptis, H. M. N. S. *Hæredes monumentum ne ſequatur.*

6. *Serviet.* Ager hic erit perpetuum familiæ & unum ſepulchrum.

XCVII.

Ad Lupercum gratis libellum epigrammatum petentem.

1. Occurris quoties, Luperce, nobis,
2. Vis mittam puerum, ſubinde dicis,
3. Cui tradas Epigrammaton libellum,

4. Lectum quem tibi protinus remittam?
5. Non est quod puerum, Luperce, vexes:
6. Longum est si velit ad Pyrum venire,
7. Et scalis habito tribus, sed altis.
8. Quod quæris, propius petas licebit.
9. Argi nempe soles subire letum:
10. Contra Cæsaris est forum taberna
11. Scriptis postibus hinc, & inde totis,
12. Omnes, ut cito perlegas poetas:
13. Illinc me pete; nec roges Atrectum,
14. (Hoc nomen dominus gerit tabernæ)
15. De primo dabit alterove nido
16. Rasum pumice, purpuraque cultum
17. Denariis tibi quinque Martialem.
18. Tanti non es, ais? sapis, Luperce.

Verf. 2. Dicis mihi, visne, o Martialis, mittam meum tibi servulum?

6. *Longum est, &c.* Longum erit illi faciendum iter, si meam usque veniat domum.

Ad Pyrum. Usque ad domum notam, tabernam fortasse, cujus insigne erat Pyrus, in qua, aut prope quam habitabat Martialis.

7. In tertia contignatione habito, prope tegulas. Scalæ, sive gradus, per quos ascendebatur, multiplices erant, pro numero contignationum.

Quod quæris, &c. Potes propius invenire libellum, quem petis.

9. Soles Argiletum aliquando subire, venire in hanc urbis partem.

Argi subire letum. Argiletum una vox est, quæ hic separatur in duas per tmesim, sive separationem, & quasi sectionem. De Argileto vide 4. Epig. supra. Nosti ubi sit Argiletum, & eo ventitare soles.

10. E regione fori Julii est officina libraria, illinc meum librum pete.

Cæsaris. Julius Cæsar aream ingentem emit, in urbe, in qua forum extruxit. Vide l. 3. Ep. 29. & supra 64.

11. *Scriptis.* In tabernæ hujus librariæ foribus videre est scripta nomina librorum & auctorum, a quibus fuere compositi.

12. Adeo ut omnium poetarum libri uno quasi intuitu legi possint,

13. Non erit opus quærere ab Atrecto (nam hoc bibliopolæ nomen est) & operose ab eo petere, rogare illum pluribus, ut meum tibi librum det. Videtur Lipsio legendum esse, *me roges Atrectum*, idest, me, meum librum, ab Atrecto postula. Rogase aliquid aliquem.

15. *Nido.* Forulo, armario, ubi reconduntur libri.

16. *Rasum Pumice.* ∴ Vide Ep. 58.

17. *Denariis quinque.* Respon-

pondent illi duabus libris Turronenſibus Francicæ monetæ, ideſt, aſſibus, 40. quatuor circiter Juliis cum dimidio, Romanæ.

18. Tanti non vales. *Sapis* Recte dicis, nimia eſt illa ſumma pro hiſce nugis.

XCVIII.

Magnus liber.

1. Cui legiſſe ſatis non eſt epigrammata centum,
2. Nil illi ſatis eſt, Cæciliane, mali.

Verſ. 2. *Mali*. Callimachus poeta dictitabat, magnum librum eſſe magnum malum.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Epigrammatum libros epistola, & præfatione neutiquam indigere docet.

QUID nobis, inquis, cum epistola? parumne tibi præstamus, si legimus epigrammata? Quid hic porro dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video, quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet: epigrammata curione non egent, & contenta sunt sua, ideſt, mala lingua: in quacumque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, & togam saltanti inducere personæ. Denique videas, an te delectet contra retiarium ferula. Ego inter illos feddo, qui protinus reclamat: Puto, mehercule, Deciane, verum dicis. Quid, si scias, cum qua, & quam longa epistola negotium fueras habiturus? Itaque quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi pervenient.

Quid nobis, &c. Cur epistolam libro præponere meditaris, o Martialis (inducitur Decianus Stoicus Philosophus, & amicus Martialis loquens) nonne satis molestiæ, laborisque tua causa sumimus, si legimus tua epigrammata?

Video, &c. Intelligo cur actores tragœdiarum utantur epistola, nempe quia ipsi pro se, & per se loqui non possunt; possunt epigrammata; imo singula possunt esse instar epistolæ.

Accipiant, &c. Tragœdi & comedi aliquid a populo petituri, aut monituri quidpiam, utebantur epistola,

ſa, quam curio, ideſt, præco e theatro recitabat. Id autem faciebant, quia inter tragœdiæ leges hæc eſt, vel ſanctiſſima, ut nè actores loquantur quidpiam, quod ad tragœdiam ipſam, & actionẽ ſcenicam non ſpectet, in quo ſæpe Plautus peccat.

Curione. Curio proprie eſt dux Curiæ: interdum, ut hoc in loco, ſignificat præconem. Romulus populum Romanum diviſit in tres partes, quas Tribus appellavit. Tribus ſingulas in Curias decem, Curiaſq; in decem Decurias diſtribuit. Singulis ſingulos præfecit duces: Tribubus Tribunos, Curiis Curiones, Decuriones Decuriis. Sacra ſibi propria ſingulæ Curiæ habebant, ac cenſus, & præcones ſuos, qui vocabantur etiam curiones, quia ſacrificia Curiæ indicebant, feſtos dies publice denunciabant, &c.

Malæ. Maligna, dicaci. *Epiſtolam faciunt.* Admonent verſibus lectorem, quocumque loco voluerint.

Togam, &c. Induere ſaltantem hiſtrionem, & minimum honeſta, & liberali veſte, qualis eſt toga, ideſt, præponere feriam epiſtolam ludicris verſiculis. Toga honoris cauſa ſumebatur, & in rebus, actionibuſque ſeriis; exuebatur in ludicris, v. g. in Saturnalibus. Eamdem ob cauſam clientes cum ſalutabant patronos, apparebant togati, &c.

Contra retiarium ferula. Vide, ne utendo Epiſtola, qua te contra obtrectatores epigrammatum tuorum defendas, idem facias, ac mirmillo, qui contra retiarium bene armatum uteretur ligneo bacillo, & imbecilla ferula; omitte epiſtolam, melius, & validius epigrammate ipſo pugnabis. Porro hic ferulæ meminit, quia gladiatores recens auctorati, ſive mercede ut depugnarent conducti, antequam ferro, & ſolitis armis accingerentur, vapulare ſolebant ferulis per jocum, ab aliis gladiatoribus, quaſi pro auſpicio, & ut plagis aſſueſcerent.

Retiarium. Inter gladiatores, duo maxime genera erant inſignia: alteri retiarii vocabantur, quia rete gerebant, quo involverent caput adverſarii; & fuſcinam ſeu tridentem, quo illum reticulo involutum perimerent: alteri mirmillones dicebantur; quorum arma erant enſis longior, &c. Vide Juvenalem Sat. 8. & noſtras in eum notas.

Ego, &c. Sicut ſpectatores confidentiam illius mirmillonis, ac temeritatem ſtatim reclamando condemnarent, ita ego te condemno, &c. Cum videro te vinci ab tuis obtrectatoribus tenui duntaxat epiſtolio munitum, non te tutabor, imo illis me adjungam, & favebo. Cum uterlibet gladiatorum ab adverſario male mulctabatur, exclamabat populus, urgebatque victum ac inferiorem, & his verbis victorem accendebat, *occide, ure, verbera.*

Puto. Reſpondet Martiali: vere narras; habebam ingentem epiſtolam in promptu, ſed omittetur, ſiquidem jubes.

EPIGRAMMA I.

Libri brevioris commoda.

1. Ter centena quidem poteras epigrammata ferre.
2. Sed quis te ferret, perlegeretve, liber?
3. At nunc succincti, quæ sint bona discе libelli:
4. Hoc primũ est, brevior quod mihi charta perit.
5. Deinde, quod hæc una peragit librarius hora,
6. Nec tantum nugis serviet iste meis.
7. Tertia res hæc est, quod si cui forte legeris,
8. Sis licet usque malus, non odiosus eris.
9. Te conviva leget misto quinque ; sed ante
10. Incipiat positus, quam tepuisse calix.
11. Esse tibi tanta cautus brevitate videris?
12. Hei mihi! quam multis sic quoque longus eris!

Vers. 3. *Succincti libelli.* Brevioris. Proprie succinctus ille dicitur, cujus vestes sunt altius præcinctæ.

5. Hoc alterum est commodum, quod pauca hæc epigrammata describit librarius una hora, brevi tempore.

Librarius. Qui exscribit libros; interdum qui vendit.

6. Nec tantum occupabitur iste librarius describendis ludicris versiculis, sed vacare poterit melioribus libris exarandis.

9. *Misto quincunce.* Dum poculum ipsi ministrabitur, idest, in mensa & vino te leget, idque antequam scyphus a ministro super mensam depositus, refrixerit. Poculum miscere, est poculum ministrare, implere vino, aqua temperare.

Quincunce. Diximus lib. 1. Epig. 26. esse mensuram quinque cyathos continentem.

Tepuisse. Aqua enim calida vinum temperabant. Vel, si libeat explicare de vino, quod frigidum, aut aqua frigida temperatum sit; expone; Antequam illud frigidum vinum tepuerit mora ipsa bibendi. Solet enim liquor frigidus ipso tempore plurimum de illo suo frigore deperdere, præsertim calidiori loco, & tempestate.

II.

Domitiani triumphus de Germanis.

1. Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen
2. Scipio, quod victor, quodque Metellus habet.
3. Nobilius domito tribuit Germania Rheno,

4. Et

4. Et puer hoc dignus nomine, Cæsar, eras:
5. Frater Idumæos meruit cum patre triumphos;
6. Quæ datur ex Cattis laurea, tota tua est.

Vers. 1. 2. *Creta*. Insula est posita e regione maris Ægæi, hodie *Candia*. Hæc dedit magnum nomen L. Metello: is enim vocatus fuit Creticus, quia Cretenses Mithridati faventes debellavit, anno ab U. C. 687. insulamque igni & ferro populatus per triennium, eam in provinciæ formam redegit.

Majus. Scipioni Africano minori, qui Carthaginem delevit, nec unam tantum insulam, ut Metellus, sed Africam, tertiam orbis partem, Romano Imperio subjecit, Creta igitur magnum dedit nomen, quod habet Metellus victor; at majus dedit Africa, quod habet Scipio. Primum bellum Punicum exarsit anno Urbis 489. & a Q. Lutatio Catulo confectum est. Secundum anno 536. quod post annos 17. P. Scipio Africanus major peregit. Tertium anno 605. cœptum, annis quatuor P. Scipio Africanus minor dictus, sive Æmilianus, absolvit.

3. *Nobilius*. Quia Germani sunt bellicosi: Cretenses vero & Afri, molles discinctique.

4. *Et puer*. Ratio altera, propter quam prædicat vates appellationem Germanici; nempe quia Domitianus illam non ætate provectior, ut Metellus & Scipio, sed pœne puer, est promeritus. Lege Sveton. in Domitiani Vita.

5. Licet frater tuus de Judæis triumphum egerit, non solus tamen, sed cum Vespasiano patre tuo triumphavit; hæc ultima ratio, & potissima.

Frater. Titus: Jerosolymam evertit anno Christ. 70. At hoc bellum Vespasianus inchoaverat, & valde promoverat. *Idumæos*. Reportatos e Judæa victa, cui vicina est Idumæa, regio palmis frequens.

6. *Cattis*. Populi Germaniæ ad Rhenum, quos bello quidem lacessivit Domitianus, at nec admodum feliciter, nec ita necessario. Lege Svet. cap. 2. & 6. Legunt aliqui, *Datis*. Illi eas incolebant regiones ad Istrum, quas nunc Valachi & Moldavi obtinent: verum absunt a Rheno longius, de quo tamen solo hic loquitur Martialis. Rectius igitur legendum, *Cattis*.

Laurea. Laurea corona; laurus erat signum victoriæ & præmium.

III.

Debitor nihil debens.

1. Sexte, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur.
2. Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

Vers.

Verſ. 2. *Poteſt*. Debitoris enim inopia excludit omnem actionem, ut aiunt juriſconſulti, quia nihil auferri poteſt ab eo, qui nihil habeat, & qui ſolvere non poteſt, ſuum quodammodo fecit id, quod mutuo accepit.

IV.

Cur amicum frequentius non inviſat.

1. Ne valeam, ſi non totis, Deciane, diebus,
2. Et tecum totis noctibus eſſe velim:
3. Sed duo ſunt, quæ nos diſtinguunt, millia paſſum:
4. Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
5. Sæpe domi non es; cum ſis quoque, ſæpe negaris:
6. Vel tantum cauſis, vel tibi ſæpe vacas.
7. Te tamen, ut videam, duo millia non piget ire;
8. Ut te non videam, quatuor ire piget.

Verſ. 1. *Ne valeam*. Jurandi formula; uti diſpeream, moriar, ſi, &c.

3. *Diſtinguunt*. Alterum ab altero ſeparant. *Duo millia paſſum*. Pro, paſſuum. Eſt ferme ſpatium leucæ Gallicæ.

4. Fiunt 4000. paſſuum, quando te inviſo, & domum meam redeo.

5. *Negaris*. Diceris domi non eſſe: ſervus abeſſe te dictat.

6. *Cauſis*. Agendis & parandis; audiendis conſultoribus.

Tibi. Valetudini curandæ & corpori tuis negotiis.

V.

In faſtidioſum lectorem:

1. I nunc, edere me jube libellos:
2. Lectis vix tibi paginis duabus,
3. Spectas σπαθοκώλιον. Severe,
4. Et longas trahis oſcitationes.
5. Hæc ſunt, quæ relegente me ſolebas
6. Raptim ſcribere, ſed Vitellianis:
7. Hæc ſunt ſingula, quæ ſinu ferebas
8. Per convivia cuncta, per theatra:
9. Hæc ſunt, aut meliora, ſi qua neſcis.
10. Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
11. Nullo craſſior, ut ſit umbilico,
12. Si totus tibi triduo legatur?

13. Nun-

13. Nunquam deliciæ supiniores.
14. Lassus tam cito deficis viator,
15. Et cum currere debeas Bovillas,
16. Interjungere quæris ad Camænas?
17. I nunc, edere me jube libellos.

Vers. 3. Ἔσχατον ἥμισυ. Ultimam libri partem, ἔσχατος, ultimus; ἥμισυ, membrum, pars.

Oscitationes. Signa hominis fastidiosi & somniculosi.

5. Atqui hæc illa tamen sunt epigrammata eadem, quæ cum a me semel, iterumque, te audiente, legebantur, antequam essent edita, a te exscribebantur raptim in elegantibus pugillaribus: cur nunc ea fastidis?

6. Vitellianis. Pugillares elegantes, auro, minioque picti, in quibus ea scribebantur, quæ maximo haberentur in pretio, dicebantur Vitelliani, opinor, quod aut inventi, aut usurpati a Vitellio Imper. homine omnium deliciarum & ineptiarum amantissimo.

7. Singula. Singula hæc epigrammata & separata, magni faciebas, cur collecta in unum librum, abjicis?

Sinu ferebas. In sinu ferre aliquid, est charum habere. Adde, quod libellos elegantes in sinu gerimus, unde promi facilius possint.

9. Si qua nescis. Si qua sunt epigrammata, quæ ignores, quæ tibi non recitaverim, ea continentur in hoc libro, & quidem iis, quæ jam audisti, meliora.

10. Quid ergo me juvat, quod curavi, ut hic meus liber esset minimæ molis & ponderis? quod ei nullos addidi umbilicos, qui si essent crassior & ponderosior, foret crassior & ponderosior; si totum triduum ponis in eo legendo, quem hora una posses perlegere? Erant in libris umbilici, clavi quidam ærei aut argentei, bullæ, ornamenta in modum umbilici facta, quibus extremæ libri paginæ ornabantur. De illis mentio incidit lib. I. Epist. 58.

13. Numquam vidi hominem delicatioris palati, ac fastidii, quam te. Delicias pro homine delicato, & contemptore, hic ponit.

15. *Bovillas*. Bovillæ, quasi boum villa (ibi enim boves colligebantur, ducendi postea in urbem) viculus fuit in Latio, non procul Roma.

16. Equos dejungere paras, iter interrumpis vix urbe egressus. *Interjungo*, est, equos, ut vescantur, solvo; eos interquiescere jubeo. Brevem librum uno decursu non legis, hæres quasi in itinere, & subsistis: eos imitaris, qui cum possint Roma Bovillas usque ire uno cursu & non interrupto, propter itineris brevitatem & facilitatem, intersistere tamen ad templum Camænarum, quasi essent festi, volunt.

Camænas. Ad templum Camænarum, idest, Mularum. Erat illud ad portam Trigeminam, & propius aberat Roma, quam Bovillæ.

In

VI.

In Ardelionem.

1. Declamas belle, cauſas agis, Attale, belle,
2. Hiſtorias bellas, carmina bella facis:
3. Componis belle mimos, epigrammata belle,
4. Bellus grammaticus, bellus es Aſtrologus.
5. Et belle cantas, & ſaltas, Attale; belle:
6. Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ:
7. Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
8. Vis dicam quid ſis? magnus es ardelio.

Verſ. 1. *Declamas*. Orator veras cauſas agit: declamator fictas, exercitationis cauſa.

3. *Mimos*. poemata turpicula, comœdias ridiculas, in quibus hiſtriones hominum geſtus maxime imitantur: a verbo græco μιμέομαι, imitor,

8. *Ardelio*. Significat hoc in loco hominem, qui omnia ſe facere, & quidem belle atque eleganter profiteatur, qui vero nihil agat, aut certe nihil bene, & perfecte: qui in omnia ſe interponat, & intermiſceat. Vide lib. 1. Ep. 66. proprie ardelio, ſive ardeola, inquit Ramireſius, eſt avis altiſſime volitans, & in eodem aeris loco diu conſiſtens, ubi alas operoſe quaſſat, ſeque multum movendo, nihil promovet: metaphorice ſignificat homines in otio negotioſos, & cum nihil agant, occupatiſſimos. Eos ſcite Phædrus deſcribit fabella quinta lib. 2.

VII.

Ad lectorem parum candidum.

1. Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in iſtis
2. Sive obſcura nimis, ſive Latina parum;
3. Non meus eſt error; nocuit librarius illis,
4. Dum properat verſus annumerare tibi.
5. Quod ſi non illum, ſed me peccaſſe putabis;
6. Tunc ego te credam cordis habere nihil.
7. Iſta tamen mala ſunt; quaſi nos manifeſta negemus,
8. Hæc mala ſunt; ſed tu non meliora facis.

Verſ. 3. *Librarius*. Is dicebatur, qui libros manu ſcribebat, & multa eorum exarabat exempla: omnia, enim, ante inventam typographiam, ſcribebantur manu.

Illi

Illi autem librarii inſcitia vel feſtinatione nimia ſæpe libros nocebant, omittendo, v. g. voces aliquas, alias aliis præponendo, &c.

4. *Annumerare*. Augere numerum verſuum, quos tibi det legendos.

5. 6. Si meum eſſe potius, quam librarii vitium dicas, ne tu parum candidus, & cordatus eris, atque adeo vel me peccante pejor.

7. At enim (inquit lector) mala ſunt tua carmina? Quaſi vero id negem (reſpondet Martialis) quod adeo manifeſtum eſt? Sed o bone, an facis meliora?

VIII.

Male officioſus.

1. Baſia dimidio, quod das mihi, Poſthume, labro,
2. Laudo; licet demas hinc quoque dimidium.
3. Vis dare majus adhuc; & inenarrabile munus?
4. Hoc tibi habe totum, Poſthume, dimidium.

Verſ. 1. *Baſia*. Oſcula officioſa: ſic blandiri ſolent homines urbani, adulatores. Rogat illum, ut ſibi ſuas ſalutationes, & blanditias, ac totas quidem, ſervet.

2. *Laudo* ..... Habeo gratiam, & habeo maiorem, ſi ex dimidio labro dimidiam partem tollas, & me quarta tantum labri parte oſculeris, imo, ſi nullo.

IX.

Paraſitus cœnare domi coactus.

1. Quod fronte Selium nubila vides, Rufe,
2. Quod ambulator porticum terit ſerus;
3. Lugubre quiddam, quod tacet piger vultus;
4. Quod pene terram tangit indecens naſus;
5. Et dextra pectus pulſas, & comam vellis:
6. Non ille amici fata luget, aut fratris:
7. Uterque natus vivit, & precor vivat;
8. Salva eſt & uxor, ſarcinæque, ſervique:
9. Nihil colonus, villicuſque decoxit.
10. Mœroris igitur cauſa quæ? domi cœnat.

Verſ. 1. *Nubila*. Triſtitiæ nube velut obducta.

2. *Porticum*. Varie erant Romæ porticus, ſub quibus multi ultro, citroque commeabant. Selius quærens aliquem, a quo invitaretur ad cœnam, ſub noctem ibi morabatur.

rabatur, ac inambulabat.

3. Quod præsefert aliquid lugubre tacito, ac mœsto vultu. Ineſt etiam in triſtitia lentum aliquid, & pigrum, hinc Selii vultus piger dicitur.

4. *Naſus*, *&c.* Qui præ pudore, & triſtitia oculos, ac vultum dejiciunt, illis naſus demittitur, & apparet longior: ac forte iſti Selio jam erat per ſe bene longus.

8. *Sarcinæ*. Suppellex domeſtica. Nihil fures illi abſtulerunt.

9. *Colonus*. Qui agrum conductum, & alienum colit. Alias eum ſignificat, qui e patrio ſolo alium in locum mittitur, ejus incolendi cauſa.

Villicus. Qui villæ curam habet. *Decoxit*. Perdidit, nihil damni dedit. Metaphora ducitur ab iis liquoribus, qui cum imponuntur igni, abſumuntur ſenſim, & minuuntur. Decoquere eſt aliquando convaſare, *faire banqueroute*, *fallire*.

X.

In bene olentem.

1. Eſſe quid hoc dicam, quod olent tua baſia myrrhâ,
2. Quodque tibi eſt nunquam non alienus odor?
3. Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene, Poſthume, ſemper;
4. Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

Verſ. 1. *Myrrham*. Paſtillos mirrheos, & diapaſmata. V. lib. 1. Ep. 72.

4. *Non bene olet*. Signum eſt, illum olidum, & fœtentem eſſe, qui tetrum ſuum hunc odorent, odore alieno, & exquiſito celatum velit. Iſtæ voces, bene olet, priori loco poſitæ per ſe, & proprie ſignificant, poſteriori, odorem induſtria quæſitum, & adſcitum ſonant.

XI.

Cuinam ſolvendum.

1. Et judex petit, & petit patronus:
2. Solvas cenſeo, Sexte, creditori.

Verſ. 1. *Creditori*. Quia huic uni debes, & minore damno illi ſolves omittendo litem, quam litem perſequendo, ne illi ſolvas. Si enim cauſam obtines, tunc ſolvendum tibi erit duobus, judici nempe, & patrono; ſi cauſa cadis, tribus nempe judici, patrono, & creditori. Satius eſt igitur uni creditori ſolvere, & litem miſſam facere.

In

XII.

In cœnipetam.

1. Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
2. Cœnandum quoties jam videt esse domi.
3. Currit ad Europen, & te, Paulline, tuosque
4. Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
5. Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
6. Si quid Phyllirides præstet, & Æsonides.
7. Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
8. Assidet & cathedris mœsta juvenca tuis.
9. Inde petit centum pendentia tecta columnis:
10. Illinc Pompeii dona, nemusque duplex.
11. Nec fortunati spernit, nec balnea Fausti;
12. Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi:
13. Nam thermis iterum cunctis, iterumque lavatur:
14. Omnia cum fecit, sed renuente Deo,
15. Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit;
16. Si quis ibi serum carpat amicus iter.
17. Per te, perque tuam, vector lascive, puellam,
18. Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

Vers. 3. *Ad Europen.* Ad campum Martium, in quo multæ porticus picturis ornatæ, inter quas erat una, Europe dicta, quia visebatur in ea imago Europes tauro vectæ. De illa jam incidit mentio, in libro Spectac. Epig. 15.

Paulline. Laudabat Selius Paullinum a celeritate pedum, qua olim Achilles præstabat, nempe ut ab eo invitaretur ad cœnam.

Achilleos. Similes Achillis pedibus.

4. *Sine fine.* Sine modo, laudibus immodicis, ut adulatores solent. Pedum velocitate imprimis gloriabantur, qui exercebant sese in Campo Martio, cursu, & saltu.

5. 6. Si nihil in porticu profecit, si non reperit, apud quem cœnaret, petit septa, si forte Chiron, & Jason, ipsi amiciores futuri sint.

Septa. Erat pars campi Martii, fudibus, & cancellis inclusa, instar caularum, quam ob causam *Ovilia* iste locus etiam appellabatur, in eo includebatur centuria quælibet, aut tribus populi Romani cum ferebantur suffragia, ut tumultus vitaretur. Comitiis vero solutis, occupabant eum locum mercatores, ibique proponebant varias merces, adeo ut ibi essent

essent perpetuæ quasi nundinæ.

Phyllirides. Chiron, e centauris unus, Achillis præceptor, Phyllires, & Neptuni filius. Prope septa templum erat Neptuni, juxtaque pulcherrima porticus, in qua picta erat Argonautarum historia, quorum præcipui fuere Chiron, & Jason, qui ab Æsone patre vocatur Æsonides.

7. *Memphitica*. Egyptia. Memphis urbs Ægypti primaria, de qua dictum Ep. 1. libri Spectac. Intelligitur hic templum Isidis Deæ Ægyptiorum; erat in Campo Martio prope Ovile.

8. *Cathedris*. Sedet in scamnis, quæ sunt in templo Isidis.

Juvenca. Isis eadem fuit ac Io, filia Inachi, regis Argivorum, quam poetæ mutatam fuisse in vaccam, canunt: humanæ postea formæ reddita nupsit Osiridi regi, & Deo Ægyptiorum. Mœsta dicitur, quia virum amissum diu quæsivit, nec nisi mortuum invenit.

9. Inde petit porticum fultam multis columnis ex are Corinthio factis: quæ ob eam rem Corinthia vocatur.

10. Ex hac porticu confert se in illam, quam Pompejus ædificavit, donavitque populo: tum in ejusdem Pompeji duplices hortos, superiores nempe, & inferiores, qui a populo frequenti celebrabantur.

11. *Fortunati*. Balneatoris est nomen, ut alia tria, quæ sequuntur.

12. *Tenebras*. Balneas tenebrosas, & sordidas adit. *Æoliam*. Balneas in edito, & patente loco positas, velut Æoli ventorum Dei, domum. Opponit eas Grilli balneis in tenebricoso, & depresso loco sitis. *Thermæ*. Balnea calida sunt. Vid. l. Sp. Ep. 2.

14. Cum hæc omnia loca lustravit irrito labore: Jove non favente; vel irato Genio: Genius enim suus cuique Deus erat.

15. *Lotus, &c.* Postquam lotus est otiose in istis balneis, redit ad primam illam suam porticum, & adjunctum ei nemus e buxo. *Tepidæ*. Sub vesperam, quando sol tepidus, devexusque porticum hanc lustrat.

17. *Vector lascive*. O Jupiter in taurum mutate, qui Europam vexisti.

18. *Vocæ*. Mortui dicebantur vulgari parœmia, apud Jovem cœnare: itaque his verbis mortem Sellio precatur, dum optat, ut cum Jove cœnet.

XIII.

In convivam male olentem.

1. Quod nulli calicem tuum propinas,
2. Humane facis, Herme, non superbe.

Vers. 1. *Propinas*. Propinare proprie est, prægustato leviter vino, poculum alteri offerre: quasi, præbibere. Id ami-

amicis compotantibus erat in more.

2. Humane. Amice, urbane. Non vis enim compotatores offendere fætido, & spurco, quem attigisti, calice. Eam causam acute relinquit lectori colligendam.

Herme. Erat hic Hermus ore spurco, & graveolenti, neque ex eodem quo ille scypho bibere quisquam sine nausea potuisset.

Superbe. Quidam enim hoc arrogantia faciebant, ut nemini propinarent. Ita dum videtur eum laudare, pungit.

XIV.

Morbus divitis.

1. Zoilus ægrotat, faciunt hanc stragula febrem:
2. Si fuerit sanus, coccina quid facient?
3. Quid torus a Nilo, quid sindone cinctus olenti,
4. Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
5. Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes:
6. Vis fieri sanus? stragula sume mea.

Vers. 1. *Faciunt* .... Ideo ægrotat, ut ostentet sua stragula.

Stragula. Stragulum, sive vestis stragula, proprie dicitur ea, qua lectus operitur, a sternendo.

2. Si esset sanus, quid prodessent coccina stragula, quæ nemo cerneret? Nunc vero spectantur ab invisentibus illum ægrotantem. Coccum granum quoddam est, ex quo aqua macerato, fit color eximii ruboris.

3. Torus, e lino candidissimo, & ab Ægypto ultima petito textus, cinctus, & opertus sindone, fragranti, animirum ex odorata byssо, est enim sindon vestis Tyria, a Tyro, vel Sidone, unde nomen traxit, advecta, & subtili bombyce, ac delicato, contexta. Legendum putat Scriverius: *Quid Sidone tinctus olenti?* Nempe lectus tinctus, seu tectus purpura tincta in urbe Sidone prope Tyrum, quæ olens dicitur, quia recentis purpuræ gravis est odor. Penultimam autem posse corripi in voce *Sidone* docet adiectivum ex ea ductum *Sidonius*, in quo antepenultima modo brevis est, modo longa.

4. Quid significat iste morbus? nempe non ægrotare febri Zoilum, sed stulta cupiditate ostentandi opes laborare.

5. *Machaonas.* Medicos. Machaon Æsculapii filius, medicus præstantissimus.

6. Vis e lecto surgere, & valere? mea vilia & trita stragula sume, pauper esto; valebis, non fovebis lectulum, quia nihil erit, quod ostentare velis.

Ton-

X V.

Tonſtrix imperita.

1. Tonſtrix Suburræ faucibus ſedet primis.
2. Cruenta pendent qua flagella tortorum,
3. Argique letum multus obſidet ſutor.
4. Sed iſta tonſtrix, Ammiane, non tondet:
5. Non tondet, inquis? ergo quid facit? radit.

Verſ. 1. Quædam tonſtrix habet officinam in limine & aditu vici Suburrani.

Suburræ. Suburra vicus Romæ fuit frequentiſſimus, ita dictus, quod ſub aniquæ urbis mœnibus eſſet, quaſi Suburba.

2. 3. Ubi eſt domus tortoris publici, & locus ubi ſervi flagitioſi aut malefici loris plectuntur, non procul Argileto a ſutoribus frequentato. De Argileto dictum lib. I. Ep. 4.

5. *Radit*. Ita male tondet, ut radere barbam, ideſt, vellere pocius, & laniare, quam tondere videatur.

X V I.

In egentem patronum.

1. Capto tuam, pudet heu, ſed capto, Maxime, cœnam,
2. Tu captas aliam: jam ſumus ergo pares:
3. Mane ſalutatum venio, tu diceris iſſe
4. Ante ſalutatum: jam ſumus ergo pares.
5. Sum comes ipſe tuus, tumidiq; anteambulo regis;
6. Tu comes alterius: jam ſumus ergo pares,
7. Eſſe ſat eſt ſervum; jam nolo vicarius eſſe.
8. Qui rex eſt, regem, Maxime, non habeat.

Verſ. 2. *Captas*. Animadverti te aliorum quoque captare cœnas. *Pares*. Putabam te dominum, & regem meum eſſe, ditior me non es.

5. *Comes*. Clientes ſolebant aſſectari per urbem patronos, & comitari honoris cauſa. *Anteambulo*. Is dicitur, qui præcedit alium, & quaſi viam illi ſternit, quod erat quoq; clientum. *Regis*. Diximus ſupra, ita vocatos fuiſſe patronos a clientibus.

7. *Vicarius*. Ita proprie dicebatur ſervi ſervus, nempe qui erat in poteſtate ſervi alterius, & ejus vices obibat.

8. Qui cæteris vult imperare, aliis ne ſerviat.

Cœna

XVII.

Cœna ſordida.

1. Felicem fieri credis me, Zoile, cœnis:
2. Felicem cœna, Zoile, deinde tua?
3. Debet Aricino conviva recumbere clivo,
4. Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

Verſ. 2. An putas me cœnarum eſſe captatorem, præſertim tuæ? falleris: nullius cœnam, minime vero tuam, capto.
3. *Aricino.* Aricia, vicus in via Appia, poſitus in clivo: frequens mendicis, ob celebritatem viæ, & hominum commeantium frequentiam. Deceat, juvet, mendicos tua cœna, non me.

XVIII.

Empta Carmina.

1. Carmina Paullus emit; recitat ſua carmina Paullus:
2. Nam quod emas, poſſis dicere jure tuum.

Verſ. 1. *Sua.* Illa quæ emit, recitat pro ſuis, ut ſi eſſent ſua. Non alio jure ſua, quam quod illa emit.

XIX.

Os ſpurcum.

1. Baſia das aliis; aliis das, Poſthume, dextram.
2. Dicis, utrum mavis? elige: malo manum.

Verſ. 1. *Dextram.* Oſculandum vulgo ſervis dextram dabant, amicis os. Ego tamen, inquit Martialis, malo manum oſculari, quia minus fœtida eſt, quam os. Vide Epigr. 8. iſtius libri.

XX.

Urbanitas putida.

1. Quid mihi vobiſcũ eſt, o Phœbe, novemq; ſorores?
2. Ecce nocet vati Muſa jocoſa ſuo.

3. Di-

3. Dimidio nobis dare Posthumus ante solebat
4. Basia; nunc labro cœpit utroque dare.

Vers. 1. O Phœbe, vosque Musæ, cur ego vos & vestras artes colo? Quid male de vobis commerui? 3. *Dimidio*. Subaudi, labro. Ignotum me antea, parce, obiterque osculabatur; nunc fama & carminibus meis cognitum, quasi honoris & amicitiæ causa, ore toto me osculatur & fætentem mihi mephitim inhalat: o famam mihi exitialem!

XXI.

Amicus ultor.

1. Non dicam, licet usque me rogetis,
2. Quis sit Posthumus in meo libello:
3. Non dicam; quid enim mihi necesse est
4. Has offendere basiationes,
5. Quæ se tam bene vindicare possunt?

V. 1. 2. Offenderat superioribus epigrammatis aliquem sub ficto Posthumi nomine: non dicam, inquit, quis ille sit isto nomine significatus. 3. 4. Cur enim hominem qui me osculatur, velim offendere, & amantem lædere? Ironia. 5. Ille me præclare ulciscì posset, iterum atque iterum osculando me, ore fœtido; itaque illi parco; tacebo nomen.

XXII.

Sibi soli felix.

1. Si det iniqua tibi tristem Fortuna reatum;
2. Squalidus hærebo, pallidiorque reo:
3. Si jubeat patria damnatum excedere terra;
4. Per freta, per scopulos exulis ibo comes:
5. Dat tibi divitias: ecquid sunt ista duorum?
6. Das partem? multum est, Candide: das aliquid?
7. Mecum eris ergo miser? quod si Deus ore sereno
8. Annuerit, felix, Candide, solus eris?

Vers. 1. Si te reum fors iniqua fecerit aliquando, ego te prosequar in jus, tibi hærebo comes sordida in veste, & ero te reo pallidior: omnem tuam fortem meam putabo. *Det reatum*. Crimen inferat, pœnam irroget.

2. *Squa-*

2. *Squalidus*. Rei nobiles mutabant togam, & immundam aliquam, illotamque sumebant, ac sordidati proprie tunc dicebantur: idem faciebant cum iis nonnulli, ut clientes, amici, &c.

5. 6. Sed, o Candide, dat tibi fortuna divitias; num illas mecum ita partiris, ut nostrum duorum sint, ad nos ambos pertineant? Das ne saltem partem dimidiam, saltem aliquam minimam? das nullam.

8. Ergone mecum eris miser, & non mecum felix? si tecum sum miser, debeo tecum ego quoque felix esse: divide mecum opes, & felicitatem, ut tuam ipse calamitatem tecum divido.

XXIII.

In promissorem.

1. Das nunquam, semper promittis, Galle, roganti:
2. Si semper fallis; jam rogo, Galle, nega.

XXIV.

In haeredipetam.

1. Quod querulum spirat, quod acerbū Nævia tussit,
2. Inque suos mittit sputa subinde sinus:
3. Jam te rem factam, Bithynice, credis habere?
4. Erras: blanditur Nævia, non moritur.

Vers. 1. Quod ducit animam queritantis more.

2. Quasi non haberet satis virium ut longius expueret.

3. Jam credis te illius hæreditatem tenere? falleris: de ista voce, *rem factam*. Vide lib. I. Epig. 26.

4. Delicias facit. Quidam tussiendi & screandi rationem quamdam adamant, affectantque, ut delicati & blandi videantur: ita tussit Nævia, o Bithynice, ægrotas levius tua spe: non tam cito morietur.

XXV.

In cœnipetam.

1. Laudantem Selium, cœnæ cum retia tendit,
2. Accipe, sive legas, sive patronus agas.
3. Effecte! graviter! cito! nequiter! euge! beate!
4. Hoc volui: facta est jam tibi cœna, tace.

Vers. 1. 2. Audi quomodo laudet te Selius, cum cœnam tuam aucupatur, sive legas tuos versus & recites, sive cau-

cauſas agas. Accipe quemadmodum tibi plaudat.

Effecte. Perfecte (ſubaudi, ſcribis, peroras) inquit Selius. Legit Lipſius, *Effate.*

Nequiter. Argute, vafre, ſagaciter. De voce *nequam*, *improbus*, vide l. I. Ep. 86. 90.

4. Bene eſt intelligo, quid petas, hoc tantum a te volebam: ſcilicet placent mihi tuæ laudes, tace: mecum cœnabis. Hunc verſum ſi dicat homo captator laudis, & avidus, ſerio dictum accipe: ſi contemptor, ironice. Gruterus malit has adhuc voces *Hoc volui*, eſſe adulantis; hoc a te expectabam, non aliter a te perorari volebam, &c. *Facta eſt.* Certa, rata, conſtituta.

XXVI.

In ignobilem, & ſuperbum ſenatorem.

1. Ruſe, vides illum ſubſellia prima terentem:
2. Cujus & hinc lucet ſardonychata manus;
3. Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,
4. Et toga non tactas vincere juſſa nives:
5. Cujus olet toto pinguis coma Marceliano,
6. Et ſplendent vulſo brachia trita pilo.
7. Non extrema ſedet lunata lingula planta;
8. Coccina non læſum cingit aluta pedem;
9. Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem:
10. Ignoras quis ſit? ſplenia tolle, leges.

Verſ. 1. 2. Qui ſedet in primis ſubſelliis; qui gerit annullum gemma ſardonyche inſignem, cujus fulgor vel hinc uſque, ideſt, ex eo, ubi ſedet, loco, ad nos pervenit, cujus lucent veſtes Tyrio murice ſæpius potæ & tinctæ; cujus toga eſt nive candidior.

Prima ſubſellia. Senatores ſedebant in primis theatri & curiæ ordinibus. Lege I. I. Ep. 25. & lib. V. Ep. 8. 14.

3. *Lacernæ.* Lacerna, itemque toga, veſtis erat exterior & craſſior, inſtar pallii: utraque imponebatur tunicæ, ſed toga comptior, longior ac decentior erat, quam lacerna, imo & uſitatior fuit, tamdiu dum ſtetit reſpublica & floruit. Vide Ep. 78. lib. I. & 2. lib. IV.

4. *Non tactas.* Cum nix tangitur, nigreſcit.

5. Cujus coma unguentis delibuta, & toto Marcelii unguetarii myrothecio quaſi perfuſa, odorem ſpargit.

6. *Vulſo pilo.* Pilos e brachiis vellebant homines delicati, eaque candida & nitentia oſtentantes exerebant.

7. Qui calceos altiores gerit, lunula inſignitos, aluta coccinea tectos, & pedi habile. *Aluta* eſt pellis agnina. *Non extrema.* Senatorum calcei erant altiores, & ad mediam uſque tibiam revincti loris quibuſdam: vulgares, quibus populus utebatur

batur, erant demissiores, vixque supra pedem elati. Horat. lib. 1. Sat. 6. de senatore loquens, ait: *Nigris medium impediit crus pellibus.* Lingua igitur, sive lorum calcei non sedet extrema, seu jacens, in planta lunata, sed supra plantam erigitur media tibia tenus: Vulgo legitur: *Non hesterna sedet.* ∴ eritque sensus, istum senatorem quotidie calceos mutare, ita ut hodiernos & novos semper ferat.

Lunata. Patricii senatores lunæ crescentis notam calceis assucbant, quia senatus olim e centum Patribus a Romulo lectis constabat, littera autem C, nota est numeri centenarii, eademque lunam crescentem imitatur. Patricii porro jactabant se oriundos e primis illis centum senatoribus. Erat ista lunula talare quoddam eburneum, teste Philostrato de vitis Sophistrarum, in vita Herodis Attici, qui ejusmodi homines ajebat habere nobilitatem in malleolis pedum.

Lingula. Lorum; quasi ligula, a ligando.

Non læsum. Quando calceus est minor seu strictior, pedem oblædit. Vocem *Coccina* explicui superius Epig. 14. ille color, quem mulleum Cato vocat apud Festum, proprius erat calceorum quibus illi Senatores utebantur, qui dicebantur curules, quia curulem aliquem gessissent magistratum; alii, qui pedarii vocabantur, nigro utebantur colore, ut supra laudatus Horatius testatur.

9. Gerit plurimas e panno serico maculas in fronte, stellarum instar nitentes.

Splenia. Erant frustula quædam panni serici, similitudinem splenis vulgo referentia, nempe oblonga, quæ aliquo imbuta medicamento, fronti vel temporibus apponebantur, ad capitis & dentium dolorem leniendum, sæpe ad venustatem & elegantiam. Forte emplastra quædam tenuia, iis similia, quæ Galli vocant *des mouches*. Itali *de i nei*. Ea vero frusta serica unguento pingui, & odorato delibuta erant & fiebant interdū e panno in varias pinnas, & radios secto instar stellarum; aut, quamvis essent rotunda, tamen frontem ita discriminabant, ut stellæ cælum. Unde stellantem frontem appellat vates: legunt alii *stillantem*, idest, madefactum unguento odorato.

Linunt. Ob unguentum emplastrorum.

10. *Leges*. Nempe fœda stigmata & servitii notas deprehendes, quas spleniis tegit. Servis, præsertim fugitivis, inuri solebant in fronte, notæ quædam, puncta, & litteræ ut agnoscerentur, ita Plautus servum istis litteris male notatum, vocat facete litteratum.

XXVII.

Nummos petit.

1. Mutua viginti sestertia forte rogabam;

2. Quæ vel donanti non grave munus erat.
3. Quippe rogabatur felixque, vetuſque ſodalis,
4. Et cujus laxas arca flagellat opes.
5. Is mihi; dives eris, ſi cauſas egeris, inquit;
6. Quod peto da, Cai, non peto conſilium.

Verſ. 1. *Viginti H. S.* ſunt libræ Turonicæ, ſive nummi Franciſci, 2000. Romani quadringenti quinquaginta ſcutati.

2. Quæ Cajus nullo ſuo incommodo, non tantum mutua dare & commodare; ſed omnino dare, & gratis largiri poterat.

4. *Flagellat*. Continet invitas, & veluti flagellis ac verberibus coercet, ne exeant, ne foras erumpant.

5. At Cajus mihi reſpondit: cenſeo cauſas in foro agas, ita enim opes multas parabis.

6. *Quod peto*. Nummos ſcilicet. *Conſilium*. Non peto, qua poſſim arte diteſcere.

XXVIII.

Patronus inutilis.

1. Lis mihi cum Balbo eſt; tu Balbũ offendere non vis,
2. Pontice: cum Licino eſt; hic quoque magnus homo eſt.
3. Vexat ſæpe meum Patrobas confinis agellum:
4. Contra libertum Cæſaris ire times:
5. Abnegat, & retinet noſtrum Laronia ſervum:
6. Reſpondes: orba eſt, dives, anus, vidua.
7. Non bene, crede mihi, ſervo ſervitur amico:
8. Sit liber, dominus qui volet eſſe meus.

Verſ. 1. *Lis*. O Pontice, quem, ut Patronum cliens colo, cum rogo ut adſis mihi in lite, quam habeo cum Balbo, tu te excuſas, aiſque te nolle Balbum offendere.

2. *Magnus*. Nobilis, tibi chatus, ideoq; non offendendus.

3. *Vexat*. Terminos emovet, revellere vult limites.

4. *Contra ire*. In jus vocare. *Libertum*. Quia Patrobas eſt ſervus Cæſaris, ab eo donatus libertate.

5. *Abnegat*. Negat ſe mihi reddituram: meũ eſſe negat.

7. *Servo*. Vide ſimile Epig. hoc libro: eſt XVI.

XXIX.

In valgum.

1. Cum ſint cura tibi, ſimulent quæ cornua lunæ
2. In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

Verſ.

Vers. 1. Cum crura geras similia lunæ crescenti, & cornutæ.

Crura, &c. Nempe extrorsum obtorta sic, ut pedum talos coeuntes sibi, & vicinos geras: pedum vero digitos diductos, & a se invicem recedentes. Qui sic pedibus extrorsum versis ambulat, valgus appellatur.

Rhytio. Est rhytium, seu rythus, vas factum instar lunæ crescentis. Solis heroibus illo vase uti fas erat, teste Theophrasto: itaque ridet Martialis Phœbum illum, ignobilem, ut apparet, ac plebejum, & præterea valgum. Legunt nonnulli *Imbrico*: est imbricum seu imbrex tegula curva.

XXX.

Virilis elegantia.

1. Flectere te nolim, sed nec turbare capillos:
2. Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
3. Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.
4. Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.
5. Sunt tibi crura pilis, & sunt tibi pectora setis
6. Horrida; sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

Vers. 1. Non equidem auctor sum tibi, ut capillos accuratius, & elegantius componas, sed neque turbatos, ac sordidos esse tibi velim. Capillos *flectere* est calamistris, & candenti ferro vibrare.

2. *Splendida.* Unguentis delibuta.

3. Nolo tibi prolixam esse barbam & hirsutam; ut reorum est: nolo polituIam ac semper rasam, qualem habent homines mitrati ac delicatuli. Mitra est capitis tegmen: ea Phryges solebant uti, & Romani quidam elegantiæ ac deliciarum causa. *Mitrarum* igitur, in hoc loco, est, hominum mitras gestantium.

4. *Virum nimium.* Nolo te esse nimis austerum, gravem, tetricum. *Nolo parum,* Nolo esse effœminatum.

5. At nunc hispidum quidem corpus habes & incultum; sed animum mollem & libidinosum geris.

Setis. Pilis grandioribus.

6. *Vulsa.* Diximus supra Epig. 26. Romanos molles & deditos voluptatibus, solitos esse vellere pilos oris, brachiorum, &c. Est mens tibi vulsa, ideſt, effœminata, deliciis fracta, enervata, &c.

XXXI.

In convivam raptorem.

1. Quidquid ponitur hinc, & inde verris,
2. Mammas summis, imbricemque porci.

3. Communemque duobus attagenam,
4. Mullum dimidium, lupumque totum,
5. Murenæque latus, femurque pulli,
6. Stillantemque alica sua palumbum.
7. Hæc cum condita sunt madente mappa,
8. Traduntur puero domum ferenda:
9. Nos accumbimus otiosa turba.
10. Ullus si pudor est, repone cœnam:
11. Cras te, Cæciliane, non vocavi.

Vers. 1. *Ponitur*. Mensæ apponitur. *Verris*. Rapis, aufers, corradis.

2. *Suminis*. Sumen est venter suillus cum papillis: delicatum apud Romanos olim ferculum.

Imbricem. Vertebram tergi suilli, costis demptis, *l'echine*, *la schiena*: est enim imbrex proprie tegula curva, quam formâ imitatur vertebra in summo tergo pecudis. Brodæus vult esse imum ventrem curvum, & repandum: ilia vero ipsum sumen.

3. *Communem*. Tibi, & vicino convivæ tuo apposizam, hanc tibi abripis soli.

Attagenam. Avis est exquisiti saporis: nobis nunc ignota. *Mullus*. Piscis nobilis, *un barbeau*, *un barbone*, *una triglia*. Murena itidem piscis, *une lamproye*, *una lampreda*.

6. *Alica*. Pulte ex alica, condimento quodam: proprie alica est genus frumenti subtilioris, ac delicatioris, ex quo pultem ejusdem nominis conficiebant.

8. *Puero*. Servulo.

9. *Otiosa*. Sine ferculis, quæ videlicet abstulisti: jejuni sedemus, & impasti.

11. *Cras*. Vocavi te hodie, tu meam cænam abstulisti, ut cras cœnes: non vocavi te in crastinum diem, sed in hodiernum tantum: cœnam igitur hodie sume de meo, & domi meæ, non cras, & domui tuæ.

XXXII.

Homo invisus.

1. Quid mihi reddat ager quæris, Line, Nomentanus?
2. Hoc mihi reddit ager, te, Line, non video,

Vers. 1. Quæris a me, quid commodi, fructusque referat mihi meum prædium Nomentanum? hoc quod facit, ut a te absim, te non videam. Est Nomentum urbs Latii, vulgo *Lamentana*.

Mulier

XXXIII.

Mulier togata.

1. Coccina famoſę donas, & janthina mœchæ.
2. Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam,

Verſ. 1. *Coccina*. Veſtes cocco infectas. Coccum eſt granum, quo utuntur ad purpuram ardenti, & roſeo colore, quem Galli vocant *e carlatte*, tingendam. *Janthina*. Veſtimenta purpura violacei coloris, de quibus dictum lib. I. Ep. 47. *Mœchæ*. Adulteræ.

2. *Togam*. Matrona convicta adulterii, & damnata jubebatur prodire in publicum togata: mulieres vulgo ſtola utebantur; viri, toga.

XXXIV.

Hellus morbum ſimulans.

1. Uri Tongilius male dicitur hemitritæo:
2. Novi hominis mores, eſurit atque ſitit.
3. Subdola tenduntur craſſis modo retia turdis.
4. Hamus, & in mullum mittitur, atque lupum.
5. Cæcuba ſiccentur, quæque annus coxit Opimi,
6. Condantur parco fuſca Falerna vitro.
7. Omnes Tongilium medici juſſere lavari:
8. O ſtulti, febrem creditis eſſe; gula eſt.

Verſ. 1. *Hemitritæo*. Febri ſemitertiana, πυρετῷ ἡμιτριταίῳ.

3. Morbi ſimulatione captat turdos pingues, mullos, & lupos ab amicis mittendos venatur, eoſque, velut hamo injecto, ad ſe trahere tentat.

5. Dentur illi Cæcuba vina haurienda, & ſiccanda, convaleſcet. Legitur etiam *ſaccentur*, ideſt, per ſaccum ſeu colum vinarium transmittantur ad expurgandas fœces. De colo vinario conſule lib. XIV. Ep. 95. 96.

Cæcuba. Cæcubum, vel Cæcubus, mons & ager eſt in Latio, vini optimi fertilis, prope Fundos, & Amyclas urbes, ad ſinum Cajetanum. Mons ille vocatur nunc *Monte di Gajeta*. Hinc vinum Cæcubum. De vino Opimiano dictum Ep. 25. lib. I.

6. Mittantur condita modico poculo vitreo Falerna vina. Falernus mons, & ager Campaniæ inter Caleſnum & Sinveſſam, vini generoſi ferax.

Parco. Quia Falernum vinum erat auſterum, & indo-

mitum, itaque parce dabatur, maxims ægrotis.

7. *Lavari*. Quasi balneo & aqua indigeret: quo tunc remedio contra febrem utebantur. Eget potius vino, & cibo: febris simulatione gulam tegit.

XXXV.

Vetula ridere, ac placere gestiens.

1. Ride, si sapis, o puella ride
2. Pelignus, puto, dixerat Poeta,
3. Sed non dixerat omnibus puellis.
4. Verum ut dixerit omnibus puellis,
5. Non dixit tibi; tu puella non es:
6. Et tres sunt tibi, Maximina, dentes,
7. Sed plane, piceique, buxeique.
8. Quare si speculo, mihique credis,
9. Debes non aliter timere risum,
10. Quam ventum Spanius, manumve Priscus:
11. Quam cretata timet Fabulla nimbum:
12. Cerussata timet Sabella solem.
13. Vultus indue tu magis severos,
14. Quam conjux Priami, nurusque major:
15. Mimos ridiculi Philistionis,
16. Et convivia nequiora vita;
17. Et quidquid lepida procacitate
18. Laxat perspicuo labella risu.
19. Te mœstæ decet assidere matri,
20. Lugentique virum, piumque fratrem:
21. Et tantum tragicis vacare Musis.
22. Et tu, judicium secuta nostrum,
23. Plora, si sapis, o puella, plora.

Vers. 1. Ordo verborum est. Pelignus vates (Ovidius nimirum, natus Sulmone, quæ est urbs Pelignorum in Italia) dixerat, opinor alicubi, & monuerat, puellas, ut, si placere vellent, modesto se risu commendarent, vultum hilarem, ridentemque præ se ferrent: At primo non hoc dixerat omnibus puellis, sed iis tantum, quæ placere possent ob mores, & formam: tu talis non es: deinde ut, idest, quamvis hoc dixerit puellis omnibus, tu puella non es, at vetula.

6. *Tres*. Vetulis dentes excidunt.

7. *Buxei*. Flavi, putridi.

10. *Spanius*. Hunc obiter car-

carpit hominem delicatum, qui comam ita diligenter pectebat, flectebatque, ut vix in publicum prodire auderet, ne ventus eam turbaret, cirrosque disiiceret. Quid si Spanius iste fuerit calvus, qui calvam, rejectis in frontem capillis, tegeret, metueretque, ne illa flante vento, diductisque crinibus, appareret? Et vero Σπάνιος grece rarum significat, calvorum autem caput raris crinibus est sparsum; hinc nomen istud videtur fictum. Ita ut debes risum timere, ne tui dentes pice nigriores, labris ridendo diductis, appareant.

Priscus. Ille tam curiose, & putide vestem componebat, & complicabat, ut metueret, ne quis eam contrectaret, ac male confunderet; talem Hortensium oratorem fuisse narrant, adeo, ut nescio quem, a quo ipsius vestis durius fuerat attrectata, in jus vocaverit.

11. 12. *Cretata*. Infectum habens vultum terra alba, ad candorem ori conciliandum: hoc pigmentum, si aqua tangatur, defluit: ut liquescit cerussa, si soli exponatur. Cerussa est fuci candidi genus.

14. *Conjux Priami*. Hecuba, quæ ad summam senectutem pervenit.

Nurus. Andromache, nurus Priami, quia uxor Hectoris Maior dicitur, ut ab Helena distinguatur; quæ minor nurus Priami dici potuit, quia Paridis erat uxor, filii Priami, sed natu minoris, quam Hector. Hæc autem Andromache gravibus ærumnis vexata in perpetuo luctu vitam traxit. Vide Virg. Æneid. lib. III.

15. *Mimos*. Fabulas scenicas ridiculas, & subturpes. Supra Epigr. 6. Philistio erat histrio celebris.

16. *Vita*. Fuge, abstine a conviviis solutioribus, & liberioribus.

17. Fuge etiam ea omnia, quæ risum movent ob jocos procaces.

Perspicuo. Cum effuse ridemus, apparent, ac perspiciuntur dentes.

19. Potest hic versus exponi simpliciter. Te decet cum vetula matre domi te continere, & in eorum versari tantum cætibus, qui lugent ereptos sibi fratrem, virum, &c. Explicari etiam de theatro, ac tragediis potest hoc pacto: decet te illis tantum tragædiis interesse, in quibus exhibetur mæsta mater lugens amissum filium, aut uxor virum, eique flenti adsere, & velut assidere. Lugentes vulgo sedent. Matris nomine, virum lugentis, intelligi potest Hecuba lugens Priamum cæsum; vel Andromache, Hectorem interfectum: sororis fratrem lugentis, Electra, Orestem fratrem charissimum, quem periisse credebat, mærentis.

O puella. Ridicule anum vocat puellam, & primum epigrammatis versum lepide invertit, eam plorare jubens, quæ ridere vellet.

XXXVI.

In amicum sibi soli amicum.

1. Κοινὰ φίλων hæc sunt, hæc sunt tua, Candide πάντα,
2. Quæ tu magniloquus nocte, dieque sonas.
3. Te Lacedæmonio velat toga lota Galæso,
4. Vel quam sepositio de grege Parma dedit:
5. At me, quæ passa est furias, & cornua tauri,
6. Noluerit dici, quam pila prima suam.
7. Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:
8. Non vendes nummis coccina nostra tribus.
9. Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes,
10. Fulcitur testa fagina mensa mihi.
11. Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli;
12. Concolor in nostra, cammare, lance rubes.
13. Ex opibus tantis veteri, fidoque sodali
14. Das nihil, & dicis, Candide, κοινὰ φίλων.

Vers. 1. O candide, hæc tua illa sunt verba, *πάντα φίλων κοινά*. *Omnia amicorum communia*. Siccine illam sententiam prave, ac falso usurpas?

3. *Galæso*. Galæsus est fluvius in agro Tarentino, cujus aqua plurimum valere dicitur ad ovium lanam tingendam: *Galæso*. Porro Lacedæmonii hunc olim tractum incoluerunt, in eoque Tarentum condidere.

4. *Sepositio*. Eximio. Parma Civitas Italiæ ad Padum, suis velleribus inclyta.

5. At ego tegor vili toga, & lacera, quales sunt quibus induuntur pilæ, ideſt, hominum simulacra tomento farta, quæ tauris, & aliis feris in amphitheatro objiciuntur, & ab iis lacerantur. Vide lib. Spectac. Epig. 8. & 18. Librum X. Ep. 75. Juvenalem etiam nostrum adi. Sat. 6.

6. Vilior est mea toga illis, quibus induuntur pilæ primæ. Prima pila ea vocabatur, quæ primo inter ceteras loco erat posita, & prima objiciebatur belluæ, a qua ferocius proinde lacerabatur; ideoque vilissimis pannis induta erat.

7. *Cadmi terra*. Tyrus. Cadmus enim Agenoris filius fuit; Agenor Rex Tyri, ubi purpura inventa.

8. *Coccina nostra*. Vestem meam pannosam. Hanc ironice coccinam seu coccineam vocat. De colore coccineo lege supra Epigr. 26. & 33.

Nummis tribus. Nempe sestertiis minoribus, qui respondent singuli duobus assibus monetæ Francicæ, & paulo amplius duobus bajocis, Romanæ.

9. Tu mensas ingentes, & rotundas, e citro, quæ advehi solet ex Africa, factas & ebur-

& eburneis pedibus fultas, habes.

11. *Chrysendeta.* Vasa, insertis, & illigatis affabre aureis ornamentis, pretiosa. χρυσὸς, aurum; ἐνδέω, illigo. Tū igitur cœnas mullos lancibus auro ornatis impositos; ego cammarum in lance ejusdem atque cammarus coloris, ideſt, rubra, & fictili. Cammarus est cancri genus, cancri elixi rubescunt.

Immodici. Mulli, pisces exquisiti, ingentis erant pretii, si essent grandiores.

XXXVII.

Amicus avarus.

1. Emi seu puerum, togamve pexam,
2. Seu tres, ut puto, quatuorve libros:
3. Sextus protinus ille fœnerator,
4. Quem nostris veterem meum sodalem.
5. Ne quid forte petam, timet, cavetque;
6. Et secum, sed ut audiam, susurrat:
7. Septem millia debeo Secundo;
8. Phœbo quatuor, undecim Phileto;
9. Et quadrans mihi nullus est in arca.
10. O grande ingenium mei sodalis!
11. Durum est, Sexte, negare, cum rogaris:
12. Quanto durius, ante quam rogeris!

Vers. 1. *Puerum.* Mancipium. *Pexam.* Villosam, quales sunt panni recentes. De toga vide Ep. 26.

7. *Septem millia*: Subaudi sestertiorum, seu 7. sestertia: libræ sunt Turon. 700. Scutati Romani centum quinquaginta septem, cum quinquaginta circiter bajocis, *Phœbo*, *Phileto*. Nomina sunt creditorum ficta.

9. *Quadrans.* Quarta pars assis. Vide Epig. 26. lib. 2.

10. *O grande.* Ironia; o astutiam hominis, ipsi certe duram, & gravem: si enim homo ingenuus ægre negat, rogatus aliquid: quanto se torquet magis, si antequam rogetur, excogitat molestæ modum, quo neget: si providet operose, ne rogetur.

XXXVIII.

In eumdem.

1. Florida per varios, ut pingitur Hybla colores,
2. Cum breve Sicaniæ ver populantur apes;
3. Sic tua suppositis pellucent prælа lacernis.

4. Sic micat innumeris arcula syntheſibus?
5. Atque unam veſtire tribum tua vellera poſſunt,
6. Apula non uno quæ grege terra tulit;
7. Tu ſpectas hiemem ſuccincti lentus amici,
8. (Proh ſcelus) & lateris frigora trita mei.
9. Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus,
10. Non metuas, non te, Nævole, ſed tineas.

Verſ. 1. *Hyblæ*. Siciliæ mons, floribus frequens, & apibus.

2. *Breve*. Quia flores non ſunt diuturni. *Sicaniæ*, Siculæ. *Ver*. Flores vernos. *Populantur*. Depaſcunt, exſugunt.

3. Sic tuis prælis ſuppoſitæ lacernæ lucent: ſub prælis tuis tot apparent colores veſtium, quot ſunt colores florum in Hybla. De lacernis conſule ſuperius Epig. 26.

Prælа. Trabes ſunt proprie, quibus vulgo uvæ calcatæ premuntur. Iis etiam Romani utebantur, ut veſtes ſuppoſitas premerent, ac rugas earum emendarent, ut nitorem illis afferrent. Hinc Seneca de tranquillitate vitæ lib. 1. c. 1. Veſtem ait coctam ſplendere ponderibus ac mille torminibus. Tale eſt illud ſericum, quod Galli, & Itali vocant *Taby*, in quo apparent undulatæ quædam ſtriæ, & colores *arbitra nitentes luce*, ut loquitur Ammianus Marcellinus lib. 28. Porro videtur eſſe hypallage in ordine verborum: non enim pellucent proprie prælа, ſed lacernæ ſuppoſitæ prælis, ut expoſui.

4. *Syntheſibus*. Erat ſyntheſis veſtis cænatoria, ſive, quam cænaturi induebant, pallii formam referens, & a lautioribus tantum, ditioribuſque uſurpari ſolita, ſemper purpurea, vel coccinea. Vide Lipſ. 1. Satur. c. 2.

5. *Tribum*. Populus Romanus in tribus 35. diviſus erat, hoc eſt, partes quaſdam, aliæ urbanæ erant, aliæ ruſticæ, &c. Romulus tres principio tribus fecerat, quarum in prima numerabantur Albani paſtores, qui cum illo Romam condiderant: in ſecunda Sabini: in tertia Etruſci, Ardeates, Latini, &c. Tribus ſingulas diviſit in Curias decem, curiaſque in decem Decurias. Auctæ ſunt poſtea tribus, creſcente civium numero.

Tua vellera. Tot illæ tuæ veſtes. Legunt aliqui: *Tua candida*. Ideſt, tuæ togæ candidæ.

6. *Apula*. Apulia regio Italiæ eſt ovibus abundans, nunc in Regno Neapol. Duplex eſt; altera Apulia Daunia, nunc *Pulgia Piana*, ſive, Capitanata; ubi modo Sipontum, &c. Altera Apulia Peucetia, *Terra di Bari*; ubi Barium.

7. *Hyemem*. Tene eſſe tam ſordidum, & avarum, ut cum tot veſtibus abundes, me amicum tuum enectum frigore, & ſuccinctum, ideſt, brevi, laceraque indutum veſte, ſpectes quietus, quaſi mederi noſtræ inopiæ, nec poſ-

ſes,

ſes, nec deberes?

8. *Lateris frigora trita.* Id-eſt, lacernas, quæ mihi tegunt latus ſive corpus: frigidas, quia valde tritæ ſunt, & obſoletæ. Legitur vulgo, *Lateris frigora tute times.* Quod ſic exponi poteſt, ut latus appelleț ſodalem. Ita lib. 6. *Euthycus ille, tuum, Caſtrice, dulce latus*, ideſt, dulcis comes, amicus. Tu igitur cohorreſcis ipſe, ac non ſine metu ſodalem aſpicis frigore horreſcentem.

9. Eratne adeo difficile, & magnificum duos pannos, veſtes duas ſuffurari, & eripere? palles jam, & times cum audis hanc vocem, ſuffurari, fraudare, eripere, &c. ne timeas, ſeripere dico, non tibi, ne hoc metue, ſed tineis, quæ illas arrodent, & conſument, pro: *Non metuas*: aliqui optimi codices habent, *Quid renuis?* prior lectio acutior eſt, ob ſuſtentationem, & ἀπροσδόκητον.

XXXIX.

Vita quænam, & ubi felix.

1. Cauponem, laniumque, balneumque,
2. Tonſorem, tabulamque, calculoſque,
3. Et paucos, ſed ut eligam, libellos;
4. Unum non nimium rudem ſodalem:
5. Hæc præſta mihi, Rufe, vel Bitonti:
6. Et thermas tibi habe Neronianas.

Verſ. 1. Ordo eſt: ô Rufe, da mihi cauponem, a quo vinum, lanium, a quo carnes habeam, &c. Tabulam luſoriam cum calculis ad animum relaxandum, libellos paucos quidem, at bene ſelectos; unum amicum non inſulſum, & jocandi non rudem: hæc mihi da, vel in obſcuriſſimo Italiæ oppidulo, quale eſt Bitontum, careba facile vita urbana, & luxu, relinquam tibi ſuperbas Neronis thermas.

2. *Calculos.* Nempe luſorios, ſeu latrunculos, de quibus vide Lib. XIV. Ep. 17.

5. *Bitonti.* Eſt Bitontum vile, & obſcurum Apuliæ Peucetiæ, de qua in ſuperiori Epigrammate, oppidum *Bitonto*.

6. *Thermas.* Vide lib. Spectac. Epigr. 2. Erant porro thermæ a Nerone ædificatæ, ceteris amæniores. Fruere ceteris vitæ deliciis, Romæ, ego ubivis vivere me, & regnare, ſi ea ſuppetant pauca quæ dixi, putavero.

XL.

Libertas.

1. Vis fieri liber? mentiris, Maxime, non vis?

2. Sed fieri si vis, hac ratione potes.
3. Liber eris, cœnare, foris si, Maxime, nolis,
4. Vejentana tuam si domat uva sitim.
5. Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnæ;
6. Contentus nostra si potes esse toga.
7. Hæc tibi si vis est, si mentis tanta potestas,
8. Liberior Partho vivere rege potes.

Vers. 1. Aisne te velle esse liberum, o Maxime?

4. Si potes contentus esse vino vili, quale est Vejentanum; de illo dictum supra. Veii olim urbs antiqua Hetruriæ, nunc diruta: in ejus loco nunc est castrum, quod incolæ appellant Insulam, *Isola*.

5. *Chrysendata.* Vid. Ep. 36.

6. *Nostra.* Trita, & plebeja.

8. *Partho.* Imperium Medorum, & Persarum veterum, tunc Parthi obtinebant eorumque rex se magnum regem vocitabat, ac regem regum. Regibus autem nihil vulgo est liberius, quibus, quod lubet, licet.

XLI.

Amicorum æqualitas.

1. Vis te, Sexte, coli: volebam amare:
2. Parendum est tibi; quod jubes, coleris:
3. Sed si te colo, Sexte, non amabo.

Vers. 1. *Coli.* Observari, honorari. Est in cultu, & observantia timor prohibens familiaritatem, quæ esse inter amicos debet. Ajunt Augustum parca, & tenui cœna exceptum aliquando ab amico, dixisse, *Non putabam me tibi tam familiarem esse.*

XLII.

In fictum divitem.

1. Hic, quem videtis gressibus vagis lentum,
2. Amethystinatus media qui secat septa;
3. Quem non lacernis Publius meus vincit,
4. Non ipse Codrus alpha pænulatorum;
5. Quem grex togatus sequitur, & capillatus.
6. Recensque sella, linteisque, loriscque:
7. Oppigneravit Claudii modo ad mensam
8. Vix octo nummis annulum, unde cœnaret.

V. 1.

V.1. Vagis. Magnis passibus, & incertis ambulantem, ut ostentatores isti solent.

2. *Amethystinatus*. Vide Epig.78. lib.1. *Septa*. Epigr. 12. hujus libri.

3. Qui lacernarum elegantia Publium amicum meum superat, & Codrum pænulatorum principem hoc est, elegantissima semper indutum pænula. De lacerna & pænula dictum Ep.26. & alibi multis locis.

4. *Codrus*. Erat pauperrimus poeta, qui pænulas tamen pretiosas, ut multi, conducebat.

Alpha. Prima est alphabeti græci littera: sæpe id quod in quaque re primum est, significat, ut ω, significat quod est ultimum.

5. *Grex*. Clientes induti toga, & pulchre comati pueri. Comam fere nutriebant ingenui pueri, usque ad pubertatem.

6. *Sella*. Lectica nova, & elegans cum suis linteis, quæ fenestras sellæ velabant, & loris quibus lectica pendebat, & ligabatur.

7. Depositi modo apud Claudium (fæneratorem, aut argentarium) suum annulum pignoris loco, ut nummos octo mutuos acciperet, quibus compararet cœnam: adeo in speciem dives, re pauper est.

Mensam. Pluteum, tabernam, *contoir, bureau, banca*.

8. *Octo nummis*. Sestertii octo duos denarios Romanos conficiebant: asses monetæ Gallicæ 16. Romanæ vero bajocos octodecim.

XLIII.

Pauper in suo.

1. Pexatus pulchre rides mea, Zoile, trita.
2. Sunt hæc trita quidem, Zoile; sed mea sunt.

Vers. 1. *Pexatus*. Togam indutus recentem, villosam, bene pexam. Vestes pexæ sunt, in quibus nec stamen, nec subtegmen apparet, eminente, & luxuriante villo.

Mea. Vestimenta. Tua vero, tua non sunt, sed conducta.

XLIV.

Mica aurea Domitiani.

1. Mica vocor; quid sim cernis: cœnatio parva.
2. Ex me Cæsareum prospicis, ecce, tholum;
3. Frange toros; pete vina; rosas cape; tinge nardo;
4. Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Vers. 1. Domum haud magnam quidem, sed venustam in primis, & elegantem Domitianus extruxerat, ubi cum

cum amicis cænitaret: eam, ab exiguitate, Micam vocari jussit, & auream ab elegantia. Ex ea prospiciebatur templum extructum in honorem D. Augusti demortui; sive mausoleum, quo viso, convivæ admonebantur mortis, hic autem excitantur a Martiale, ut genio propere indulgeant, nempe brevi morituri.

Cœnatio. Locus ubi cœnatur, cænaculum.

2. *Exme, &c.* Ex eo loco ubi sum, ex hac cænatione, prospectas templum Cæsaris. Per tholum intelligitur ædificium quodlibet rotundo tecto. Interdum tholus fornicem interiorem, & cameram ædificii significat. Vide Epigr. 61. Libri I.

3. Lectos, in quibus ad mensam accumbitur, disturba, & perprime: epulis & genio indulge.

Frange. Lectus compositus, solet turbari, cum in eo sedetur, aut cubatur.

Rosas. Coronas e rosis.

Tingere. Unge caput unguento nardino. Imperativus est modus, vocis passivæ.

4. *Deus*. Cæsar, cujus mausoleum prospicis. Ille enim vir tantus, imo, qui a nobis ut Deus colitur, si mortuus est, multo minus tu mortem effugies. Augustus, etiam vivens, inter Deos relatus fuerat. Vide Epig. 59. libri V.

XLV.

Cunctator.

1. Dum modo causidicum dū te modo rhetora fingis,
2. Et non decernis, Taure, quid esse velis;
3. Peleos, & Priami transiē, & Nestoris ætas,
4. Et fuerat ferum jam tibi desinere.
5. Incipe, tres uno perierunt rhetores anno,
6. Si quid habes animi, si quid in arte vales.
7. Si schola damnatur; fora litibus omnia fervent:
8. Ipse potest fieri Marsya causidicus
9. Eja age, rumpe moras; quo te spectabimus usque?
10. Dum; quid sis, dubitas, jam potes esse nihil.

Vers. 1. Dum te paras, & instruis ad artem oratoriam vel docendam, vel exercendam, & diu deliberas, Rhetorne sis futurus, an causidicus. *Causidicum*, Rhetor proprie vocatur, qui artem dicendi tradit: causidicus, qui causas agit in foro, & artem dicendi exercet.

3. *Peleos*. Genitivus græcus a Πηλεὺς Peleus, Πηλέος Achillis pater fuit, diu vixit! ut Priamus, Trojæ rex. Nestor dux Græcorum senio, & sapientia inclytus.

Transiit. Syncope, pro transiit: itaque ultimam producit.

4. Si utramlibet artem exer-

xercuisses, ab eo tempore quo de alterutra capessenda deliberas, posses jam, & quidem sero, illam deponere.

5. *Incipe*. Rhetoricam profiteri. Tres extincti sunt Rhetores, atque locus tibi vacat. Quinam illi sint, non commemorat.

7. Si vituperas & condemnas scholam, ideſt, professionem rhetoricæ, en fora omnia plena sunt litibus, esto causidicus, fervet opus.

8. Ipsa Marsyæ statua in foro stans, tam crebris causidicorum clamoribus tunditur, ut, quamvis saxea, dicendi artem callere posset. *Marsya*. Marsyas fuit pastor quidam, seu tibicen Phryx, bardus, & hebes: qui cum esset ausus Phœbum cantando provocare, ab eo victus & cute spoliatus est. Eius statua visebatur in foro, funem gerens manu, quasi litigatoribus improbis; suspendium minaretur.

9. Quousque te spectabimus, nempe otiosum & cessantem?

10. *Potes esse nihil*. Abit tempus artis cujuslibet profitendæ: ineptus fies ad quālibet exercendam, decrescente per tempus, ingenio, vita, valetudine. Vel mors instat, quæ nos facit nullos, multi enim totum hominem extingui morte arbitrabantur.

XLVI.

Salejanum de uxoris morte consolatur.

1. Cur tristiorem cernimus Selejanum?
2. An causa levis est? extuli, inquis, uxorem.
3. O grande fati crimen! o gravem casum!
4. Illa, illa dives mortua est Secundilla,
5. Centena decies, quæ tibi dedit dotis?
6. Nollem accidisset hoc tibi, Salejane.

Vers. 2. *Extuli*. Proprium funeris verbum, ideſt, ad rogum deportari jussi, sepelivi.

5. *Centena decies*. Subaudi, millia sestert. nempe libras Turon. 100000. nummos scutatos Rom. triginta duo millia, & quingentos. Porro ut recte notat Ramiresius, hæc summa pro maxima dote vulgo ponebatur; imo, quoties magnam pecuniæ vim significabant, certo isto numero utebantur, pro incerto.

6. *Hoc*. Jocus est in ambigua sententia: significat enim versus; nollem ut uxorem amisisses: sed hoc sibi vult Martialis; nollem homini indigno, & improbo tantam pecuniæ summam obtigisse.

XLVII.

Muliebris iracundia.

1. Unus de toto peccaverat orbe comarum.

2. An-

2. Annulus, incerta non bene fixus acu:
3. Hoc facinus Lalage ſpeculo, quo viderat, ulta eſt,
4. Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.
5. Deſine jam, Lalage, triſtes ornare capillos,
6. Tangat & inſanum nulla puella caput:
7. Hoc ſalamandra notet, vel ſeva novacula nudet,
8. Ut digna ſpeculo fiat imago tuo.

Verſ. 1. *Peccaverat*. Non erat bene compoſitus, extra locum ſuum aberrabat.

2. *Annulus*. Cincinnus.

Acu. Crinali, qua comuntur mulieres.

3. *Quo viderat*. In quo ſpeculo viderat abnormem capillum. *Lalage*. Mulieris nomen.

4. Eodem ſpeculo caput ancillæ ſuæ Plecuſæ diſſidit eiuſque comas cum capite diſſecuit.

7. Tuum hoc caput ungatur ſucco ſalamandræ, vel tondeatur ad cutem novacula, ut fiat calvum, ac tale evadat, quale meretur in tuo illo ſpeculo a te videri. Tam crudele ſpeculum non meretur, niſi deformes repræſentare imagines. Porro in voce *digna* ſyllaba ultima producitur propter duas conſonantes ſequentes in voce *ſpeculo*.

Salamandræ. Genus eſt lacertæ, quod ignem ipſum extinguit, imo in eo vivit innoxium, adeo frigidæ naturæ eſt. Ejus virtus, ſive ſaliva, hanc vim habet, ut omnes corporis pilos evellat.

XLVIII.

Homo importune officioſus.

1. Occurris quocumq; loco mihi, Poſthume, clamas
2. Protinus, & prima eſt hæc tua vox, Quid agis?
3. Hoc, ſi me decies una conveneris hora,
4. Dicis: habes, puto, tu, Poſthume, nil quod agas.

Verſ. 2. *Quid agis?* His voculis occurrentes ſalutabant.

XLIX.

Quis carere domino poſſit.

1. Quod te nomine jam tuo ſaluto,
2. Quem regem, & dominum prius vocabam,
3. Ne me dixeris eſſe contumacem:
4. Totis pilea ſarcinis redemi.
5. Reges, & dominos habere debet,

6. Qui

6. Qui se non habet, atque concupiscit
7. Quod reges dominique concupiscunt.
8. Servum, si potes, Ole, non habere;
9. Et regem potes, Ole, non habere.

Vers. 3. *Contumacem*. Superbum, insolentem.

4. Sportulæ, cœnarum, &c. *jactura libertatem comparavi*: hanc omnibus servitutis præmiis, potiorem duco.

Pileo. Servi libertate a dominis donati caput radebant, ac pileum sumebant: pileus igitur, seu pileum, est insigne libertatis.

Sarcinis. Sarcinæ significant domesticam supellectilem, fortunas & bona:

6. Qui sui non est dominus, & compos, qui concupiscit opus, & honores, quos ambiunt nobiles, & principes viri.

8. Qui potest carere servo, potest & domino carere, qui potest animo æquo pati paupertatem, non servire divitibus potest.

L.

Cœnipeta.

1. Invitum cœnare foris te, Classice, dicis:
2. Si non mentiris, Classice, dispeream.
3. Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire;
4. Cum cœnaret, erat tristior ille, domi.
5. Si tamen invitus vadis, cur Classice, vadis?
6. Cogor, ais: verum est; cogitur & Selius.
7. En rogat ad cœnam Melior te, Classice, rectam:
8. Grandia verba ubi sunt? si vir es, ecce nega.

Vers. 3. *Apicius*. Helluo apud Romanos famosus. Sensus est: si ille gaudebat cœnare foris, cur tu illo pauperior, & miserior, non gaudeas?

4. Ita ordina voces. Erat ille tristior, cum cœnaret domi.

6. *Cogitur & Selius*. Ironice. Tam parum cogeris, quam parum cogitur Selius, cœnipeta ille insignis de quo Ep. 9. 12. & 25. aut si ille cogitur, cogitur fame, gula, cupiditate.

7. *Melior*. Nomen divitis.

Rectam. Civilem, honestam, qua cum patronis clientes accumbebant olim, antequam daretur sportula, quæ in locum cœnæ rectæ fuit substituta.

Si vir es. Si generosus es, si cœnarum auceps non es.

LI.

Laudator invidus.

1. Candidius nihil est te, Cæciliane, (notavi;)

2. Si quando ex noſtris diſticha pauca legis;
3. Protinus, aut Marſi recitas, aut ſcripta Catulli;
4. Hæc mihi das, tamquam deteriora legas.
5. Ut collata magis placeant mea? credimus illud:
6. Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

Verſ. 1. Omnino es lector amicus, & benevolus, o Cæciliane, id ſæpe obſervavi.

3. *Marſi*. Fuere Marſus & Catullus poetæ egregii: Marſus tamen plus epigrammate poterat, quam Epico carmine. De Catullo mentio fit in Epig. 8. & 53. libri I.

4. Hæc Marſi, & Catulli carmina mihi das, laudas, tanquam videlicet meis deteriora eſſent; ita mihi adularis, vel, tamquam meis meliora, innuens mea iſtis deteriora eſſe.

5. 6. Imo, inquit, ut tua epigrammata illis comparata plus placeant; credo equidem id ea mente a te fieri, verum malo tua recites; ut ſi falſem præfertur mihi Marſus, & Catullus, tibi ego præferar.

LII.

Faſtus inops.

1. Cinctum togatis poſt, & ante Saufejum
2. Quanta reduci Regulus ſolet turba,
3. Ad alta tonſum templa cum reum miſit,
4. Materne, cernis? invidere nolito;
5. Comitatus iſte ſit, precor, tuus nunquam,
6. Hos illi amicos, & greges togatorum,
7. Fuſciculenus præſtat, & Faventinus.

Verſ. 1. *Togatis*. Clientibus, anteambulonibus. Supra Ep. 42. & Lib. I. Ep. 89.

2. *Regulus*. Cauſidicus inſignis. Solebant autem cauſidici poſt cauſam peroratam feliciter, & reos abſolutos, magno comitatu deduci domum a foro.

3. *Tonſum*. Rei ſordidati erant, intonſi, & impexi, pendente cauſa: periculo ſoluti, tondebant barbam, togam mutabant, & ad templa gratias acturi ſuperis, ibant. Vide Epigramma 22. hujus lib.

3. *Materne*. Maternus iſte amicus Martialis fuit, & orator bonus.

5. Faxint ſuperi, ut nunquam ſimili comitatu deducaris.

6. *Fuſciculenus*. Erat fœnerator, ut & Faventinus, cui omnia ſua bona Saufejus, vel, ut alii legunt, Saufellus, oppigneraverat, ut mutuam ſumeret pecuniam, qua iſtos comites pretio emptos haberet.

Duo

LIII.

Duo pueri a leone interfecti.

1. Verbera ſecuri ſolitus leo ferre magiſtri,
2. Inſertamque pati blandus in ora manum;
3. Dedidicit pacem ſubito feritate reverſa,
4. Quanta nec in Libycis debuit eſſe jugis.
5. Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
6. Sanguineam raſtris, quæ renovabat humum,
7. Sævus, & infelix furiali dente peremit,
8. Martia non vidit majus arena nefas.
9. Exclamare libet: crudelis, perfide, prædo,
10. A noſtra pueris parcere diſce lupa.

Verſ. 6. Sanguineam, &c. Qui arenam amphitheatri gladiatorum, & ferarum ſanguine tinctam, & concretam, invertebant ſarculis, ac intrabant.

8. *Martia.* Quæ Marti ſacra, quia in ea gladiatores pugnabant: vel, Romana, quia Mars Romuli pater.

10. *Lupa.* Quæ Remum & Romulum non modo non læſit, ſed aluit: hanc tu imitari debueras.

LIV.

Haredipeta deluſus.

1. Argenti libras Marius tibi quinque reliquit?
2. Cui nihil ipſe dabas, is tibi verba dedit.

Verſ. 1. Marius, cui nihil umquam dederas, moriens tibi quinque libras dumtaxat argenti reliquit, quod perinde eſt, ac ſi tibi nihil reliquiſſet, adeo exigua erat iſta ſumma, præſertim pro ejus opibus, & tua ſpe. Vel: reliquit ille quidem teſtamento, ſed numquam a te habendas. Tu illi nihil dederas, ille tibi verba dedit.

Libras 5. Nummi ſunt Turonici, ut Galli vocant, ferme 268. Romani vero nummi ſcutati circiter triginta novem. Argenti libra Romana denarios continebat 84. ideſt Francicos nummos 33. cum 12. aſſibus: Romanos ſcutatos ſeptem, ac Julios admodum quinque auri vero libra æquiparatur Francicis ſeu Turonicis 576. ſcutatis Romanis centum viginti novem, cum ſex circiter Juliis. Itaque argenti libra Romana multo minor erat noſtrate Gallica, quæ Francicos admodum 56. valet. Romanos ſcutatos duodecim, cum ſex Juliis.

2. *Verba dedit.* Dare verba alicui, eſt eum decipere.

De

L V.

De brevi, & longo epigrammate.

1. Coſconi, qui longa putas epigrammata noſtra;
2. Utilis ungendis axibus eſſe potes.
3. Hac tu credideris longum ratione coloſſum,
4. Et puerum Bruti dixeris eſſe brevem.
5. Diſce, quod ignoras: Marſi, doctique Pedonis
6. Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
7. Nõ ſunt lõga, quibus nihil eſt quod demere poſſis:
8. Sed tu, Coſconi, diſticha longa facis.

Verſ. 2. Cum tantopere celebritatem ames, melior eſſes auriga, quam poeta, & currum, ungendo illius rotas, facilius incitares, quam verſum duceres; vel homo es ita pinguis, & obeſus, ideſt, ita ſtolidus, & ineptus, ut adhiberi poſſes loco unguinis, & adipis vice, ad ungendas rotas.

3. Eadem ratione, qua de epigrammatis, ex eorum menſura judicas, diceres coloſſum eſſe nimis longum, & effigiem illam pueri, quam Brutus, licet valde exiguam, tantopere laudavit, amavitque, eſſe nimis brevem, licet, utrumque ſit perfectiſſimum opus. Strongylio ſtatuarius ſtatuam pueri fecit inſignem, quam ſummo in pretio habuit Brutus Cæſaris percuſſor, qui ſe, poſt Philippenſem pugnam, in qua ab Antonio, & Octavio victus eſt, interemit. De hac ſtatua vide Lib. IX. Ep. 37. De coloſſo Lib. Spectac. Ep. 2.

6. Sæpe unum epigramma duas paginas implet.

8. *Facis*. Tua diſticha; ideſt, duo tantum tui verſus, longa ſunt, & faſtidioſa, quia ſunt illepida, & inſulſa.

L V I.

Thermæ frigidæ.

1. Æſtivo ſerves ubi piſcem tempore, quæris?
2. In thermis ſerva, Cæciliane, tuis.

Verſ. 2. *Thermis*. Thermæ, balnea ſunt: a calidis aquis ita dicuntur. Θερμὸς calidus. Vide Ep. 2. lib. Spect. Cæciliani autem thermæ erant gelidæ, ita ut piſces ab æſtivo calore poſſent defendere.

L V I I.

Invitatus ad cœnam.

1. Invitas tunc me, cum ſcis, Naſica, vocatum;

2. Ex-

2. Excuſatum habeas me, rogo: cœno domi.

Verſ. 1. 2. Me invitas ad cœnam, cum noſti me ab aliis vocatum, ac nihil porro eſſe periculi, ne apud te cœnem: at hodie domi cœno, ac vereor, ne me invites, neve rem tibi moleſtam faciam, ſi a te vocatus, veniam: non veniam, certum eſt mihi domi cœnare, parce me tu, excuſatum habeto me. Legunt aliqui primum verſum hoc pacto. *Invitas me tunc, cum ſcis, Naſica, vocaſſe*: nempe cum vides me vocaſſe amicos ad cœnam, tunc me invitas, ut mirum ego te cum illis invitem, & vocem ad cœnam. Neutrum fiet, nec ibo domum tuam, nec te meam vocabo.

LVIII.

Mors feſtinata.

1. Hoſtem cum fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
2. Hic (rogo) non furor eſt, ne moriare, mori?

Verſ. 1. *Fannius.* Fannius Cæpio, proſcriptus, quod in Auguſtum conjuraſſet, cum fugeret percuſſores: ſe ipſe interemit. Seneca Epiſt. 58. *ſic mori, vinci eſt.*

LIX.

Lectica ſandapila.

1. Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit;
2. Dum tamen hæc tua ſit, Zoile, ſandapila.

Verſ. 1. Per me licebit, o Zoile, ut tua lectica ſit laxior, & amplior, quam illæ, quæ a ſex bajulis portantur: & ita te divitem fingas; non invidebo: modo eadem in lectica mortuus efferaris, in qua geſtaris vivus. Hoc eſt, modo te brevi mortuum videam.

Hexaphoris. Lectica ἑξαφόρος, quæ geſtatur a ſex famulis: ἕξ, ſex; φέρω, porto.

Lectica. In ea geſtabantur vivi; & efferebantur mortui, maxime nobiles ac divites; pauperes vero in ſandapila, quæ eſt plebejum feretrum.

LX.

Lingua populi.

1. Abſciſſa ſervum quid fingis, Pontice, lingua?
2. Neſcis tu populum, quod tacet ille, loqui?

V. 1. 2. Ponticus abſciderat ſervo ſuo linguam, ne ſcelus admiſſum a domino proderet: aut jubebat eum ſilere, quaſi, ſi mutus foret, & abſciſſa foret ipſi lingua. Fruſtra es; inquit poeta, omnes id ſciunt jam & loquuntur. Latere diu ſcelera non poſſunt: imo erumpunt eo magis aliquando, quo magis teguntur. Eſt autem verborum hic ordo: Quid fingis ſervum tuum eſſe abſciſſa lingua? Illi præciſam eſſe linguam? Legit Gruterus e libro antiquo *figis*, ideſt, cruci affigis. Alii, *fœdas*.

LXI.

Togam ab amico petit.

1. Vimine clauſa levi niveæ cuſtodia coctæ,
2. Hæc tibi Saturni tempore munus erit.
3. Dona, quod æſtatis miſi tibi menſe Decembri
4. Si quereris, raſam tu mihi mitte togam.

Verſ. 1. 2. Mitto tibi his Saturnalibus cuſtodiam, hoc eſt lagenam vitream aquæ coctæ & nivibus refrigeratæ, clauſam & munitam viminibus mollibus i ſupertextis. *Cuſtodia*. Carcerem vulgo ſignificat: recte autem lagena dicitur aquæ vel vini carcer: Adde, quod vimen inductum lagenæ fictili, aut vitreæ, illam tuetur & cuſtodit, ut ipſa vinum, aut aquam ſervat. *Coctæ*. Solebant aquam decoquere, tum nivibus refrigerare, eaque uti per æſtatem.

3. Si ægre fers, quod mittam tibi hiberno tempore munera æſtiva, tu æſtivam mihi & levem togam mitte, atque ita me ulciſcere. Raſa toga opponitur pexæ, ſeu villoſæ & craſſiori. *Decembri*. Saturni feſta, ſive Saturnalia, hoc menſe celebrabantur, tunc ad amicos munera miſſitare moris erat.

LXII.

Carmina laborioſa, & inepta.

1. Quod nec carmine glorior ſupino,
2. Nec retro lego Sotaden poetam;
3. Nuſquam Græcula, quod recantat Echo;
4. Nec dictat mihi luculentus Attis
5. Mollem debilitate Galliambon:
6. Non ſum, Claſſice, tam malus poeta.
7. Quid ſi per graciles vias petauri
8. Invitum jubeas ſubire Ladam?
9. Turpe eſt difficiles habere nugas,

10. Et

10. Et ſtultus labor eſt ineptiarum.
11. Scribat carmina circulis Palæmon;
12. Me raris juvat auribus placere.

Verſ. 1. *Supino.* Antiſtrophe, quod eadem manente ſententia retro legi poſſit: retrogrado. Supinum enim eſt idem atque inverſum. Talis eſt ille verſus medici cujuſdam ad hydropicum: *Mitis ero, retine leniter ore ſitim.* Recurre enim ab ultima littera, invenies idem omnino carmen. Aliquando retro legitur verſus alio carminis genere, ut; *Micant nitore tecta ſublimi aurea. Aurea ſublimi tecta nitore micant.* Ejuſmodi carmina Sotadica vocantur a quodam Sotade poeta Cretenſi, qui librum laſcivis ejuſmodi verſibus plenum edidit. Aliud genus carminis Sotadici vide libro 3. Epig. 23.

2. Nec verſus compono qui retro, & inverſi legi poſſint, quales ſunt in Sotadæ libro.

3. Quo non ſcribo Græcorum more carmina, quorum extremæ voces, ſive ſyllabæ geminentur: ut Echo voces repetit, & recinit.

Echo. De verſibus Echicis vide Scalig. poet. lib. 2. c. 29. Politianum Miſcell. c. 22. In illis ultima, vel duæ ultimæ verſus ſyllabæ ita repetuntur, ut aliquem ſenſum efficiant; v. gr. ſi diceres: *Cur ita clamat? amat.*

4. Nec argumentum præclarum, & operoſum carminis mihi dat Atys, quem canam verſu Galliambo, ſeu Galliambico debili ac fracto, ideſt, laſcivo.

Atys, ſeu Attis, Lydus quidam ſeu Phrygius puer fuit, Cybelę in primis charus, qui ejus Deæ ſacra in Phrygiam invexit. Cybeles autem ſacra impudicitiæ fama laborarunt, & ejus ſacerdotes, qui Galli a fluvio Phrygiæ Gallo dicebantur, erant evirati, ac effeminati. De Aty carmen Galliambicum ſcripſit Catullus, de quo forte hic loquitur Martialis.

5. *Galliambum.* Ita vocatur ille verſus, nempe a Gallis Cybeles ſacerdotibus, & Jambo pede: eſt ſenarius: ejus pedes vide apud Scaligerum l. 2. & apud Muretum comment. in Catullum. Habes exemplum ejus generis in Catullo; *Super alta vectus Atys celebri rate maria, &c.*

6. Ordo eſt. Quod ejuſmodi laborioſos verſus non facio, Sotadicos, Echicos, Galliambicos, non ſum idcirco poeta contemnendus, & tam malus, quam quidam illorum verſuum amatores, putant. Capitur ingenio lector ſapiens, non laboriſis nugis.

7. An, ſi juberes Ladam tranſmittere petaurum, putas eum id facturum? Non faceret certe, aut faceret admodum invitus; quia, etſi poſſet, nollet tamen hunc magnum, ac vilem, & inutilem laborem ſumere, cum ipſe mira pedum velocitate gloriam longe nobiliorem colligat. Poſſum itidem ego ut ceteri, Sotadica, Echi-

ca, Galliambica ſcribere, at nihil eſt tanti.

Petauri. Petaurum erat rota quædam, vel machina ſublimis, ad quam attollebant ſe petauriſtæ, ſic dicti a vocibus græcis, ἀίρας, *aura* & πίτομαι, volo, quaſi per aerem volantes, & per cujus anguſtos meatus, ac circulos corpus arte mira tranſmittebant. Nonnulli volunt fuiſſe funes, per quos extentos irent, e quibus penduli ſe librarent, &c.

8. *Ladam*. Ladas ea tempeſtate propter incredibilem pedum velocitatem inſignis fuit.

Difficiles, *&c.* Operam difficilem ſumere in ſcribendis nugis.

11. Patior Palæmonem jactare turbæ imperitæ in circulum circumſtanti, aut mulierculis venditare iſtas nugas, & ſua id genus carmina: ego eruditos lectores quæro, qui de ingenioſis, & veris carminibus exiſtimare poſſint: ſed illi rari.

Palæmon. Q. Rhemmius Palæmon grammaticam Romæ docuit: homo inſulſus, & imperitus, ſed qui caperet homines felicitate memoriæ, & facilitate ſermonis, v. g. verſibus extempore faciendis, &c. Cæterum ita erat arrogans, ut ſecum natas, & morituras ſecum litteras diceret.

LXIII.

In malum poetam.

1. Nil recitas, & vis, Mamerce, poeta videri:
2. Quidquid vis eſto, dummodo nil recites.

Verſ. 1. Nihil a te compoſitum recitas, cur ergo te poetam dicis? Prome, & profer tua carmina. Sed quid aio? Eſto quidquid volueris, Catullus alter, Virgilius, &c. Malo te poetam eximium credi, quam recitare quidpiam, ita enim male recitares, tam inepta diceres, ut nos iſta tua recitatione enecares.

LXIV.

In Improbum ſua vitia magnis exemplis excuſantem.

1. Quod nimio gaudes noctem producere vino,
2. Ignoſco: vitium, Gaure, Catonis habes:
3. Carmina, quod ſcribis Muſis & Apolline nullo;
4. Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
5. Quod vomis, Antoni; quod luxuriaris, Apici:
6. Quod fur es, vitium dic mihi cujus habes?

Verſ. 2. *Catonis*. Uticenſis, quem ſæpe mero incaluiſſe teſtis eſt Horatius lib. 3. Od. De illo facta mentio eſt Ep. 1.

Ep. 1. lib. 1. & Ep. 9.

3. *Musis*, *& Apol. nullo.* Nulla gratia: nulla facultate poetica instructus: invitis Musis, & Phœbo.

4. *Ciceronis*. Qui poeta non optimus fuit.

5. *Antoni*. Qui tantum vini in convivio quodam hauserat, ut postridie mane in concione vomens, frustis vinolentis gremium suum, & totum tribunal impleret. Tullius Philip. 2.

Apici. Apicius fuit Helluo celebrrimus, de quo supra, Ep. 50. & Lib. III. Ep. 18.

LXV.

Vitam beatam quid efficiat.

1. Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ,
2. Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ:
3. Vivere, quod propero pauper, nec inutilis annis,
4. Da veniam: properat vivere nemo satis.
5. Differat hoc, patrios optat qui vincere census:
6. Atriaque immodicis arctat imaginibus.
7. Me focus, & nigros non indignantia fumos
8. Tecta juvant, & fons vivus, & herba rudis.
9. Sit mihi verna satur; sit non doctissima conjux;
10. Sit nox cum somno: sit sine lite dies.

Vers. 1. *Quintiliane*. Erat orator summus: annis 23 Rhetoricam docuit Romæ; ejus extant libri de arte Rhetorica ornatissime scripti. Floruit sub Domitiano.

2. *Togæ*. Toga sæpe pro pacificis artibus, & litteris bonis sumitur, quæ vigent in pace, cujus insigne toga, ut sagum, belli.

4. Ignosce mihi, si quamvis pauper, quamvis ætate adhuc integra, & annis florentibus, atque ad laborem utilibus, propero vivere, hoc est, vitæ gaudia carpere, genio indulgere. Id enim videtur decere divites, qui sumptum facere commodius, & feriari possunt: aut senes, qui labori sunt impares, ac inutiles ad opus faciendum.

5. 6. Differat vivere, genium defraudet, qui ditior patre fieri conatur, & replet atria, stipandis imaginibus ingentibus majorum suorum, ad nobilitatis ostentationem.

Atria. In prima ædium parte Romani nobiles suorum imagines majorum collocatas in armariis servabant, unde illas educerent ad pompam triumphorum, funerum, &c.

7. *Non indignantia fumos tecta*. Domum minime sumptuosam, quæ auro picta non sit, ac pretiosis coloribus, qui fumo ædarentur.

8. *Vivus*. Nativus: non arcessitus arte, &c.

Rudis. Ut in ipso nascitur cespite; non topiario more tonsa, secta, descripta.

9. *Verna*. Servus proprie domi ex ancilla natus. Famuli saturi libentius serviunt, ut indoctæ uxores viris facilius parent.

LXVI.

Petit a Domitiano jus trium liberorum:

1. Rerum certa salus, terrarum gloria, Cæsar;
2. Sospite quo magnos credimus esse Deos:
3. Si festinatis toties tibi lecta libellis
4. Detinuere oculos carmina nostra tuos;
5. Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
6. Natorum genitor credar ut esse trium:
7. Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
8. Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

Vers. 1. *Rerum*. Reipublicæ: orbis terrarum.

2. *Credimus esse Deos*. Qui nulli crederentur esse, si tuæ salutis curam non gererent.

3. *Festinatis libellis*. In meis libellis deproperatis, ac pene factis ex tempore.

5. 6. Concede mihi, ut videar parens trium liberorum, ut fruar privilegiis, quibus gaudent trium liberorum patres, quamvis nullos Fortuna mihi dederit.

Trium. Magna illis præmia erant constituta, qui tres aut plures haberent liberos: v. gr. in spectaculis sedebant honoratiore loco, facilius, & citius honores assequebantur, &c.

LXVII.

De jure trium liberorum impetrato.

1. Natorum mihi jus trium roganti,
2. Musarum pretium dedit mearum
3. Solus qui poterat: valebis uxor;
4. Non debet domini perire munus.

Vers. 3. *Valebis uxor*. His verbis *vale*, *vale*, mortuos extremum compellabant: itaque suam uxorem facessere Martialis jubet, mori optat.

4. Non debet mihi perire Cæsaris munus; periret autem, si susciperem liberos, qui mihi magnis alendi sumptibus forent: nunc eo sum onere, atque adeo te quoque, uxor molesta, liberatus. *Domini*. Imperatoris.

Quod

LXVII.

Quod librum primum Regulo non miserit:

1. Primus ubi est, inquis, cum sit liber iste secundus?
2. Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
3. Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum:
4. Unum de titulo tollere jota potes.

Vers. 2. *Quid faciam?* Quid me excusem, aut cur dissimulem? fateor, missus tibi liber primus non est, quia ille plus habuit pudoris, quam secundus. Erubuit scilicet nostras ad te nugas perferre, quas tibi mittere secundum hunc non puduit.

4. Pro II. pone I. erit, fietque tibi primus liber.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM *LIBER TERTIUS.*

EPIGRAMMA I.

De hoc tertio epigrammatum libro.

1. HOc tibi, quidquid ideſt, longinquis mittit ab oris
2. Gallia Romanæ nomine dicta togæ.
3. Hunc legis, & laudas librum fortaſſe priorem.
4. Illa, vel hæc, mea ſunt; quæ meliora putas?
5. Plus ſane placeat, domina qui natus in Urbe eſt;
6. Debet enim Gallum vincere verna liber.

Verſ. 1. 2. Hunc librum, qualiſcumque ille ſit, mitto tibi, o Romane lector, e Gallia Ciſalpina, quæ Togata dicitur.

Gallia. Seceſſerat Martialis in urbem Longobardiæ, quam vocant nunc *Imolam*, olim Forum Cornelii, in via Æmilia.

Togæ. Pars Galliæ cis Alpes, ac verſus Romam ſitæ, dicebatur Togata, quia incolæ togis, ut Romani, quibus erant viciniores, utebantur. Tranſalpina vero, quæ nunc proprie Gallia dicitur, Braccata, & Comata vocabatur, quia braccis utebantur, ſeu laxioribus femoralibus, & comam alebant.

3. Legis hunc tertium librum, & priorem forte librum, ideſt, ſecundum, huic tertio anteponis: ut ut eſt, illa (prioris nempe, ſive ſecundi libri epigrammata) vel hæc (epigrammata hujus tertii) a me ſunt ſcripta, quænam judicas meliora? ſtatue.

5. Eſto tamen, non recuſo quin ſecundus liber plus placere tertio debeat, quia factus eſt a me in urbe Roma, gentium Domina: iſte autem tertius in Gallia: atque adeo eſt veluti peregrinus, præ alio verna, & domeſtico. *Verna*, proprie eſt ſervus domi natus.

II.

Suum librum Fauſtino mittit, commendatque.

1. Cujus vis fieri, libelle, munus?

2. Fe-

2. Festina tibi vindicem parare,
3. Ne nigram cito raptus in culinam
4. Cordyllas madida tegas papyro,
5. Vel thuris, piperisque sis cucullus.
6. Faustini fugis in sinum? sapisti.
7. Cedro nunc licet ambules perunctus,
8. Et frontis gemino decens honore
9. Pictis luxurieris umbilicis,
10. Et te purpura delicata velet,
11. Et cocco rubeat superbus index.
12. Illo vindice nec Probum timeto.

Vers. 2. *Vindicem*. Defensorem, patronum.

4. *Cordillas*. Sunt minuti, vilesque pisciculi, qui papyro detrita involvuntur.

5. *Cucullus*. Papyraceum involucrum, ore lato, & rotundo, in fundum acutum desinens.

7. *Cedro*. Oleum cedrinum libros, & alias res a tineis, & carie vindicat. De umbilicis, & fronte librorum fuse dixi lib. I. Epig. 58.

9. *Luxurieris*. Ornatus & comptus sis, glorieris, & superbias.

11. *Cocco*. Indicem librorum seu titulum minio scribebant: est autem coccum granum quoddam, ex quo fit color ruber admodum splendidus.

12. *Probum*. Acerrimum eo tempore grammaticum & criticum.

III.

Musas Romæ neglectas queritur.

1. Romam vade liber; si, veneris unde, requiret
2. Æmiliæ dices de regione viæ.
3. Si, quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit;
4. Corneli referas me licet esse Foro.
5. Cur absim, quæret: breviter tu multa fatere;
6. Non poterat vanæ tædia ferre togæ.
7. Si, quando veniet? dicet: respondе, poeta
8. Exierat: veniet, cum citharœdus erit.

Vers. 1. Si petet Roma, si Romani a te requirent, unde veneris, dices te venire ab eo tractu Italiæ, qui est circa viam Æmiliam. Ea est pars magna Longobardiæ cis Padum, & Romandiola nunc dicitur. Nomen illi factum ab Æmilio Consule, qui eam viam straverat.

4. *Corneli foro*. Vide primum epig. Ordo est, licet referas, idest, poteris dicere

me versari in urbe, quæ vocatur Forum Cornelii. Nunc est *Imola*.

Vanæ tædia togæ. Romanorum fastidia, & contemptum litterarum.

7. Si Roma dicet si petet, quandonam redibit Martialis ex Æmilia?

Respondе. Ultima syllaba imperativi modi secundæ declinationis amat interdum corripi, ut docet, vide &c. Adde, quod olim dicebatur, respondeo, respondis, ut servo, servis, lavo, lavis. Munilius testis est Lib. V.

8. *Citharædus*. Nunc enim florent, & diteſcunt citharædi, jacent poetæ. Vid. Lib. I. Ep. 64. Lib. 5. Ep. 52. Juvenalem etiam, Sat. 3.

IV.

Epistola commendatitia.

1. Vis commendari sine me cursurus in urbem,
2. Parve liber, multis? an satis unus erit?
3. Unus erit (mihi crede) satis, cui non eris hospes,
4. Julius, assiduum nomen in ore meo.
5. Protinus hunc primi quæres in limine tecti.
6. Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille lares.
7. Est illi conjux, quæ te manibusque, sinuque
8. Excipiet, vel si pulverulentus eas.
9. Hos tu, seu pariter, sive hanc, illumve priorem
10. Videris; hoc dices; Marcus avere jubet.
11. Hoc satis est: alios commendet epistola; peccat
12. Qui commendandum se putat esse suis.

Vers. 2. *Multis*? An vis commendari multis, an uni tantum.

3. *Hospes*. Ignotus: ignoti enim fere sunt hospites, & peregrini.

5. Recta Julium adi: & cum saluta in anteriori parte ædium, quas nuper Daphnis habuit. Illæ vero omnium primæ occurrunt ingredientibus Romam ab Æmilia via: hanc domum vates appellat primum tectum, & in ejus limine, atrio, seu vestibulo Julium adiri jubet.

6. *Daphnis*. Forte dives aliquis libertus, aut alius quispiam vulgo notus.

9. *Pariter*. Ambos simul.

10. *Avere*. Hac voce, cum salutarent quempiam, utebantur.

11. *Alios*. Qui sunt ignoti. Tu epistola commendatitia non eges, quippe familiaris, & cognitus.

V.

Marcellino gratulatur.

1. Lux tibi post Idus numeratur tertia Majas,

2. Mar-

2. Marcelline, tuis bis celebranda ſacris:
3. Imputat æthereos ortus hæc prima parenti;
4. Libat florentes hæc tibi prima genas.
5. Magna licet dederit jucundæ munera vitæ,
6. Plus nunquam patri præſtitit illa dies.

Verſ. 1. 2. *Lux*, *&c.* Dies decima ſexta ante Kalendas Junias agitur, bino ſacrificio a te celebranda.

Idus. Incidebant in medium fere menſem, nempe in diem 13. præterquam menſibus Majo, Octobri, Julio & Martio, quibus incurrebant in diem 15.

3. Hæc dies tuo patri datam vitam, & auream ætheriam primum hauſtam recolit: natalis eſt tui parentis. *Imputat*. Exponi poteſt; beneficii recolendi onus velut imponit.

4. Hac eadem die virilem ætatem aſſecutus, primam barbæ lanuginem depoſuiſti: *Libat*. Tondet, reſecat: vel, Diis offert, inſtar primitiarum ætatis robuſtioris: *libare* enim in ſacrificiis uſurpari ſolet. Ejus diei, quo primum barbam radebant inſignis apud Romanos erat memoria, & lætitia, hæc feſta vocabantur Juvenalia: ludos, ſacrificia, munera, tunc frequentabant, barbam reſectam Diis conſecrabant.

5. 6. Licet illa dies munus ingens, nempe vitam, patri tuo dederit; majus eſt tamen, quod eadem illi filium in ætatem virilem feliciter provectum dedit.

VI.

De ſportulis ſublata.

1. Centum miſelli jam valete quadrantes,
2. Anteambulonis congiarium laſſi,
3. Quos dividebat balneator elixus.
4. Quid cogitatis, o fames amicorum?
5. Regis ſuperbi ſportulæ receſſerunt.
6. Nil ſtropharum eſt, jam ſalarium dandum eſt.

Verſ. 1. 2. *Valete*. Olim dabantur clientibus cœna recta, ut Lib. II. Epig. 56. diximus: eam Nero in ſportulam mutaverat, hoc eſt, in cibos, qui e patroni menſa mittebantur in ſporta, ſive calatho, ad clientes in atrio expectantes: denique pro ſportula, & cibis, data eſt pecunia, nempe centum quadrantes. Domitianus, antiquato Neronis edicto, revocavit cœnas rectas, & ſportulam ſuſtulit.

Centum quadrantes Summa eſt aſſium Gallicorum fere 25. Bajoci Rom. 28.

2. *Anteambulonis*. Vide Ep. 16. Libri II. Ita vocabantur

tur qui honoris causa divitem patronum præcedentes deducebant per urbem, ante illum quasi ambulantes.

Congiarium. Est vulgo munus, & certa pecuniæ summa, qua Imperatores donabant populum. Hic pro stipendio, & salario sumitur. Congius, mensuræ liquidorum genus est, continens sextarios sex.

3. *Balneator.* Clientes una cum patrono lavabant, & tunc iis per balneatorem dividi solebat pecunia.

3. *Elixus.* Quasi coctus calore aquarum, & vapore balnei.

4. Quid vobis jam animi est, o patroni, qui eratis antea fames clientium vestrorum, qui eos fame enecabatis? *Regis.* Neronis.

5. Non potestis amplius miseros clientes fraudare, & ludificari, adhibendi jam erunt ad cœnam rectam.

Stropharum. Stropha, στροφὴ, a verbo στρέφειν vertere fraudem interdum, & fallaciam significat. Delusi erant clientes, cum primum iis negata est cœna recta: deinde cum pro cibis data pecunia, denique ipsa pecunia differebatur, accidebatur, &c.

Salarium. Ea voce significatur certa portio ciborum; maxime salis, qui viritim dividi olim solebat militibus, ac Imperatorum comitibus. Interdum sumitur pro annona, stipendio & mercede: in hoc loco significat cœnam rectam, & liberalem, clientibus pro mercedem dandam.

VII.

Amator cæcus.

1. Thaida Quinctus amat, quam Thaida? Thaida luscam:
2. Unum oculum Thais non habet, ille duos.

V.2. Ille duos. Non habet duos oculos, plane cæcus est, qui vitia ejus, quam amat, non videt. Cæcus est animo, ut Thais lusca est corpore. Eleganter dictum, & acute.

VIII.

Poeta imperitus, & obtrectator.

1. Versiculos in me narratur scribere Cinna:
2. Non scribit, cujus carmina nemo legit.

IX.

Decoctor a patre exheredatus.

1. Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina
2. Menstrua, perque omnes præstitit illa dies,

3. Lu-

3. Luxuriam premeret cum craſtina ſemper egeſtas,
4. Et vitiis eſſent danda diurna tuis.
5. Idem te moriens hæredem ex aſſe reliquit;
6. Exhæredavit te, Philomuſe, pater.

Verſ. 1. 2. Pater tuus tibi aſſignaverat, dum viveres, ſummam duorum millium H. S. ideſt, libras Gallicas 200. in ſingulos menſes, & ut ne plus impenderes, vetuerat: hanc ſummam in dies ſingulos diviſam, ne totam uno, vel paucis diebus abſumeres, tibi magna cum fide ſingulis diebus dedit, quoad vixit.

Millia bina. Subaudi, ſeſtertiorum. Mille ſeſtertii ſunt libræ Francicæ 100.

3. Scilicet videbat te quolibet die per luxum, & gulam omnia ligurire, ac dilapidare, adeo ut nihil tibi pecuniæ reſtaret in craſtinum, intelligebatque tibi dandum eſſe demenſum diurnum, & non tantum menſtruum.

Diurna. Sic vocabantur cibaria in ſingulos dies ſervis aſſignari ſolita: dicebantur etiam diaria, & demenſa.

5. *Ex aſſe.* Omnium ſuorum bonorum hæredem nullare excepta. Totam hæreditatē dividebant in partes duodecim, ut aſſem, & is hæres ex aſſe vocabatur, ad quem veniebat integra. De aſſe, illiuſq; partibus alibi dictum.

6. Idem fecit, ac ſi te exhæredaſſet, quia brevi omni patrimonium peſſumdabis, & ad egeſtatem redigeris. Licet in te liberalior videatur fuiſſe moriens, quam vivens, revera tamen in te crudelis fuit, qui te hæredem ex aſſe fecerit.

X.

Cœna uncta, & pinguis.

1. Unguentum (fateor) bonum dediſti
2. Convivis here, ſed nihil ſcidiſti.
3. Res ſalſa eſt bene olere, & eſurire.
4. Qui non cœnat & ungitur, Fabulle.
5. Hic vere mihi mortuus videtur.

Verſ. 1. *Unguentum, &c.* Ungebant corpus oleo, poſt balneum, & ante cœnam, admiſtis ſuccis odoratis.

2. *Here.* Pro, heri, antiqua vox. *Scidiſti.* Nullum ſecuiſti cibum, quem convivis dares, appoſuiſti ferculà, ſed ea nemo attigit.

5. *Salſa.* Inepta, ridicula, lepida.

6. *Mortuus.* Non ſolum, enim ungebantur mortui, ſed iis etiam apponebatur cœna, Silicernium dicta, qua utique mortui non veſcebantur: hæc poſtea cum iis cremabatur in rogo.

XI.

Cœna cruda.

1. Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
2. Et plus quam patri, Nævia, parcis apro;
3. Accusas, rumpisq; coquum, tanquam omnia cruda
4. Attulerit; nunquam sic ego crudus ero.

Vers. 2. *Parcis*. Nolens eum dissecare, & convivis impertiri.

3. *Rumpis*. Cædis, mulctas.

4. *Crudus ero*. Dum sic epulabor, ideſt, dum ero jejunus, ut apud te fui, cruditate nunquam laborabo; hæc enim oritur fere ex epularum copia, & nimio cibo ſ, qui concoqui, & digeri nequit. Lusus est in vocibus, *cruda*, & *crudus*.

XII.

De ſportula.

1. Romam petebat esuritor Tuccius,
2. Profectus ex Hispania:
3. Occurrit illi ſportularum fabula;
4. A ponte rediit Milvio.

Vers. 1. *Esuritor*. Famelicus; parasitus quidam & cœnipeta.

3. In ipso Romæ ingressu didicit ex aliquo fortasse obvio, quomodo patroni miseros clientes acciperent, dando illis ſportulam. Vide supra, Epig. 6.

Fabula. Sæpe accipitur pro narratione ridicula: sæpe pro actione misera, & tragica: sic tragediæ appellantur fabulæ. Hic, pro re jocularia simul, & acerba.

4. Tuccius in Hiſpaniam suam redire maluit a ponte Milvio, ibique paupertatem, & famem perpeti, quam Romæ ſportulam accipere: ac probe fecit.

Ponte Milvio. Impoſitus est ille pons fluvio Tiberi, & abest ab urbe mille passus. Nunc *Ponte molle* dicitur.

XIII.

Cerdo numerarius.

1. Das gladiatores, sutorum regule, cerdo;
2. Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.

3. Ebrius

3. Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam,
4. Ut velles corio ludere, cerdo, tuo:
5. Lusisti, satis est: sed te, mihi crede, memento
6. Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

Vers. 1. Edis munera gladiatoria, o cerdo, vilissime opifex.

Cerdo. Sutor, & cerdo hoc differunt, quod sutor faciat calceos, cerdo reficiat, ac veteres farciat: hinc veteramentarius etiam appellatur. Itaque cerdonem ironice vocat Martialis, futorum regulum, & principem. Gladiatores dare non erat nisi nobilium, & procerum, iste autem cerdo patria Bononiensis (ut ex Epig. 46. infra, constat,) cum esset ditissimus, id ausus est, turpi exemplo.

2. Quod lucri facis utendo subula, hoc perdis gladiatores dando. Sica est brevis gladius, incurvus instar falculæ, a secando dictus. Thrax seu retiarius contra Mirmillonem sica pugnabat. Vide Librum V. Ep. 24. item Librum Spectaculorum, & epistolam Libri II.

4. Ut velles ludos dare populo tuis impensis, & tanto sumptu: sumit facete proverbium ab ipsa cerdonis arte. *Corio tuo*. Suo corio ludere est suo damno, & periculo aliquid facere. Hic ludere, est ludos edere, spectacula publica exhibere.

6. Intra tuæ fortunæ, & conditionis limites te contine. Ne ultra crepidam tuam, & pelliculam seu corium vagare. *Se in pelle sua tenere*; *In propria pelle quiescere*: Proverbium est ductum aut ab Æsopica rana, quæ cum inflasset pelliculam, ut bovem æquaret, rupto corpore periit: aut ab asino, quem idem Æsopus fabulatur leonis aliquando pellem induisse, at, re cognita, pœnas temeritatis & stultitiæ dedisse.

XIV.

Recitator otiosus.

1. Perfrixisse tuas questa est præfatio fauces.
2. Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

Vers. 1. Dixisti in tua præfatione te raucum esse, ob frigus collectum: accipimus excusationem, abstine a recitando.

Præfatio. Antequam recitarent, præfabantur aliquid, quo monerent auditores ea, quæ in rem judicabant esse.

XV.

Puer ab ursa lapidea interfectus.

1. Proxima centenis ostenditur urna columnis.

2. Exor-

2. Exornant fictæ qua platanona feræ:
3. Hujus dum patulos alludens tentat hiatus
4. Pulcher Hilas, teneram merſit in ora manum;
5. Vipera ſed cæco ſcelerata latebat in ore,
6. Vivebatque anima deteriore fera.
7. Non ſenſit puer eſſe dolos, niſi dente recepto
8. Dum perit: o facinus, falſa quod urſa fuit!

Verſ. 1. 2. Prope Vipſanam porticum (de qua libro I. Ep. 89.) quæ centum columnis fulta eſt, in loco platanis conſito, ubi viſuntur ſtatuæ multæ ferarum, eſt urſa quædam lapidea. Scaliger interpretatur hunc locum de ſtadio, quod erat prope theatrum Pompeii, regione nona, & temporibus Martialis ſub Domitiano extructum fuit, quod Euſebius in Chronico vocat Hecatoſtylon. *Platanona*. Πλατανών eſt locus platanis conſitus.

Fictæ. Non veræ, & anima præditæ: factæ ex argilla, aut lapide.

3. 4. Dum puer inſerta in os urſæ manu, explorat ejus faucium altitudinem, & feram, quaſi ſentientem, irritat, illuditque.

Hylas. Herculis filius fuit, vel puer ipſi charus: pro quolibet puero eleganti ponitur. Hercules Hylam diu quæſivit, & flevit amiſſum in Argonautica expeditione.

6. Et urſa, licet ſaxea, vivebat aliena anima, nempe viperam vivam celabat, omni urſa crudeliorem.

7. *Dente recepto.* Venenum viperæ in dentibus eſt, aut in veſica tenui, ad guttur inſerta, quæ cum viperæ dentibus comprimitur, emittitur virus.

8. O factum male, quod non vera fuerit urſa! tunc enim non inſeruiſſet illi puer manum in os: aut ipſa puero pepercisſet, ac minus habuiſſet feritatis, quam vipera, minus nocuiſſet, quam urſa hæc ficta.

XVI.

In hominem lepidum, & feſtivum.

1. Dic, Muſa, quid agat Canius meus Rufus?
2. Utrumne chartis tradit ille victuris
3. Legenda temporum acta Claudianorum?
4. An quæ Neroni falſus aſtruit ſcriptor?
5. An æmulatur improbi jocos Phædri?
6. Laſcivus elegis, an ſeverus herois?
7. An in cothurnis horridus Sophocleis?
8. An otioſus in ſchola poetarum
7. Lepore tinctos Attico ſales narrat?

10. Hinc

10. Hinc si recessit, porticum terit templi?
11. An spatia carpit lentus Argonautarum?
12. An delicatæ sole rursus Europæ
13. Inter tepentes post meridiem buxos
14. Sedet, ambulatve liber acribus curis?
15. Titine thermis, an lavatur Agrippæ,
16. An impudici balneo Tigillini?
17. An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
18. An Pollionis dulce currit ad quartum?
19. An æstuantes jam profectus ad Bajas,
20. Piger Lucrino nauculatur in stagno?
21. Vis scire quid agat Canius tuus? ridet.

Vers. 1. *Canius*. Gaditanus fuit poeta, facundiæ lenis, & jucundæ, risu, & jocis præcipue deditus.

2. An scribit historiam rerum Romanarum sub Claudio Imp. gestarum? *Victuris*. In omnem posteritatem legendis. *Claudianorum*. Claudius Imperat. fuit quintus ab Julio Cæsare; Nero sextus.

4. An ea scribit, & narrat ex fide, & veritate, quæ falso scriptores a Nerone gesta dixerunt? De Nerone vivo multa per adulationem, aut metum falso fuisse scripta testatur Tacitus.

5. An aliquid componit ad imitationem Phædri, & ejus jocorum? *Phædri*. Fuit is Tiberii libertus, qui Æsopi fabulas tersissimis senariis reddidit. Improbus vocatur, hoc est, lepidus, & festivus. Fuit & alius Phædrus, Epicureus, de quo sæpe Cicero meminit.

6. Utrum res amatorias elegiaco carmine prosequitur, an heroicas gravi & tragico?

Elegis. Elegia est carmen versibus imparibus constans, usurpata vulgo ad res tristes canendas, sæpe ad ludicras.

Herois. Subaudi, versibus, ab herous, heroa, heroum; pro, heroicus.

7. *Cothurnis*. Sunt cothurni calceamenta grandiora, quibus tragici actores utebantur ad majestatem, & proceritatem. Sophocles Athenienfis, poeta græcus tragicus insignis fuit, cujus extant tragœdiæ. Floruit circa annum mundi 3574. Cum Æschylo, poeta item tragico, certavit, eumque sæpe vicit, ac duodeviginti palmis clarus, ultima demum sic elatus est, ut gaudio victus obierit. *Horridus*. Acer, vehemens, qualis Sophocles.

8. An otiosus in poetarum corona recitat versus festivos? Ep. 60. Lib. 1.

9. *Attico*. Athenienfium laudatur elegantia, & urbanitas.

10. *Templi*. Vel Isidis, vel alterius, de quo Libro II. Epig. 12.

11. An ambulat in porticu Argonautarum lentus? Lege

Lege idem epigramma 12. Lib. II. ubi actum etiam de voce, *Spatio*, de *Europa*, &c.

12. Ordo est. An sedet inter Europæ delicatæ buxos sole tepentes? Erat prope porticum Europæ, sylvula e buxo.

Thermis. Vide Lib. II. Ep. 39. De Agrippa dictum Lib. I. Ep. 89. & alibi.

17. An rusticatur in villa duorum fratrum Tulli, & Lucani? De utroque meminit vates Lib. I. Ep. 32.

18. An currit ad amœnam villam Pollionis positam quarto ab urbe lapide?

Ad quartum. Subaudi, milliare, vel lapidem: singula passuum ab urbe milliaria, notabant in lapidibus positis in via publica.

Bajas. Vide Lib. I. Ep. 51. de Lucrino lacu dictum eodem libro. Ep. 54.

20. *Nauculatur*. Vel, naviclatur, pro naviculatur, idest, navigat.

XVII.

Servus crudelis domini ultor pius,

1. Proscriptum famulus servavit fronte notatus;
2. Non fuit hæc domini vita, sed invidia.

Vers. 1. *Proscriptum*. Dicebantur proscripti, quorum vita, & caput venale proponebatur in tabula, certo adscripto pretio, si quis eos interemisset. Talis fuit is, de quo agitur in hoc epigrammate, cui nomen, Antis Restio. Ille a Triumviris proscriptus anno U. C. 710. fugit, uno servo fugæ comite, & conscio, quem paulo ante per summam crudelitatem litteris in fronte inustis notaverat: quam ignominiæ notam, & pœnam imponebant vulgo domini servis nequam, & fugitivis. Supervenientibus militibus cū diutius occultari Antius non posset, servus rogum extruxit, & hominem quemdam ignotum, a se comprehensum, occisumque, in rogum injecit, quærentibusque percussoribus ubi esset Antius, rogum ostentans, ibi, inquit, pœnas suæ in me crudelitatis luit. Præsens spectaculum, & præterita heri culpa fidem fecit, ita servatus est Antius, Val. Max. Lib. 6. cap. 8. Macrob. 1. Satur. cap. 11.

Notatus. Vide L. II. Ep. 26.

2. Non tam censendus est servus vitam domino reddidisse, quam invidiam illi cōflavisse: non tam servatus est a servo ad vitam, quam ad invidiam, & odium omnium, qui merito indignati sunt, quod Antius tam indigne tractasset servum, a quo postea servatus tam amanter fuisset. Ita illum gravius est ultus vita servanda, quam ulcisci potuisset eripienda. *Invidia*. Sumitur ea sæpe vox pro aliorum offensione, & indignatione.

Helluo

XVIII.

Helluo in desperationem adductus.

1. Dederas, Apici, bis trecenties ventri,
2. Et adhuc supererat centies tibi laxum.
3. Hoc tu gravatus, ut famem & sitim, ferre,
4. Summa venenum potione duxisti.
5. Nihil est, Apici, tibi gulosius factum.

Vers. 1. *Dederas &c.* Apicius consumpserat comessationibus bis trecenties, sive sexcenties centena sestertiorum millia: sunt Francici nummi seu libræ 6000000. superaret adhuc illi centies, nempe libræ 1000000. scutatorum Roman. vicies centena millia, cum ducentis quinquaginta millibus. *Laxum*. Ideſt, integrum, plenum. Legendum putat Meursius, *Ter trecenties*, quia Seneca testatur Apicium hausisse sestertium nongenties comessationibus.

3. Tu gravatus hoc ferre, ut famem, & sitim: ideſt non minus grave onus id putans, quam famem, & sitim, venenum hausisti. Legitur etiam: *Hoc tu gravatus, ne famem & sitim ferres.*

Apici. Apicius, alpha helluonum, vixit Tiberio Imperatore. Abiit nomen ejus in proverbium: ab eo enim gulosi dicti sunt Apicii, aut Apiciani.

4. *Summa*. Ultima, post illam enim moriturus erat.

Duxisti. Hausisti: legitur etiam, *Perduxti*, pro, perduxisti, hoc est, ebibisti, exhausisti.

5. Numquam ullo tuo facto clarius ostendisti, quam esses gulosus. Præclare Seneca Consolatione ad Helviam n. 10. *Superfuturum sibi sestertium centies computavit, & velut in ultima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria est, cui sestertium centies egestas fuit!*

XIX.

Mensa a pedibus posita.

1. Omnia cum retro pueris obsonia tradas,
2. Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Vers. 1. Cum tradas servis tuis, qui post tergum sunt, & ad tuos pedes retro stant, omnes cibos, ut eos servent scilicet, ac mihi relinquas convivas; cur non mensam a tergo accumbentium ponis? Licet a fronte eam ponas, non tamen magis utilis nunc est, quam si a tergo sit: commodius etiam ex ea auferrent cibos tui

tui ſervi. Servi quidam vocabantur ad pedes, qui ad dominorum cœnantium pedes ſtabant, eorumque ſoleas ſervabant.

Obſonia. Cibi omnes, præter panem, ita vocantur, ab ὀψάω, coquo.

X X.

In rhetorem frigidum.

1. Si temperari balneum cupis fervens,
2. Fauſtine, quod vix Julianus intraret,
3. Roga, lavetur, rhetorem Sabinejum:
4. Neronianas hic refrigerat thermas.

Verſ. 2. *Julianus*. Aliquis Fauſtino notus, qui calentibus aquis lavari conſueverat. *Si* cupis igitur balneum calidiſſimum temperare, roga Sabinejum, ut in eo lavetur, eſt rhetor adeo frigidus, ut quaſcumque Thermas refrigerare queat, etiam Neronianas. Erant iſtæ percalidæ. Lege Lib. II. Epigr. 39. De Thermis, vide Lib. Spectac. Epigr. 2.

X X I.

Amicus ſæpe ad cœnam vocatus.

1. Nunquam me revocas, venias com ſæpe vocatus,
2. Ignoſco, nullum ſi modo, Galle, vocas.
3. Invitas alios: vitium eſt utriuſque; quod? inquis:
4. Et mihi cor non eſt; nec tibi, Galle, pudor.

Verſ. 1. *Revocas*. Viciſſim ad cœnam vocas, a me ſæpius invitatus.

3. *Utriuſque*. Et meum, & tuum.

4. Nec deberem te, ſi ſaperem, vocare; & pudere te deberet toties venire. Facio ſtulte, qui te vocem tam facile: facis impudenter, qui me non revoces.

X X I I.

Obſcœna colloquia.

1. Auriculam Mario graviter miraris olere:
2. Tu facis hoc; garris, Neſtor, in auriculam.

Verſ. 2. *Facis hoc*. In cauſa es, cur oleat illi graviter auricula; quia dum illi in aurem garris, (quid ſit in aurem garrire, vide Lib. I. Ep. 74.) afflas hanc illi

ab

ab impura tua anima gravolentiam. Vel: turpia clam verba insusurras: hinc ille fœtor.

XXIII.

In servum equitem factum.

1. Has cum gemina compede dedicat catenas,
2. Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Vers. 1. *Dedicat.* Solebant servi libertate donati suas catenas consecrare Saturno, eo quod Saturnus olim a Jove in carcerem detrusus, ut narrant fabulæ, fuisset. Eam ob rem Saturnalibus festis, servi dominabantur, serviebant heri. Fingit igitur Zoilum, qui eques erat factus, & nobilem se credi cupiebat, catenas suas Saturno dedicare.

2. *Annulos priores.* Olim ferreos gerebat in pedibus: (annulli sunt catenarum partes) nunc aureos in digitis gerit eques lautus.

Est autem carmen e Sotadico genere, de quo Lib. II. Ep. 62. a Phaleucio carmine, seu Hendecasyllabo in eo tantum discrepans, quod ante dactylum, qui mediam versiculi partem obtinet, habeat anapæstum: ita constat 14. syllabis, quæ, sex Pedes efficiunt.

XXIV.

In clientem egenum.

1. Sportula nulla datur; gratis conviva recumbis,
2. Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
3. Unde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ?
4. Unde datur quadrans? unde vir es Chiones?
5. Cum ratione licet dicas te vivere summa:
6. Quod vivis, nulla cum ratione facis.

Vers. 1. Domitianus rectas cœnas restituit (supra Epigr. 6. & Lib. II. Ep. 50.) nihil datur jam pecuniæ clientibus: quomodo poteris jam Romæ vivere? quippe nullam artem calles, unde tibi compares togam, solvas pensionem domus tenebricosæ, & tugurioli tui, aliquid des uxori tuæ. Ad hæc omnia præstanda utebantur clientes centum illis quadrantibus, de quibus Ep. 6.

Gratis. Quia non accipis centum quadrantes. Adde quod nonnihil præterea pecuniæ dabatur clientibus ad patroni mensam sæpe honoris causa sic accumbentibus, ut ex ea nihil attingerent.

4. *Quadrans.* Quartam assis partem solvebant, qui balneo utebantur: eratque sta-

tum

cum, & vulgare pretium.

Chiones. Aut uxor Gargiliani erat, aut meretrix.

5. Licet dicas te summa cum ratione, sapientia, parsimonia, & moderatione vivere; tamen nulla est ratio & causa, cur vivas: imo sunt multæ rationes, cur optes mori, & vitam insuavem relinquere: cur possis, ac velis fame, & egestate perire.

XXV.

In divitem arrogantem.

1. Sunt tibi (confiteor) diffusi jugera campi,
2. Urbanique tenent prædia multa Lares:
3. Et servit dominæ numerosus debitor arcæ,
4. Sustentatque tuas aurea mensa dapes:
5. Fastidire tamen noli, Rufine, minores;
6. Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

Vers. 2. Et domus tua urbana occupat multa ædificia: possides amplissimas ædes, quarum spatium par est multis latifundiis. Lares sunt Dii domestici, cujusque domus proprii, accipiuntur pro ipsa domo.

Prædia. Prædium urbanum est ædificium quodlibet in urbe: prædium rusticum continet agrum ædificio adjunctum.

3. Multis credidisti nummos, multos habes, qui tibi debeant. Dominam vocat arcam, idest, plenam, & locupletem; vel debitoribus quasi imperitantem: nihil est enim misero debitore subjectius, nihil magis servile.

5. *Minores fastidire*. Egentiores contemnere.

6. *Didymus*. Homo turpis & nequam, qui ad magnas opes evasit, ut Philomelus, quem citharœdum, aut cantorem fuisse ajunt. Non est magnum ea possidere, quibus isti abundarunt.

XXVI.

Pisces affabre sculpti.

1. Artis Phidiacæ toreuma clarum,
2. Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

Vers 1. En pisces e ligno facti; ita sunt bene sculpti, ut si addas aquam, nataturi videantur. *Phidiacæ* Phidias Athenienſis pictor, & fictor egregius vixit ann. U.C. 300. Insignis etiam fuit toreutica, idest, cælandi arte. Τορεύω, torno, sculpo: hinc toreuma, opus cælatum.

Ami-

XXVII.

Amicus emeritus.

1. Quod novus & nuper factus tibi præstat amicus?
2. Hoc præstare jubes me, Fabiane, tibi.
3. Horridus, ut primo semper te mane salutem;
4. Per mediumque trahat me tua sella lutum:
5. Lassus ut in thermas decima, vel serius, hora
6. Te sequar Agrippæ, cum laver ipse Titi.
7. Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
8. Ut sim tyro tuæ semper amicitiæ?
9. Hoc merui, Fabiane, toga, tritaque, meaque.
10. Ut nondum credas me meruisse rudem?

Vers. 1. *Potior*. Me officia eadem, quæ ab recentibus & tyronibus amicis præstari solent.

3. *Horridus*. Rigens frigore.

4. *Sella*. Lectica, cathedra gestatoria. Isti anteambulones & comites divitum, eos in lecticis gestatos per medium lutum sequi cogebantur. De thermis, supra Epig. 20.

5. *Decima*. Altera ante solis occasum: nempe cum est cœnandum. Vide Lib. I. Ep. 89. & Lib. IV. Ep. 7.

6. Cum ipse in Titi balneis longo intervallo dissitis laver; quia scilicet non pateris, præ arrogantia, ut Agrippæ balneis tecum utar. De Tito & Thermis, diximus Libro Spectac. Epig. 2. de Agrippa. Lib. I. Epig. 89.

9. *Trita*. Quam detrivi, & consumpsi, dum utor illa in honorem tuum.

Mea. Quippe, qui nullam a te acceperim.

10. *Rudem*. Me esse emeritum, me millionem ab his laboribus esse promeritum: idest, dignum esse, qui a te, ut amicus, solvar tot oneribus: non iis, ut servus, aut primum amicitiam tuam captans, obruar.

Rudis. Erat virga scabra & impolita, quæ gladiatoribus emeritis, aut laudem aliquam insignem præclaro quopiam facinore adeptis dabatur, honoris insigne, & testis datæ vacationis, missionisque ab arena. Consule Lib. Spectac. Ep. 27.

XXVIII.

Ira quæstuosa.

1. Irasci tantum felices nostis amici.
2. Non belle facitis: sed juvat hoc facere.

Vers. 1. *Felices*. Divites: quo sensu vox ea, ut *beatus*, sæpissime usurpatur.

2. *Sed juvat*. Ideſt, utile hoc

hoc vobis est : quæstum ex ira facitis ad lucrum. Quia dum fingitis vos esse iratos, amici nihil a vobis petunt, & in lucro ponunt, quod vos habeant placatos, nihil audent a vobis aliud petere. *Odisse quam donare vilius constat*, lib. XII. Ep. 13. simulatis iram, ne largiri aliquid amicis pauperibus cogamini.

XXIX.

Virtus & littera neglecta.

1. Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam
2. Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
3. Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
4. Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
5. Egit Atestinus causas, & Cajus; utrumque
6. Noras: sed neutri pensio tota fuit.
7. Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis;
8. Audieris, dices esse Maronis opus.
9. Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis
10. Sunt ibi; Nasones, Virgilioque vides.
11. Atria magna colam: vix tres, aut quatuor ista
12. Res aluit; pallet cetera turba fame.
13. Quid faciam? suade: nam certum est vivere Romæ.
14. Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

Vers. 1. *Trahit*. Fingit aliquem eruditum, magna spe rei faciendæ, Romam venire.

Refer. Doce.

4. *In triplici foro*. De tribus illis præcipuis foris diximus Lib. 1. Ep. 64.

5. *Atestinus*; *Cajus*. Duo celebres causidici, at egentes; ita ut totam domunculæ suæ pensionem solvere nequiverint.

7. Si nihil faciam lucri orãdis causis, condam carmina.

8. *Audieris*. Ubi mea carmina semel audieris.

9. 10. Delipis; en isti omnes poetæ quos horrere frigore in detritis vestibus vides, totidem sunt Ovidii, & Virgilii.

11. *Colam*. Cliens ero divitum patronorum.

14. *Casu*. Si vir es probus, forte reperies, unde vivas Romæ: forte etiam fame peribis, idq; certius & verosimilius est. Vide Juvenalem a nobis illustratum. Sat. 3.

XXX.

Dives male liberalis.

1. Mutua, quod nobis ter quinquagena dedisti.

2. Ex

2. Ex opibus tantis, quas gravis arca premit;
3. Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus;
4. Tu magnus, quod das? imo ego, quod recipis;

Vers. 1. *Ter quinquagena.* Sestertia 150. idest, libras Franc. 10000.

2. *Premit.* Stipata vix capit.

4. Tune es liberalis, & magnificus, quod mutuam hanc mihi summam dones? Imo pusillus & parcus es, qui, cum dives sis, pauperi mutuum dare non erubescas, cui par erat te donare gratis. Ego magni animi sum, qui, licet pauper, mutuum tibi solvo.

XXXI.

Lacerta cælata.

1. Inserta phialæ Mentoris manu ducta
2. Lacerta vivit, & timetur argentum.

Vers. 1. Cælata in superficie ampullæ argenteæ lacerta ita est affabre expressa, ut vivere videatur, & timeatur, licet argentea, & expers animæ sit.

Mentoris. Cælatoris Græci laudatissimi.

XXXII.

In mulierem fucatam.

1. Cerussa rugas oris, quod condere tentas,
2. Polla, tibi frontem, non mihi labra linis.
3. Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum;
4. Quod tegitur, majus creditur esse malum.

Vers. 2. *Non mihi, &c.* Labra linere; os sublinere alicui, est eum decipere: ducta locutio a ridiculo quodam ludi genere, in quo dormientibus ora pinguntur colore aliquo, vel fuligine.

3. Cerussam diximus esse fuci candidi genus. Satius est ut candide ac sine tergiversatione vitium, & deformitas, quæ fortasse parva est, pateat.

4. *Majus.* Suspicionem facis te esse deformiorem, magis anum, quam sis reipsa.

XXXIII.

Senex fucatus.

1. Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capilli;

2. Tam

2. Tam ſubitò corvus, qui modo cycnus eras:
3. Non omnes fallis, ſcit te Proſerpina canum:
4. Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Verſ. 1. 2. *Tinctis*. Nigro pigmento infectis: unde appareas tam niger, quam eſt corvus; licet, præ ſenio, tam ſis canus, quam cycnus.

3. *Proſerpina*. Cui debentur omnes mortui, quæ illorum annos probe novit. *Perſonam*. Larvam: fictam juvenis imaginem, pigmenta &c.

XXXIV.

Nimis poeta.

1. Occurrit tibi nemo, quod libenter,
2. Quod quacumque venis, fuga eſt, & ingens
3. Circa te, Ligurine, ſolitudo;
4. Quid ſit ſcire cupis? nimis poeta es:
5. Hoc valde vitium periculoſum eſt.
6. Non tigris catulis citata raptis,
7. Non dipſas medio peruſta ſole,
8. Nec ſic ſcorpius improbus timetur.
9. Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
10. Et ſtanti legis, & legis ſedenti:
11. In thermas fugio, ſonas ad aurem,
12. Piſcinam peto, non licet natare;
13. Ad cœnam propero, tenes euntem;
14. Ad cœnam venio, fugas ſedentem;
15. Laſſus dormio, ſuſcitas jacentem.
16. Vis, quantum facias mali, videre?
17. Vir juſtus, probus, innocens timeris.

Verſ. 7. *Dipſas*. Genus eſt ſerpentis peſtiferi, quo qui percuſſus eſt, ſiti graviſſima vexatur, ac tandem enecatur. Nomen habet a græco δίψα, ſitis. Frequens eſt in Africa. *Peruſta ſole*. Cum apricatur ad meridianum ſolem.

9. Quis poſſit perferre moleſtiam, & laborem audiendi te recitantem ubique tua carmina?

11. *Piſcinam*. In piſcinis natabant aliquando, & corpus lavabant.

14. *Sedentem*. Menſæ accumbentem: nam ad menſam interdum ſedebant. Legunt aliqui, *edentem*.

Reſi-

XXXV.

Recitator odioſus.

1. Fugerit an menſas Phœbus, cœnamque Thyeſte,
2. Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam:
3. Illa quidem lauta eſt, dapibuſq; inſtructa ſuperbis:
4. Sed nihil omnino, te recitante, placet.
5. Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem;
6. Nec volo boletos, oſtrea nolo: tace.

Verſ. 1. *Thyeſte*. Thyeſtes, & Atreus Pelopis erant filii: ille fratris uxorem temeravit: hic filio Thyeſtæ fratres cæſos appoſuit patri epulandos, quo ſpectaculo territum ſolem ajunt fugiſſe.

5. *Rhombum mullum*. Piſces exquiſitos. *Bilibrem*. Cujus pondus ſit librarum duarum.

6. *Boletos*. Fungos delicatos. Lib. I. Ep. 21.

Tace. Hoc tantum volo, ut taceas, ut nihil recites.

XXXVI.

Quid ab amicis exigendum.

1. Exigis a nobis operam ſine fine togatam?
2. Non eo; libertum ſed tibi mitto meum.
3. Non eſt, inquis idem: multo plus eſſe probabo;
4. Vix ego lecticam ſubſequar, ille feret.
5. In turbam incideris, cunctos umbone repellet;
6. Invalidum eſt nobis, ingenuumque latus.
7. Quid libet in cauſis narraveris; ipſe tacebo;
8. At tibi tergeminum mugiet ille ſophos.
9. Lis erit: ingenti faciet convicia voce.
10. Eſſe pudor vetuit fortia verba mihi.
11. Ergo nihil nobis, inquis, præſtabis amicus?
12. Quidquid libertus, Candide, non poterit.

Verſ. 1. Exigis a me officia omnia, quæ a clientibus togati ſolitis, exhibentur, v. g. ut te comiter per urbem, veniam ſalutatum mane, &c.

2. Non poſſunt ire ipſe, ſed mitto tibi libertum meum.

5. *Umbone*. Cubito. Proprie umbo eſt pars eminens in medio clypeo, ſæpe rotunda, interdum acutior, quale eſt os cubiti.

6. *Ingenuum*. Homines ingenui, & mollius educati, non ſunt ita robuſti, non ita impudentes, impulſare ob-

vios audeant.

7. *In cauſis*. In agendis cauſis in foro.

8. *Mugiet*. Applaudet tibi & acclamabit voce tanta, ut mugitus dici poſſit.

Tergeminum. Triplex, id-eſt, magnum: qua in ſignificatione numerus ternarius ſæpe uſurpatur: de voce, Sophos, vide Lib. I. Ep. 4.

9. Ingeret affatim adverſariis tuis convicia, & opprobria.

10. *Fortia*, Acerba, atrocia, contumelioſa.

12. *Quidquid*, *&c.* Præſtabo liberalis amici officia, & ingenui; non ſervilia, & liberti.

XXXVII.

Villa inops.

1. Capena grandi porta qua pluit gutta,
2. Phrygiumque matris Almo qua lavat ferrum,
3. Horatiorum qua viret ſacer campus,
4. Et qua puſilli fervet Herculis fanum,
5. Fauſtine, plena Baſſus ibat in rheda,
6. Omnes beati copias trahens ruris.
7. Illic videres frutice nobili caules,
8. Et utrumque porrum, ſeſſileſque lactucas,
9. Pigroque ventri non inutiles betas:
10. Illic coronam pinguibus gravem turdis,
11. Leporemque læſum Gallici canis dente,
12. Nondumque victo lacteum faba porcum.
13. Nec feriatus ibat ante carrucam,
14. Sed luta fœno curſor ova portabat.
15. Urbem petebat Baſſus? imo rus ibat.

Verſ. 1. *Capena*. Qua itur Capuam urbem nobiliſſimam Campaniæ in Italia. *Capua*. Erant prope illam portam aquæductus, unde guttæ grandes depluebant.

2. *Almo*. Fluvius Thuſciæ nunc vulgo dictus *Aquazaccio*, per Appiam viam, quæ a porta Capena incipiebat, fluens: in eo Galli, ſacerdotes Cybeles, quæ Mater, ſeu mater Deorum vulgo appellabatur, cultros, & alia ſacrorum inſtrumenta ſolebant abluere. Sententia igitur eſt: In ea parte viæ Appiæ, quam Almo alluit; in quo ſacerdotes Cybeles lavant cultros in ſacrificiis Matris Deorum adhiberi ſolitos.

3. *Horatiorum*. Extra portam Capenam erat ager, ubi ab Horatiis pugnatum olim fuiſſe ajebant: ibi viſebantur eorum ſepulchra: agros autem ſepulcris addictos, ſacros fuiſſe diximus Lib. I. Ep. 96. Horatiorum longa hiſtoria: Florum conſule, Libro I. cap. 3.

4. *Her-*

4. *Herculis*. In eadem Appia via erat ædicula Herculi ſacra. Puſillum Herculem fortaſſe adulatorie vocat, in gratiam Domitiani, qui ſe Herculi comparabat, & quem vates noſter maiorem Herculem ſæpe appellat.

Fervet. Celebratur adeuntium multitudine.

6. Omnes fructus, quibus abundare villa fertilis, ac dives ſolet.

7. *Illic*. In rheda Baſſi.

Frutice. Caudice, ſtolone.

8. *Utrumque*. Sectivum, & capitatum. *Seſſiles*. Humiles, capitatas.

9. *Pigro*. Duro, ſtricto, quem cient nimirum, ac ſolvunt.

10. *Coronam*. Vimen in orbem nexum, ex quo pendebant turdi.

11. *Gallici*. Velociores erat ceteris Gallici canes, & leporibus captandis idonei.

12. Et porcum lactentem, qui nondum vicit, ſive fregit dente fabas; utpote duriores.

13. Nec famulus vacuus & ſine onere, currebat ante rhedam, ſed ova portabat in fœno poſita.

15. Quis non arbitraretur Baſſum e villa in urbem venire, his onuſtum rebus? atqui ibat in villam, ita videlicet inopem, ut in eam omnia eſſent importanda, quæ in urbem ex illa deferri debuiſſent.

XXXVIII.

In ædificatorem.

1. Pauperis extruxit cellam, ſed vendidit Ollus
2. Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

Solebant divites in ampla & ornata domo, tenues aliquas cellulas, conclavia anguſta ædificare, ubi parce ac ſobrie veſcebantur, & amicos tenuiores excipiebant: hunc locum vocabant Diætam, ſive Cellam pauperis. Talem cellam iſte Ollus extruxit cum domo laſſiſſima: ſed abſumptis ædificando fortunis, prædia & forte ſplendidam illam domum vendere coactus eſt, ac ſolam ſibi pauperis cellam reſervare.

XXXIX.

Pocula optima.

1. Vejentana mihi miſces, tu Maſſica potas.
2. Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

Verſ. 2. *Olfacere*. Pocula odorata e ligno beneolenti, ſæpe floribus ornata, in menſis ponebant: ait igitur Martialis malle ſe odorari hæc pocula, quam bibere vinum peſſi-

peſſimum in iis contentum: & naſum paſcere, quam lædere ſtomachum. De Ve-jentano vino & Maſſico ſæpe facta mentio, præſertim Ep.25. Lib.1.

X L.

Moleſtus recitator.

1. Hæc tibi, non alia, eſt ad cœnam cauſa vocandi,
2. Verſiculos recites ut, Ligurine, tuos.
3. Depoſui ſoleas; affertur protinus ingens
4. Inter lactucas oxygarumque liber.
5. Alter perlegitur, dum fercula prima morantur:
6. Tertius eſt, nec adhuc menſa ſecunda venit.
7. Et quartum recitas, & quintum deniq; librum.
8. Putidus eſt, toties ſi mihi ponis aprum.
9. Quod ſi non ſcombris ſcelerata poemata donas;
10. Cœnabis ſolus jam, Ligurine, domi.

Verſ. 3. *Soleas*. Ne veſtem ſtragulam, lectoſque inquinarent convivæ, ſoleas & calceos deponebant. Vide Ep.26. Lib.II.

4. *Oxygarum*. Condimenti genus e garo & aceto confectum: Eſt garum ſuccus quidam, ſeu muria, e piſciculorum inteſtinis. Gloſſæ veteres ὀξύγαρον acetarium, vocant. Inchoabant porro cœnam a lactucis & heluellis, quæ lubricant ventrem.

6. *Menſa ſecunda*. Pars cœnæ poſtrema, in qua bellaria apponebantur & fructus.

8. Putidus mihi & ingratus foret aper, licet exquiſitiſſimum ſit ferculum, ſi toties mihi apponeretur, quoties tu peſſimum librum recitas.

9. *Scombris*. Piſciculi ſunt, qui chartis ineptis involvuntur. Vide 2. Ep. hujus Libri.

X L I.

Incendium utile.

1. Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
2. Abſtulit hanc nimium caſus in urbe frequens.
3. Collatum eſt decies: rogo, non potes ipſe videri
4. Incendiſſe tuam, Tongiliane, domum?

Verſ. 1. *Ducentis*. Millibus ſeſtertium, hoc eſt, libris Francicis 20000.

2. *Caſus*. Incendium.

3. *Collatum*. Collectum & contributum tibi ab amicis vicem tuam dolentibus, ut reparares incenſam domum.

Decies. Subaudi, ut antea monuimus, centena millia ſe-

seſtertium, nempe libræ Turon. 1000000. & Rom. scutatorum ducenta viginti quinque millia.

XLII.

Odor adscitus.

1. Quod quacumq; venis; Cosmũ migrare putamus,
2. Et fluere excusso cinnama fusa vitro.
3. Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis;
4. Scis, puto, posse meum sic bene olere canem.

Vers. 1. 2. Quod quacumque iter facis, tam suavem odorem spargis, ut videatur Cosmus ille celebris unguentarius incedere cum sua tota officina & e phialis vitreis effusa fluere aromata videantur. *Cinnama*. Cinnamum, seu cinnamomum frutex odoratus, ex Asia devehebatur: eo condiebatur aqua odoris suavissimi.

3. *Peregrinis nugis*. Odoribus alienis, & longe petitis.

XLIII.

Ravennæ cisterna.

1. Sit cisterna mihi, quam vinea, malo Ravennæ:
2. Cum possim multo vendere pluris aquam.

Vers. 1. *Cisternæ*. Locus est ubi aqua pluvialis collecta servatur. *Ravennæ*. Ravenna, *Ravennæ*, alias Æmiliæ, nunc Romandiolæ caput, oppidum est Italiæ maritimum, in intimo sinu Adriatico. Ibi magna est dulcis aquæ penuria, magna vini copia. Lege sequens epigramma.

XLIV.

Caupo liberalis.

1. Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennæ:
2. Cum peterem mistum, vendidit ille merum.

Vers. 1. *Imposuit*. Me decepit.

2. *Mistum*. Temperatum aqua vinum. *Merum*. Aqua non mistum: carior enim est aqua Ravennæ, quam vinum; propter aquæ dulcis penuriam: itaque vinum merum vilius est, quam aqua dilutum. Ludit in paradoxo.

XLV.

Villa dives.

1. Bajana noſtri villa. Baſſe, Fauſtini
2. Non otioſis ordinata myrtetis,
3. Viduaque platano, tonſilique buxeto
4. Ingrata lati ſpatia detinet campi:
5. Sed rure vero, barbaroque lætatur.
6. Hic farta premitur angulo Ceres omni,
7. Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis:
8. Hic poſt Novembres, imminente jam bruma
9. Seras putator horridus refert uvas.
10. Truces in alta valle mugiunt tauri,
11. Vituluſque inermi fronte prurit in pugnam.
12. Vagatur omnis turba ſordidæ cortis,
13. Argutus anſer, gemmeique pavones,
14. Nomenque debet, quæ rubentibus pennis;
15. Et picta perdix, Numidicæque guttatæ,
16. Et impiorum Phaſiana Colchorum;
17. Sonantque turres plauſibus columbarum.
18. Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur;
19. Avidi ſequuntur villicæ ſinum porci,
20. Matremque plenam mollis agnus expectat.
21. Cingunt ſerenum lactei focum vernæ,
22. Et larga feſtos lucet ad Lares ſilva.
23. Non ſegnis albo pallet otio caupo,
24. Nec perdit oleum lubricus palæſtrita:
25. Sed tendit avidis rete ſubdolum turdis,
26. Tremulave captum linea trahit piſcem,
27. Aut impeditam caſſibus refert damam.
28. Exercet hilares facilis hortus urbanos,
29. Et pædagogo non jubente laſcivi
30. Parere gaudent villico capillati:
31. Et delicatus opere fruitur eunuchus.
32. Nec venit inanis ruſticus ſalutator,
33. Fert ille ceris cana cum ſuis mella,
34. Metamque lactis Saſſinate de ſilva:
35. Somniculoſos ille porrigit glires;
36. Hic vagientem matris hiſpidæ fœtum,
37. Alius coactos non amare capones;

38. Et

38. Et dona matrum vimineo ferunt texto
39. Grandes proborum virgines colonorum.
40. Facto vocatur lætus opere vicinus;
41. Nec avara servat craſtinas dapes menſa:
42. Veſcuntur omnes, ebrioque non novit
43. Statur miniſter invidere convivæ.
44. At tu ſub urbe poſſides famem mundam,
45. Et turre ab alta proſpicis meras laurus,
46. Furem Priapo non timente ſecurus:
47. Et vinitorem farre paſcis urbano,
48. Pictamque portas otioſus ad villam
49. Olus, ova, pullos, poma, caſeum, muſtum.
50. Rus hoc vocari debet, an domus longe?

Verſ. 1. *Bajanæ*. De Baiis vide Lib. I. Ep. 51. 54. & alias paſſim.

2. *Otioſis*. Sterilibus. Non eſt plena myrtis ordine certo digeſtis: v. gr. in quincuncem. Myrtetum, locus eſt myrtis conſitus.

3. *Viduæ*. Sterili: hoc eſt, quæ vitibus non maritatur, ut ulmus, populus, &c.

Tonſili. Romani tondebant ita buxum, ut varias animalium figuras referrent.

4. *Ingratæ*. Infœcunda, quæ nihil domino reddunt, more ingratorum hominum.

5. *Vero*. Rus verum illud eſt, quod ad fructus percipiendos colitur, ubi non ſunt hortenſes tantum deliciæ, &c. *Barbaro*. Ruſtico, inculto, at frugifero.

6. 7. In hac villa frumentum omnibus in angulis ſtipatur, & conditum vinum vetus a multis autumnis ac in teſtis ſervatum, fragrat.

9. *Putator*. Vinitor, qui vitem amputat, reportat domum uvas, quæ poſt factam vindemiam relictæ fuerant in palmitibus, vel negligentia colligentium, vel ut matureſcerent. *Horridus*. Pannoſus, frigens.

11. Nondum cornibus armata fronte prælia deſtinat.

12. *Turba cortis*. Gallinæ, anſeres, &c.

13. *Argutus*. Semper ſtrepitans, & clangens.

Gemmei. Gemmantibus caudis nitentes.

14. Et avis phœnicopterus: ſic dicta nimirum a pennis purpureis φοίνιξ purpura, πτέρον ala.

15. *Pictæ*. Ob pennas maculoſas, & varias. *Numidicæ*. Subaudi, Gallinæ. Numidia pars eſt Africæ: hinc illæ deportabantur. *Guttatæ*. Maculis verſicoloribus, ut guttis, pictæ.

16. Et avis phaſiana frequens apud Colchos impios & veneficos, qui male audiunt propter Medeæ ſuæ veneficia, & ſcelera. De illis dictum pag. 23. *Phaſianæ*. Avis ita dicta a Phaſiade Colchorum flumine.

17. *Plauſibus*. Alis plaudentibus columbaria perſtrepunt.

18. *Cereus*. Obæſus, pinguis: nam ex pinguedine exiſtit ille color pallidus. hinc libro IX. *Pallere* poſuit pro pingueſcere. *Palumbus*. Columba ſylveſtris.

19 *Villicæ*. Ferentis ſcilicet glandes, ſiliquas, &c.

20. *Plenam*. Lacte diſtenta ubera gerentem. *Expectat*. Domi concluſus in ovili.

21. *Laſſei*. Renidentes, lauti, pingues. De *Verna*, vide ſupra Ep. 1. & lib. 1. Ep. 36. *Serenum*. Igne claro collucentem.

22. *Ad Lares*. Ad focum. circa quem erant Larium ſimulacra, quibus erat ſacer focus. *Feſtos*. Lætos, & nitentes, ollis & cacabis quaſi coronatos. Vel, Deorum ſtatuis ornatos.

23. Caupo, qui prætereuntibus viatoribus vinum e villa collectum vendit, non feriatur, nec palæſtra inutili occupatur, ſed &c. In villis ruſticanis vulgo erat caupona, ubi vinum & obſonia præbebantur hoſpitibus. Cumque iſtæ cauponæ non adeo frequentarentur, ut in oppidis, caupo villæ Fauſtini fuiſſet otioſus, niſi aucupio, venatui, &c. operam dediſſet. *Albo*. Pallido: nam otioſi flaccido, & luteo ſunt colore.

24. *Palæſtrita*. Is eſt, qui in palæſtra exercetur. Eſt autem palæſtra locus deſtinatus luctationi, quæ παλη græce dicitur. Luctaturi autem oleo corpus ungebant, ne facile prenſari ab adverſario, aut dejici poſſent, hinc vocem illam explica *lubricus*, ſive etiam ut eſſent valentiores. Iſte igitur caupo non perdit oleum, quia oleo non utitur, nec, ut palæſtritæ, luctatur. Alluſit ad proverbium *oleum perdere*, ideſt, fruſtra aliquid facere. Non inutili paleſtra exercetur, ſed utili aucupio.

28. *Urbanos*. Cives qui ruſticandi cauſa in villam conveniunt, ſuaviter in horto exercentur, curſitant, ſpatiantur.

29. Et pueri heriles, qui ruſticantur in villa, licet eos pædagogus ſuus patiatur feriari, neque illis quidquam tunc laboris imponat, tamen ultro gerunt morem villico, præcipienti operis aliquid. Vel; malunt villico obedire, quam pædagogo.

Laſcivi. Petulantes, protervi.

30. *Capillati*. Pueri ingenui, & honeſtius culti, quibus longior, & decentius pexa coma: vel, impuberes; comas enim vulgo alebant uſque ad pubertatem.

31. Ipſi Eunuchi, otioſi in urbe, amant hic laborem: opus, ut ceteris, faciunt.

32. Non veniunt vicini ruſtici ad Fauſtinum viſendum honoris ergo, & ſalutandum ex alia villa, aut oppidulo, inanes & vacui, ſed afferunt mella flava cum ipſis favis, aut caſeos, &c.

34. *Metam*. Caſeos in metæ formam coactos, & coagulatos. Meta eſt figuræ rotundæ, oblongæ, & fundo lato in acutum, aut obtuſum deſinit. *Saſſinate*. Sarſina, aut Saſſina eſt oppidum Romandiolæ, ſive, ut olim vo-

ca-

cabant, Æmiliæ, nunc in ditione eſt Pontificia, ad caput Sapis fluvii, vocaturque etiam nunc *Sarſina*.

36. *Fœtum*. Hœdulum, capellæ fœtum.

37. *Coactos, &c.* Exſectos.

38. *Dona Matrum*. Ova.

40. *Facto opere*. Labore, & opere ruſtico abſoluto.

43. *Satur, &c.* Quia ſaturatus eſt dapum reliquiis quæ non ſervantur in craſtinum.

44. At tu, in tuo prædio ſuburbano eſuris cum tuis munditiis. Eſt quidem elegans tuum illud prædium, ſed nihil in eo naſcitur, quo placari fames poſſit.

45. *Meras*. Solas, non comitatas arboribus frugiferis.

46. *Priapo*. Erat Deus hortorum cuſtos: ſecurus ille a furibus erat in Baſſi rure, & prædio, quia nihil erat, quod auferretur.

47. *Urbano*. Quia nihil eſt in ſterili villa, unde vinitor alatur; itaque in eam ab urbe far apportandum. *Farre*. Frumento, cibo.

48. *Pistam*. Elegantem.

50. Villa tua, o Baſſe, an debet vocari prædium? an potius urbana domus, ſed longe ab urbe poſita, in quam omnia ex urbe magno incommodo ſint advehenda? Domus longe, *o'πo'ρ'ρ'ω o'νος*, domus procul ſita: urbana domus, ab urbe diſtans; nihil ab urbanis ædibus diſcrepans, niſi quod procul ab urbe ſit.

XLVI.

Cerdones, & fullones munerarii.

1. Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus:
2. Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabit?

Verſ. 1. *Bononia, & Mutina*, civitates Italiæ, *Bologna, Modena*. Utraque in Æmilia, Galliæ Togatæ parte. *Culta*. Elegans, ornata moribus, litteris, &c. *Munus*. Vide Ep. 12. huius Libri.

2. *Fullo*. Qui lavat veſtes, tingit, purgat, &c.

Dabit? An etiam dabit Romæ? ut nihil ad ignominiam noſtram deſit.

XLVII.

Cœna non æqua.

1. Cum vocer ad cœnam non jam venalis, ut ante,
2. Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?
3. Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino,
4. Sugitur inciſo mytilus ore mihi:
5. Sunt tibi boleti: fungos ego ſumo ſuillos:
6. Res tibi cum rhombo eſt; at mihi cum ſparulo:

7. Aureus immodicis turtur te clunibus implet,
8. Ponitur in cavea mortua pica mihi.
9. Cur ſine te cœno, cum tecum, Pontice, cœnem?
10. Sportula, quod non eſt, profit; edamus idem.

Verſ. 1. *Non jam venalis.* Non jam mercede conductus, ut olim ſub Nerone. Vide Ep. 24. hujus libri. De lacu Lucrino dixi Epig. 54. Lib. I.

4. *Mytilus*. Eſt vilis piſciculus *la tellina*, teſta incluſus, qua ſibi os incidi & ſecari queritur, Martialis, dum mytilus fugitur.

5. *Suillos*. Fungorum alii boleti dicuntur, qui optimi: alios deteriores, per contemptum, ſuillos vocat, id eſt, qui ſuibus immundis comedendi relinquuntur.

6. *Sparulo*. Vili piſciculo: qui fortaſſe nomen habet a ſparo, telo quodam agreſti, cujus forma imitatur. Rhobus eſt piſcis exquiſitus.

Aureus, Flavus, pallidus, qui color ex pinguedine naſcitur, ut dictum eſt Ep. 45. Vel; eximius, qui auro contra væneat. *Immodicis*. Pinguibus, obeſis.

9. *Sine te*. Siquidem non iiſdem cibis utor: *Tecum*: quia eidem accumbo menſæ.

10. Fac ut profit mihi quod ſublata eſt ſportula: eoſdem cibos edamus, ſiquidem cœna jam recta utimur. Vide Ep. 6. hujus Libri.

XLVIII.

Petitor improbus.

1. Eſſe nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna:
2. Si nil, Cinna, petis; nil tibi, Cinna, nego.

Verſ. 1. *Nihil*. Rem eſſe nullius momenti, rem nihil eſſe.

XLIX.

In emacem.

1. Centenis, quod emis pueros, & ſæpe ducenis:
2. Quod ſub rege Numa condita vina bibis:
3. Quod conſtat deciestibi non ſpatioſa ſuppellex,
4. Libra, quod argenti millia quinque rapit:
5. Aurea, quod fundi pretio carruca paratur,
6. Quod pluris mula eſt, quam domus, empta tibi:
7. Hæc animo credis magno te, Quincte, parare?
8. Falleris: hæc animus, Quincte, puſillus emit.

Verſ. 1. *Pueros*. Servos. Centena ſeſtertia valent libras Francicas 10000.

2. *Numa*. Fuit rex ſecundus

dus Rom. Significantur vina vetuſtiſſima. Hyperbole.

3. *Decies*. Subaudi centenis millibus ſeſtertium, id eſt, libris Francicis 100000. *Non ſpatioſa*. Quæ non multum occupet loci, quæ artificio carior, quam materia, & mole ſit.

4. Quod una libra argenti, nempe cælati, factique, ſive vas aliquod unius libræ millibus quinque ſeſtertiis id eſt, libris 500. conſtat. *Rapit*. Quia dum appenditur, trahit ad ſe, & rapit pondus oppoſitum, in trutina, ſeu ſtatera.

5. 6. Quod rheda inaurata, aureis ornamentis inſignis, tanto pretio tibi conſtet, quanto integrum prædium: quod mulam pretio majore, quam domum emeris.

6. *Puſillus*. Qui his nugis capiatur. Iſtis carere poſſe, magni animi eſt.

L.

Bellus homo.

1. Cotile, bellus homo es; dicunt hoc, Cotile multi:
2. Audio: ſed quid ſit, dic mihi, bellus homo.
3. Bellus homo eſt, flexos qui digerit ordine crines,
4. Balſama qui ſemper, cinnama ſemper olet:
5. Cantica, qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat;
6. Qui movet in varios brachia vulſa modos:
7. Inter femineas tota, qui luce cathedras
8. Deſidet, atque aliqua ſemper in aure ſonat:
9. Qui legit hinc illinc miſſas, ſcribitque tabellas;
10. Pallia vicini qui refugit cubiti:
11. Qui ſcit, quem quis amet; qui per convivia currit;
12. Hirpini veteres qui bene novit avos.
13. Quid narras? hoc eſt, hoc eſt homo, Cotile, bellus?
14. Res pertricoſa eſt, Cotile, bellus homo.

Verſ. 1. Iſta verba ſunt Cotili, qui a Martiale interrogatus ſuperiore diſticho, explicat, quid ſit bellus homo. Vide Ep. 30. Lib. II.

5. Qui Ægyptiorum, & Gaditanorum laſcivas cantilenas ſemper cantillat; quod factitabant molles, & effeminati. De Gadibus, dictum Epig. 36. lib. 1.

6. Qui ſaltat exertis in numerum, & jactatis mollibus brachiis. *Vulſa*. Vide Ep. 30. Libri 2.

8. Qui ſemper garrit alicui in aureum, ut gerrones, & rumuſculorum aucupes, atque architecti factitant.

9. *Tabellas*. Amatorias fortaſſe litteras, aut rerum novarum, ut fit, plenas.

10. Qui timet, ne quis, prope adſtans, ipſum tangat, ac veſtem ex arte complicatam confundat. Vide Epi-

gramma 35. Libri 2.

12. *Hirpini*. Erat equus famosus, qui plurimas in circo palmas retulerat: cujus genealogiam & stemma nescio qui male curiosi texebant.

13. *Quid narras?* Decem superiora carmina dixisse fingitur Cotilus & hominem bellum in illis definivisse. Respondet Martialis: Quid ais, hoccine tandem est homo bellus? certe est tes prætricosa, seu pertricosa, id est, tricarum & nugarum plena: næ, si ita est, homo bellus est merus nugator. Tricæ, apinæ, quid sint, vide Lib. 1. Ep. 94. Tricæ dicuntur etiam fila quædam & impedimenta pullorum gallinaceorum pedibus innascentia: unde illa vox pro leviculis negotiis usurpatur.

LI.

Dulcis facundia.

1. Sirenas, hilarem navigantium pœnam,
2. Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
3. Quas nemo quondam deserebat auditas,
4. Fallax Ulisses dicitur reliquisse:
5. Non miror; illud, Cassiane, mirarer;
6. Si fabulantem Canium reliquisset.

Vers. 1. Erant Sirenes, monstra quædam marina in freto Siculo, virginum specie ac vultu, piscium cauda, luporum voracitate; quæ suavitate cantus illectos vectores abducebant in scopulos, ac vorabant. Eas effugit prudens Ulysses obturatis cera sociorum auribus, seque ad navis malum alligari jusso.

6. *Fabulantem*. Suaviter ac nequiter garrientem; tam blanda & suavis est ejus facundia! Vide Epigram. 16. hujus Libri, & 53. 62. Libri 1.

LII.

In Antonium Ciceronis interfectorem.

1. Par scelus admisit Phariis Antonius armis;
2. Abscidit heu vultus ensis uterque sacros.
3. Illud, laurigeros ageres cum læta triumphos,
4. Hoc tibi, Roma, caput, cum loquereris, erat.
5. Antoni tamen est pejor, quam causa Pothini,
6. Hic facinus domino præstitit, ille sibi.

Vers. 1. Antonius admisit scelus simile illi, quod Ægyptii admiserunt, qui Pompejum interfecere. Quid sit Pharus, dictum est pag. 80.

2. *Uterque*. Ægyptiorum ensis

enſis & Antonii. *Vultus ſacros.* Pompeii & Tullii caput.

3. *Illud.* Pompeii caput. Tuum illud, o Roma, caput erat, cum triumphares. Pompejus de tribus orbis terræ partibus triumphavit.

4. *Hoc.* Ciceronis caput. Hoc caput, tuum erat caput, o Roma: Ciceronis ore loquebaris.

5. *Pothinis.* Ptolemæi ſatelles fuit, a quo percuſſus eſt Pompejus. Ita legendum hoc nomen Scriverius admonet: quia græce a Plutarcho ſcribitur, Ποθεινὸς, non φωτεινὸς.

6. Pothinus in gratiam domini ſcelus hoc admiſit: Antonius ut cupiditatem ulciſcendi ſuam expleret.

LIII.

In tardos nautas.

1. Ceſſatis pueri, nihilque moſtis,
2. Vatreno, Raſinaque pigriores:
3. Quorum per vada tarda navigantes,
4. Lentos figitis ad celeuſma remos.
5. Jam prono Phaethonte ſudat Æthon,
6. Exarſitque dies, & hora laſſos
7. Interjungit equos meridiana.
8. At vos tam placida vagi per undas
9. Tutæ luditis otium carinæ.
10. Non nautas puto vos, ſed Argonautas.

Verſ. 1. *Moſtis.* Pro, moviſtis: nihil dum promoviſtis. Legitur & *noſtis*, ideſt, imperiti eſtis in arte remigandi: remigare non noviſtis. *Vatrenos.* Vatrenus ſive Vaternus *Santerno*, amnis eſt in Padum influens ex agro Forojulienſi, Plinio teſte, Lib. 3. cap. 16. Itemque Raſina ſive Teſina, ut ſcribit Bernardinus Scordeonius, Lib. 1. Antiquitatum urbis Patavinæ. Porro hic agi de fluentis, ſeu rivulis ad Padum poſitis, & iis quidem, propter exiguitatem, tardioribus, clare indicat vox *quorum* in verſiculo ſequenti, quam ab Ramireſio mutatam temere in *Quorſum* non immerito queritur P. Scriverius.

4. *Celeuſma.* Eſt nautarum clamor, quo ſe accedunt ad remigandum κέλευσμα, hortatio, incitatio.

5. Jam ſole (qui etiam Phaethon dicitur) prono & meridiem prætergreſſo, dies calidior eſt, æſtus augeſcit.

Æthon. Unus e Solis equis.

7. Et hora meridiana jubet equos interjungi, abduci ab curribus, & aratris ad paſtum. Quid ſit *interjungere* explicui jam lib. 2. Ep. 5.

9. Abutimini otio in carina tuta: vel otium ac tempus male perditis, cum feſtinare citra periculum ac tuto poſſetis

ſetis: ludere otium dicitur, ut ludere operam; pro perdere.

10. *Argonautas*. Videtur laudare iſtos nautas, cum heroicum illis Argonautarum nomen imponit: verum ut ignavos eadem voce carpit. Quamvis enim priſci Argonautæ ſic appellati ſint ab Argo, navi decantata, quam conſcenderunt rapturi aureum vellus; eadem vox tamen, ſi componi fingatur ex ἀργὸς piger, & ναύτης, nauta, ſignificabit pigros nautas. De Argonautis vide Ep. 12. Libri 2. verſu 6.

LIV.

Paulinus, Palinurus.

1. Minxiſti currente ſemel, Pauline, carina:
2. Mejere vis iterum? jam Palinurus eris.

Verſ. 1. *Carina*. Cymba vel navi currente minxerat Paulinus, ne iterum id faciat Martialis monet, ne in aquam decidat, & ex Paulino fiat Palinurus. Significat Palinurus, ſi verba græca ſumas unde vox ea componitur, eum qui rurſum meit, πάλιν rurſus οὐρέω mejo. Dicit Martialis eum fore Palinurum, alio ſenſu, quam illo, quem iſtæ voces græcæ habent, videlicet non ideo tantum, quia iterum mejet, ſed quia Palinurum imitabitur, & in mare decidet, ut Palinurus Æneæ navis gubernator, qui oppreſſus ſomno in aquas cecidit, quemadmodum narrat Virgil. V. Æneid. verſ. 850.

LV.

Ira ficta.

1. Eſſe negas coctum leporem, poſciſque flagella:
2. Mavis, Rufe, coquum ſcindere, quam leporem.

Verſ. 1. *Flagella*. Ut coquum male mulctes. Vide Epig. undecimum.

2. *Leporem*. Quem convivis dividas. Non eſt, inquis, ſatis coctus, & edulis.

LVI.

In arrogantem, & ineptum.

1. Nunquam dicis ave, ſed reddis, Nevole, ſemper;
2. Quod prior & corvus dicere ſæpe ſolet.
3. Cur hoc expectes a me, rogo, Nævole, dicas?

4. Nam,

4. Nam, puto, nec melior, Nævole. nec prior es.
5. Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque,
6. Natorumque dedit jura paterna trium,
7. Ore legor multo, notumque per oppida nomen
8. Non expectato dat mihi fama rogo.
9. Est & in hoc aliquid; vidit me Roma tribunum;
10. Et sedeo, qua te suscitat Oceanus.
11. Quot mihi Cæsareo facti sunt munere cives:
12. Nec famulos totidem suspicor esse tibi:
13. Sed pulchre garris, sed cantas, Nævole, belle.
14. Jam, jam tu prior es, Nævole, vincis, Ave.

Vers 1. Expectas, dum te prior salutem, quasi esset alienum a tua dignitate prius compellare alios, & salutare.

2. Licet corvi ipsi voces humanas docti salutem dicant. Legunt aliqui, *Curius*. Licet Curius, vir nempe prisca, & insigni nobilitate, prior alios salutet.

3. *Hoc expectes*. Nempe ut te prior salvere jubeam.

4. *Prior*. Nobilior, insignior.

5. *Uterque*. Titus, & Domitianus.

6. *Natorum*. Lege postrema Epigrammata Libri 2.

8. Ante mortem: mihi viventi, nomen celebre, & clarum est. Ep. 2. Lib. 1.

9. *Tribunum*. Tribuni militares inter primos militiæ ductores censebantur; ita vocati sunt, quia e primis tribubus olim lecti fuerunt. Præerant toti legioni per vices; erant vulgo seni in unaquaque legione: jus dicebant militibus, signum dabant excubiis, &c. Præter illos veros, & legitimos tribunos, alii erant tribuni nomine tenus, & honoris ergo, qui licet nunquam vidissent castra, iisdem tamen atque veri tribuni, juribus ac privilegiis gaudebant, Principis beneficio. Talis Martialis noster fuit.

10. Et sum eques, sedeoque in sedilibus theatro prioribus, in ea parte, in qua si sedere audeas, jubebit te abire Oceanus, & loco cedere. Habuit Martialis equitis honorem, & nomen, ut alibi diximus, non census & genus. Equitum autem jus erat, ut sederent in primis, ac theatro proximis subselliorum ordinibus, qui erant illis attributi. Adi Librum V. Epig. 19. & 27. *Oceanus*. Nomen est viri, cujus tunc erat munus designare suum cuique locum in theatro, & ne quis alienum occuparet, providere.

11. Non puto tibi tot esse famulos, quot sunt homines, quibus ab Imperatore ejus civitatis impetravi: qui mihi debent hoc beneficium.

14. *Ave*. Salutare debeo te prior, istis præclaris artibus me superas: saluto igitur, & ave dico.

Cer-

LVII.

Cerdoni se excusat.

1. Irasci nostro non debes, cerdo, libello:
2. Ars tua, non vita, est carmine læsa meo:
3. Innocuos permitte sales; cur ludere nobis
4. Non liceat, licuit si jugulare tibi?

Vers. 2. *Carmine*. Supra 2 Epig. 13. & 46.
4. *Jugulare*. Gladiatores dando, qui se, tuo jussu, interemerint; edere munera, in quibus homines jugulentur.

LVIII.

Carmina delenda.

1. Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora,
2. Carmina quem madidum nostra tulisse refers;
3. Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat:
4. Non aliter mitti debuit iste liber.

Vers. 1. *Cursorem*. Tabellarium. *Sexta hora*. Meridiana: sexta post ortum solis.
2. *Madidum*. Pluvia.
3. *Ruebat*. Tantus erat imber, ut cœlum ruere velle videretur.
4. *Non aliter*. Dignus scilicet, qui aqua totus deleretur: sic modeste suum librum deprimit.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER QUARTUS.

EPIGRAMMA I.

De natali die Domitiani.

1. CÆSARIS alma dies, & luce ſacratior illa
2. Conſcia Dictæum qua tulit Ida Jovem,
3. Longa precor, Pylioque veni numeroſior ævo,
4. Semper & hoc vultu, vel meliore, nite.
5. Hic colat Albano Tritonida multus in auro,
6. Perque manus tantas plurima quercus eat:
7. Hic colat ingenti redeuntia ſæcula luſtro,
8. Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet.
9. Magna quidem, Superi, petimus; ſed debita terris:
10. Pro tanto quæ ſunt improba vota Deo?

Verſ. 1. *Dies*. Natalis Domitiani, qui incidebat in 9. Kal. Novembris.

2. Qua luce Ida mons Cretæ natum excepit Jovem.

Conſcia. Tegebatur Jupiter in Ida monte, & celabatur, ne Saturnus eum, ut reliquos liberos ſuos voraret; adeo ut ſola Ida hujus arcani eſſe conſcia videretur.

Dictæum. Cretenſem, in Creta editum. Dicte eſt mons Cretæ, inſulæ in mari mediterraneo, contra Ægeum mare, *Candia*.

3. *Longa*. Numeroſa; Utinam ſæpe redeas, & ſæpius quã ſuus Neſtori natalis dies.

4. Semper æque fauſta, aut etiam felicior præſente, redi. *Pylio*. Neſtoreo. Neſtor Pyli in Græcia rex, tres hominum ætates vixiſſe fertur.

5. Pergat Domitianus, ut hactenus fecit, colere Minervam in Albano, aurea corona redimitus. Albanum aurum vocat coronam, veſtes, aurea inſignia, quibus Domitianus indutus præſidebat ludis, qui edebantur in Albano. Erat autem Albanum, *Albano*, villa, ſive arx quædam, in Latio, ubi ſæpe Domitianus verſabatur.

Tritonida. Minervam, quam ſuperſtitioſe Domitianus coluit. Tritonia, vel Tritonis dicitur a Tritone fluviolo Boœtiæ, apud urbem Alalcomenas, ubi Minervam natam, eductamque ferunt. Hinc Homerus eam Alalcomeni-

menidem appellat. Festa Minervæ vocabantur Quinquatria; ea Domitianus celebrabat variis ludis scenicis, & certaminibus oratorum, & poetarum.

Multus. Frequens, crebro: vel, occupatus, & assiduus in illa re. Legitur in quibusdam codicibus *cultus* idest, ornatus.

6. Et per manus tanti Imperatoris quernæ coronæ plurimæ victoribus distribuantur. Domitianus instituit Jovi Capitolino quinquennale certamen triplex, musicum, equestre, gymnicum. Victores donabantur corona e quercu; hæc enim arbor Jovi sacra.

7. *Hic*. Idem Domitianus ludos sæculares iterum edat, & iis annos novo sæculo redeuntes ornet. Post evolutum sæculum Romæ solemnes ficbant ludi, qui sæculares vocabantur. Illi centesimo decimo quolibet anno celebrari solebant. Eos Augustus celebraverat anno ab U. C. 737. Claudius Imp. ab illo tertius, eosdem annis post 64. ediderat præter consuetudinem: quocirca illos irritos, ac nullos censeri Domitianus jussit, & ipse alios, numeratis post Augusti sæculares ludos annis fere 110. celebravit.

Lustro. Erat lustrum spatium annorum quinque: quo spatio ad putandos annos Romani utebantur, ut Græci Olympiade. Porro lustrum illud, in quod incidebant ludi sæculares, magnum lustrum vocabatur. Vide Horatium in carmine sæculari, Censorinum, cap. 5.

8. Et colat Ditis, ac Proserpinæ sacra celebrari solita in Terento, & a Romulo pridem instituta. *Terentus*. Erat locus in Campo Martio, de quo facta mentio Lib. 1. Ep. 60. in eo ara subterranea Ditis, & Proserpinæ, olim a Romanis in bello Albano constituta fuerat, & alta humo sic occultata, ut paucis nota esset. Terentus autem est appellatus, quia terebat, seu occultabat istam aram, vel quia Tiberinis aquis, ad cujus ripam erat, terebatur, & alluebatur.

10. *Improba*. Iniqua, nimia. *Deo*. Domitiano, qui se Deum appellari jubebat.

II.

Spectator candidus.

1. Spectabat modo solus inter omnes
2. Nigris munus Horatius lacernis,
3. Cum plebs, & minor ordo, maximusque
4. Sancto cum Duce candidus sederet.
5. Toto nix cecidit repente cœlo:
6. Albis spectat Horatius lacernis.

Vers. 1. *Spectabat*. Edebat ludos Domitianus, spectabant omnes, pro more induti candidis lacernis; solus nescio

neſcio quis Horatius, pullatus aderat; nix crebra decidit, adeo ut alba quoque Horatii lacerna appareret: ita coactus & ipſe eſt, quaſi divinius, adeſſe albatus.

3. Cum plebs, equites, & Senatores cum Imperatore eſſent candidati. *Minor ordo*. In tres ordines populus Romanus dividebatur, ſenatum, equeſtrem ordinem, & populum.

4. *Sancto*. Vel quia regum & Imperatorum nomen, majeſtaſq; ſancta eſt: vel quia, ut modo dixi, jubebat ſe Domitianus Deum vocari.

6. *Lacernis*. Lacernæ veſtes erant craſſiores, contra frigus, aut pluviam comparatæ, & imponi togis ſolitæ; primum quidem in caſtris; poſt etiam in urbe.

III.

De nivibus inter ſpectacula demiſſis.

1. Aſpice, quam denſum tacitarum vellus aquarum
2. Defluat in vultus Cæſaris, inque ſinus:
3. Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto
4. Concretas pigro frigore ridet aquas,
5. Sidus Hyperborei ſolitus laſſare Bootæ,
6. Et madidis Helicen diſſimulare comis.
7. Quis ſiccis laſcivit aquis, & ab æthere ludit?
8. Suſpicor has pueri Cæſaris eſſe nives.

Verſ. 1. Aſpice, quanta ſit nivis copia, quæ ſine ſtrepitu delabitur, lanæ ſimillima. Cum ludos Domitianus ederet, repente plurima nix demiſſa eſt, coorta ingenti tempeſtate: neminem permiſit e ſpectaculo abire, aut operire caput, aut quidquam in veſte mutare, qua ex re magna pars ſpectatorum in graves morbos incidit, imo extincta eſt.

3. Sub dio tamen perſtat, & non diſcedit. Jovem ningentem placide fert; ſic libro 1. Ep. 86. dixit: *Indulgent patientiam flagello*. Vel: indulget ſpectaculo in Jovis honorem edito.

4. Nives ridet. Nix eſt aqua frigore concreta, multo aere admiſto: unde calidior eſt, ac minus denſa.

5. Nec mirum: ſi quidem a teneris annis aſſuevit omnem cœli inclementiam perferre, & ſua patientia etiam fatigare frigidum Bootæ ſidus, ac vincere.

Bootæ. Bootes ſidus eſt ſeptentrionale, proxime poſitum poſt illud, quod Plauſtrum vocant, quaſi ſi plauſtrum, & boves agitaret, unde illi nomen. Βοώτης: *Bubulcus*. Hyperboreus porro dicitur tractus ille, qui Boreæ ſubjectus eſt, a voce græca ὑπὲρ ſub, ſuper & Βορέας, Boreas.

6. Et frigora, niveſq; plagæ ſeptentrionalis, quæ Helicæ, ſive Urſæ, eſt ſubjecta, nudo

nudo capite, ac madido excipere solitus, perinde ac si sensus expers foret.

Helicen. Fabulantur fuisse Helicen Jovis nutricem, quæ idcirco fuerit ab illo in cœlum ascita, & sideribus adscripta. Ursa major Helice vulgo appellatur, & nomen habet a verbo græco ἑλίσσω volvo, quia circa polum arcticum volvitur. Ursa minor vocatur Cynosura. De utraque jam diximus in Lib. Spect. Ep. 14.

7. Quis ille est, qui nives istas in Imperatorem, satis utique familiariter, & jocose, demittit? Omnino filius tuus est, &c. *Siccis aquis*. Ita nix appellari potest. *Lascivit*. Petulanter, & proterve ludit.

8. *Pueri*. Filius Domitiani paulo ante mortuus erat ac in Divos relatus. Extat hujus filii testis nummus, in cujus adversa parte, puer globo cœlesti, stellis cinctus, insidet, cum hac inscriptione. D. Cæsar Imp. Domitiani F. hoc est... *Divus Cæsar Imperatoris Domitiani filius*: in aversa parte, ejus mater Domitia Augusta uxor Domitiani, conspicitur.

IV.

In hominem fœtidum, & cimicem.

1. Quod siccæ redolet palus lacunæ,
2. Crudarum nebulæ, quod Albularum,
3. Piscinæ vetus aura, quod marinæ,
4. Lassi Bardiaeus, quod evocati,
5. Quod bis murice vellus inquinatum,
6. Quod jejunia Sabbatariorum,
7. Mœstorum quod anhelitus reorum,
8. Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
9. Quod ceromata fæce de Sabina,
10. Quod vulpis fuga, viperæ cubile.
11. Mallem, quam quod oles olere Bassa.

Vers. 1. Ordo est: mallem olere quod paludes siccæ, & fætentes lacunæ olent, quod olent Albulæ, &c. quam olere quod oles, o Bassa fædissime.

Lacunæ. Lacuna est fossa, sive cavus, aqua stagnante plenus: palus vero est fere plena luto, & cœno, unde gravis odor.

2. Quod olent vapores ex albulis crudis, & frigidis, educti. *Albularum*. Vide Ep. 13. Libri 1. Est Albula, sive Albulæ, fons calidus, & salutaris non procul Tibure, sulphureis aquis graveolens. Crudæ vocantur, eo quod aquæ ejusmodi referant gravitatem, ac veluti duritiem metallorum, & fossilium, æris, ferri, sulphuris, a quibus vim suam habent, &

per

per quæ, veluti per colum, transmittuntur.

3. Quod redolet vetus piscina, non fontana, vel fluvialis, sed marina. Aqua marina gravioris est odoris.

4. Quod Bardocucullus veterani, & seniculi militis. *Bardiacus*. Hanc vocem explicui Libro 1. Ep. 47.

Evocati. Sic dicebantur milites emeriti, qui difficillimis temporibus rogabantur iterum militare, & per litteras, vel nuncios evocabantur. Illi vulgo incompti & hirsuti, olidique erant, malo nempe, & labori assueti. Hinc lassi vocantur in hoc versiculo, nempe diuturna militia defatigati. Legit Turnebus *Lassi Bardaici* (sive Bardiaci) *os quod evocati* tam olidus es, quam fætet os & anhelitus Bardiaci militis evocati. Erant Bardi (de quibus incidit mentio in memorato Epig. 47. Lib. 1.) seu Bardæi, aut Berdiaci, Galli quidam; Galli autem, ut plurimum militabant.

5. Sæpius imbutæ purpura vestes olent graviter. Et purpura lotio etiam admisto inficiebatur.

6. Quod jejunantes Judæi. Eos *Sabbatarios* appellat, quia illorum festa sabbata dicebantur. Jejunantium autem halitus est gravior. Huc accedit, quod Judæi sæpe a scriptoribus fœtentes appellantur, quasi proprio gentis vitio.

7. *Reorum*. Cura, & angore animi, avocatur alio stomachi calor, unde minus coquuntur cibi; ex ea autem cruditate anima putris oritur; nihil autem homine reo tristius.

8. *Ledæ*. Anicula quædam indicatur putida, & retorrida. *Moriens*, recens extincta.

9. *Ceromata*. Ceroma genus unguinis, & adipis erat, quo utebantur athletæ, ex oleo, & cera confectum: crassum, & graveolens, præsertim si oleum esset deterius, ac fæculentum, quale Sabinum. Sabini Italiæ populi κηρὸς, cera: κήρωμα ceroma.

10. Quod vulpes fugiens canes sequentes. Tunc enim lotium pestilens dicitur emittere; cujus odore canes sæpe perculsi absistunt.

V.

Neglecta virtus.

1. Vir bonus, & pauper, linguaque, & pectore verus,
2. Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?
3. Qui nec leno potes, nec comissator haberi,
4. Nec pavidos tristi voce citare reos:
5. Vendere nec vanos circum palatia fumos:
6. Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro?
7. Unde miser vives, homo fidus, certus amicus?
8. Hoc nihil est, Nunquam sic Philomelus eris.

Vers. 3.

Verſ. 3. *Comiſſator*. Popino, helluo. *Haberi*. Eſſe, adhiberi.

4. Nec fungi præconis officio, ad reos citandos, vocandoſque in jus.

5. Nec tuam apud Principem gratiam vendere: vel, elegantes verſiculos, fictaſque fabulas narrando pecuniam ab aulicis colligere, Vel, quæſtum ex adulatione facere. *Fumos*. Alexander Severus Romanus Imperator, cum audiſſet aulicum adulatorem magnas opes collegiſſe, homines Principi, ut aulici factitant, commendando: eum lignis humidis, & fumo necari juſſit, pereat, inquit, fumo, qui fumos vendidit.

6. *Cano*. Canus erat inſignis tunc tibicen; Glaphyrus vero, citharœdus, ut Philomelus, ſive Philomuſus. Illæ autem artes hac tempeſtate magno erant in pretio.

8. Fides, amicitia, probitas, viliores alga ſunt, nihil ad rem faciendam juvant: iis artibus numquam evades ad eas opes, quas Philomelus ſua ſibi cithara peperit.

VI.

In diſſimulatorem nequitiæ.

1. Credi virgine caſtior pudica,
2. Et frontis teneræ cupis videri,
3. Cum ſis improbior, Maliſiane,
4. Quam qui compoſitos metro Tibulli
5. In Stellæ recitat domo libellos.

Verſ. 2. *Teneræ*. Impudentes, improbi, duræ frontis vulgo eſſe dicuntur. Modeſti vero, & caſti, teneræ quia facile erubeſcunt.

4. *Metro*. Carmine, ſtylo. *Tibulli*. Tibullus molli, & ſæpe obſcæno carmine uſus eſt: eodem, quo Ovidius, anno, nempe 711. ab urbe condita, eſt natus.

5. *Stellæ*. Erat ille poeta bonus, ac dives, qui recitantibus domum ſuam, pro more divitum, commodabat. Quis autem foret ille recitator, tacet; fortaſſe quia ſatis notus erat.

VII.

Quo tempore ſuos Cæſari libros offerri velit.

1. Prima ſalutantes, atque altera continet hora;
2. Exercet raucos tertia cauſidicos:
3. In quintam varios extendit Roma labores;
4. Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit:
5. Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris;

6. Im-

6. Imperat excelſos frangere nona toros.
7. Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum,
8. Temperat ambroſias cum tua cura dapes;
9. Et bonus ætherio laxatur nectare Cæſar,
10. Ingentique tenet pocula parca manu.
11. Tunc admitte jocos: greſſu timet ire licenti
12. Ad matutinum noſtra Thalia Jovem.

Verſ. 1. Hora diei prima (poſt ſolis nempe ortum) & ſecunda, deſtinatæ ſunt ſalutatoribus.

2. Hora tertia (ideſt, nona matutina, ut numeramus Galli) cauſæ aguntur in foro.

3. Uſque in ſextam, hoc eſt, duodecimam, laborant opifices, ita ut hora meridiana intermittant laborem minus robuſti, & opere jam fatigati; hora vero poſt meridiem prima, omnes ab eo quieſcant.

5. Ab octava ad nonam, nempe a ſecunda ſerotina ad tertiam, ſpatii temporiſq; ſatis eſt ad varias exercitationes, & palæſtram. Dictum de palæſtra libro III. Ep. 5. & alibi paſſim.

6. Hora nona menſæ accumbitur, & lecti, ſive tori diſturbantur. Hæc apud nos eſt tertia ſerotina.

7. 8. Cum Cæſar, quaſi Deus, nectare, & ambroſia veſcitur, tunc opportunum eſt tempus illi meos libros offerendi. *Temperat.* Erat ille Eupheme pincerna Domitiani, aut menſæ ſtructor, aut ciborum ſector. *Ambroſias.* Ambroſia Deorum cibus eſt, ut nectar illorum potio ὠμβροσίος, immortalis, divinus, quia mortalibus nefas eo cibo veſci.

9. *Laxatur.* Recreatur, curis negotiorum ſolvitur.

10. *Parca.* Nempe ſobrius ac temperans.

11. Tunc intromitte meos libellos: nam mihi religio eſſet eos, ut ſunt liberiores & jocoſiores, maturino tempore offerre Domitiano legendos, quippe tunc feriis rebus occupato. Jovem illum hic, ut alias ſæpius, appellat. *Thalia.* Una e Muſis, jocoſa, & ludicra. Θαλλω *floreo, lætor.*

VIII.

Suos amico libros mittit.

1. Dū novus eſt neq; adhuc raſa mihi fronte libellus,
2. Pagina dum tangi non bene ſicca timet;
3. I puer, & charo perfer leve munus amico,
4. Qui meruit nugas primus habere meas.
5. Curre, ſed inſtructus; comitetur Punica librum
6. Spongia: muneribus convenit illa meis.
7. Non poſſunt noſtros multæ, Fauſtine, lituræ
8. Emendare jocos: una litura poteſt.

Verſ. 1.

Verſ. 1. *Raſa*. Vide lib. 1. Ep. 58. ibi de fronte libri, pumice, &c. fuſe diſſeruimus.

2. *Sicca*. Ob recens minium, & pigmenta, quibus ornabant libros.

5. *Inſtructus*. Noli omittere egregium inſtrumentum, rem valde neceſſariam, nempe ſpongiam. Punicam vocat, quia ſpongiæ præſtantes afferebantur ex Africa.

7. Opus eſſet lituris minium multis, ut emendarentur mea epigrammata: deleri penitus cuncta præſtat.

8. *Una*. Si uno ductu totus liber deleatur. Aliquando in membranis ita ſcribebant aliquo pigmento, & liquido colore, ut delebiles eſſent characteres, quos uda ſpongia delebant. Vulgo tabulis cera obductis utebantur ad ſcribendum, in quibus, graphio, ſeu ſtilo ferreo, cujus pars ima erat acuta, ſumma vero, plana, & lata, quaſi incidebāt litterulas, & imprimebant molli ceræ: eaſdem vero delebant, ceram complanando ſuprema graphii parte.

IX.

In Antonium Saturninum.

1. Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes,
2. Et Saturnium te miſer eſſe pudet:
3. Impia Parrhaſia moviſti bella ſub urſa,
4. Qualia qui Phariæ conjugis arma tulit.
5. Excideratne adeo fatum tibi nominis hujus,
6. Obruit Actiaci quod gravis ira freti?
7. An tibi permiſit Rhenus, quod non dedit illi
8. Nilus, & Arctois plus licuiſſet aquis?
9. Ille etiam noſtris Antonius occidit armis,
10. Qui tibi collatus, perfide, Cæſar erat.

Verſ. 1. Dum Antonii nomine, quod geris, clarus, ſperas te M. Antonio Triumviro ſimilem fore, teque pudet nihil niſi Saturninum eſſe. Saturninus quidam, de quo agit in 2. verſu, & cujus nomen gerebat cum Antonii nomine is, quem hoc epigrammate inſectatur vates, fuerat obſcurus homo, & perduellis: nolebat igitur illi ſimilis eſſe iſte L. Antonius Saturninus, ſed magis Antonii nomen, & fortunam ambiebat.

2. *Saturninum*. L. Apuleius Saturninus, tribunus plebis, rerum novarum cupidus, ſeditione concitata, interfectus eſt circa annum ab U. C. 645.

3. *Impiæ*, *&c.* L. Antonius Saturninus, cum eſſet ſuperioris Germaniæ præſes, bellum civile movit in Domitianum, perractis in ſuas partes barbaris: qui cum per conſtrictum glacie Rhenum in ejus caſtra tranſire jam pararent, ſeque illius copiis adjungere, ſolutis repente nivi-

nivibus, & glacie Rhenus transitum illis intercluſit: ipſe Saturninus captus, & interfectus eſt. *Suburſa*. In Germania, quæ eſt plaga Septentrionalis. Urſa ſignum Septentrionale, de quo ſupra Epig. 3. Parrhaſia dicitur, quia poetæ fabulantur Calliſtonem Licaonis Arcadis filiam in urſam minorem fuiſſe mutatam: Arcadia autem, Græciæ pars in media Peloponneſo, dicta quoque eſt Parrhaſia, a Parrhaſo Lycaonis filio.

4. Quomodo Antonius in gratiam Cleopatræ Ægyptiæ, bellum civile movit. De voce Pharius dictum Libro I. Epig. 73.

5. 6. An oblitus eras, quam triſti fato is, qui gerebat hoc nomen, nempe Antonius Triūvir, perierit? Quem Auguſtus hoſtis Actiaco bello victum fugere compulit in Ægyptum, & ſibi necem conſciſcere. *Actiaci*. Actium Epiri urbs, & promontorium *Capo Figalo*, ad os ſinus Ambracii. Ibi Cæſar Auguſtus Antonium, & Cleopatram vicit. Hinc Actius, Actiacus, nomina gentilia.

7. Si Ægyptus ditiſſima provincia non potuit Antonium tutari, quo pacto Germania tibi contra Domitianum pugnanti auxilio eſſe potuit?

8. *Arctoris*. Septentrionalibus, incultis, barbaris, Urſæ, quæ Ἄρκτος græce dicitur, ſubjectis. *Aquis*. Nilo, qui cum freto Actiaco comparandus non eſt.

10. Qui tecum comparatus Cæſar dici poterat, qui tantum ſe ſuperavit, quantum Auguſtus ipſe Antonium.

X.

Epithalamium.

1. Claudia, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti
2. Macte eſto tædis, o Hymenæe, tuis.
3. Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo;
4. Maſſica Theſeis tam bene vina favis.
5. Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi;
6. Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
7. Candida perpetuo reſide Concordia lecto,
8. Tamque pari ſemper ſit Venus æqua jugo.
9. Diligat illa ſenem quondam: ſed & ipſa marito,
10. Tunc quoque cum fuerit, non videatur anus.

Verſ. 1. *Peregrina*. Eſt hic nomen proprium. Claudia Peregrina vocabatur.

2. Felix, & bonus adſis, o Hymenæe, cum tuis tædis, gratulor tibi, ob iſtas nuptias, a te conciliatas.

Macte. Ea vox nihil aliud quam felicem apprecationem, & hortationem ſonat. Olim dicebatur mactus, macta, mactum, per ſyncopen,

pro magis auctus, ideſt, nova cujuſdam rei acceſſione, præſertim honoris, cumulatus: unde quando ſuperis doni quidpiam offerebant, conceptis utebantur his voculis: *Macte æſto, his*, v. g. *floribus, o Apollo*: ideſt, colo te & veneror his floribus: qua in locutione vocativus *macte* pro nominativo uſurpatur, ut ſæpe factitant Latini. Interdum adverbii more ponitur Liv. Lib. 2.

Juberem macte virtute eſſe.

Tædis. Cum illis pingitur Hymenæus.

3. *Tam bene.* Quam Rufus & Claudia *Cinnama.* Cinnamum eſt odoratus frutex, ſive unguentum ex ejus ſucco factum. Arbuſcula eſt eadem atque cinnamomum: naſcitur in Æthyopia; quidã id eſſe putant, quod vocamus Galli, *de la canelle*. Nardus quoque frutex odoratus.

4. *Theſeis.* Atticis: Theſeus rex Athenienſium fuit. Mel in Attica excellens erat, de Maſſico vino dictum Lib. 1. Epig. 25. *Vinæ.* Vinum admiſtum melli, mulſum appellatur, *ὑδρόμελι*. *Favis.* Lege Lib. 1. Ep. 38.

6. *Lotos.* Lotus arbor eſt, aquis gaudens: ejus fructus dulciſſimus, adeo ut Homerus dicat ſocios Ulyſſis, eo guſtato, noluiſſe in patriam redire; hinc proverbium, *lotum guſtavit.*

8. Et faveat Venus, propitia ſit, illi jugo, ideſt, connubio, quod tam æquales ſociat. Ubi par pari jungitur, felix & ſtabile conjugium eſt.

10. *Non videatur anus.* Forma per ſenium amiſſa, non amittat viri amorem: viro, vel anus, placeat; non ſpernatur ut deformis, & vetula.

XI.

Silio Italico ſuos libros mittit.

1. Sili Caſtalidum decus ſororum,
2. Qui perjuria barbari furoris
3. Ingenti premis ore, perfidoſque
4. Aſtus Hannibalis, leveſque Pœnos
5. Magnis cedere cogis Africanis:
6. Paullum ſepoſita ſeveritate,
7. Dum blanda vagus alea December
8. Incertis ſonat hinc, & hinc fritillis,
9. Et ludit popa nequiore talo;
10. Noſtris otia commoda Camœnis.
11. Nec torva lege fronte, ſed remiſſa
12. Laſcivis madidos jocis libellos.
13. Sic forſan tener auſus eſt Catullus
14. Magno mittere paſſerem Maroni.

Verſ.

Vers. 1. *Sili*. Silius Italicus poeta, stylum Virgilii adamavit, & quantum fas est, expressit: scripsit metro bellum Punicum secundum: fuit idem Consul postremo Neronis anno, ac subinde Asiæ Proconsul. Ejus patria fuit Corsinium, Pelignorum in Italia, civitas, quæ etiam Italica dicta est: vel, ut malunt alii, Italica, urbs Bœticæ. Hinc illi cognomen Italici. Lege Plinii epist. 7. l. 3. in qua Silius belle describitur. *Castalidum*. Musarum. Castalius fons est ad radices Parnassi montis.

2. Qui Hannibalem, & Pœnos perjuros ac barbaros ingenti ore, ideſt, heroico carmine, canis & exagitas.

Perjuria. Pœni perfidi vulgo habiti sunt, ac fœdifragi.

5. *Africanis*. Scipionibus, quorum alter, major Africanus dictus, Annibalem ex Italia pulsum in Africam redire compulit, & Pœnos victos tributo multavit: alter, minor Africanus dictus, sive Æmilianus, quia Pauli Æmilii filius cum esset, adoptatus fuerat a filio majoris Africani, Carthaginem delevit. Vide l. 2. ep. 2.

7. Dum cives Saturnalibus licentiores & vagi discurrunt, aleaque ludunt. *December*. Quo mense Saturnalia celebrabantur.

Fritillis. Sunt turriculæ corneæ aut eburneæ, in quas tesseræ conjiciuntur, ne quis eas componat ac fraudem faciat: incertos appellat, quia jactum incertum reddunt. Nefas autem erat alea ludere, præterquam Saturnalibus. Est alea proprie ludus omnis, in quo plus est loci fortunæ, quam prudentiæ: usurpatur sæpe pro talorum ludo, seu tesserarum.

9. *Et ludit popa, &c.* Popæ erant sacrificuli, seu sacrorum in cædendis victimis administri, vulgo vafri homines & nequam. Illi igitur per eos dies talis ludunt, sed compositis per dolum. Ea lectio est Scriverii, Gruteri, &c. ex Palatino Codice. Miror placere Radero, & multis aliis aliam lectionem: *Et ludit rota nequiore talo*. Eam tamen explicabo: Per totam intelligit Ramiresius circulum, & coronam aleatorum in orbem assidentium & ludentium. Raderus vero ipsum fritillum in quo rotatim, & circulatim tali convolvuntur. Brodæus legendum esse, *tropa* non *rota*, conjectat e loco Pollucis Lib IX. Ludi genus, inquit Pollux, quæ Tropa dicitur, vulgo fit, talis immissis in scrobem ad eos commode excipiendos comparatam.

Nequiore. Dolose compositio.

10. Aliquid otii tui tribue legendis meis versiculis.

12. *Madidos*. Tinctos jocis liberioribus, & salibus.

13. Sic carmen suum de passere (vide Lib. I. Epig. 8.) Catullus fortasse misit Virgilio ut ego meos tibi: (qui alter Virgilius es) libellos.

XII.

In ſtolidum petitorem.

1. Mille tibi nummos heſterna nocte roganti
2. In ſex aut ſeptem, Cæciliane, dies,
3. Non habeo, dixi: ſed tu cauſatus amici
4. Adventum, lancem, paucaque vaſa rogas:
5. Stultus es? an ſtultum me credis, amice; negavi
6. Mille tibi nummos, millia quinque dabo?

Verſ. 1. *Mille nummos.* Mille nummi ſeſtertii reſpondent libris Turonenſibus centum.

3. *Cauſatus.* Cauſam petendi vaſa & lances afferens eam, quod amicus ad te veniret.

5. An deſipis, an me deſipere putas?

6. *Millia* 5. Subaudi, ſeſtertiorum minorum: libræ ſunt Francicæ 500. Sententia eſt, num tibi commodabo vaſa, quæ valent 5000. ſeſtertios, cum tibi mille ſeſtertios dare mutuos noluerim?

XIII.

Puer ſtillicidio peremptus.

1. Qua vicina pluit Vipſanis porta columnis,
2. Et madet aſſiduo lubricus imbre lapis:
3. In jugulum pueri, qui roſcida tecta ſubibat,
4. Decidit hiberno prægravis unda gelu.
5. Cumque peregiſſet miſeri crudelia fata,
6. Tabuit in calido vulnere mucro tener.
7. Quid non ſæva ſibi voluit Fortuna licere?
8. Aut ubi mors non eſt, ſi jugulatis aquæ?

Verſ. 1. *Vipſanis.* Conſule Lib. 1. Ep. 86. Item pag. 91.

3. *Tecta.* Portam & fornicem. Legunt quidam *templa*, quo etiam nomine majora quælibet ædificia vocantur.

3. Cum glacies acuta puerum occidiſſet.

6. Stillicidium acutum inſtar mucronis, & glacies, in pueri vulnere & calido ſanguine intepuit, ac ſoluta eſt.

7. An mortis ullum genus eſt, quod Fortuna hominibus inferre pro arbitrio non poſſit?

8. *Si jugulatis aquæ.* Nam aquæ vulgo mergunt ac ſuffocant, non, inſtar ferri, fodiunt ac jugulant.

Laus

XIV.

Laus endromidis.

1. Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
2. Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet,
3. Sordida, ſed gelido non aſpernanda Decembri
4. Dona, peregrinam mittimus endromida.
5. Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
6. Sive harpaſta manu pulverulenta rapis;
7. Plumea ſeu laxi partiris pondera follis;
8. Sive levem curſu vincere quæris Atham;
9. Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
10. Neve gravis ſubita te premat Iris aqua:
11. Ridebis ventos hoc munere tectus, & imbres;
12. Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Verſ. 1. 2. 3. Mittimus tibi muneri hanc endromidem, quæ eſt alumna, ideſt, opus contextum a muliere Sequanica, & quæ græcum habet nomen ac barbara veſtis eſt ac peregrina, nempe a Græcis inventa: ſordidum quidem & parum lautum munus, ſed hyeme non contemnendum. *Sequanicæ*. Sequani populi ſunt Galliæ ad Sequanæ fluvii fontes, nunc Burgundiæ Comitatus, *la Franche Comté*.

2. *Lacedemonium* Lacedæmon, ſeu Sparta, urbs olim Peloponneſi celebertimà, nunc oppidulum eſt, *Miſitra* nuncupatum. *Barbara*. Vide Lib. Spectac. Ep. 1.

4. *Endromidæ* Pro, endromidem, græca inflexione. Endromis autem dicitur a voce ἔνδρομος, curſus, curriculum, quia utebantur Græci ea veſte ἐνδρομῶ, in curſu & ſtadio. Sordida dicitur, quia erat hirſuta, & longioris, craſſioriſque villi.

5. Seu te lucta & paleſtra exercet, teriſque & conficis ex oleo, cera, & pulvere ceroma, quo te ungas; ſeu pila trigonali ludis, aut harpaſtis. *Ceroma*. Vide Ep. 4. hujus Libri. Lentum vocatur, ideſt, pingue, viſcoſum. *Teris*: corpori affricas terendo, & linendo.

Trigona. Pila trigon, vel trigonalis, a trigono, ideſt, triangulo, nomen invenit, non quod eſſet figura triangulari, ſed quod hanc haberet figuram quidam locus in thermis, ad hujuſmodi pilæ luſum ædificatus, qui Trigon etiam dicebatur, & ut per hyemem calore modico tepidus eſſet, curabatur: ne exuti ad ludendum homines facile poſt ludum perfrigeſcerent: hinc tepidum trigonem vates appellat. Erat hæc pila omnium minima & duriſſima, ſtipato & denſo pilo, (unde pi-

læ nomen) farta : utraque manu impellebatur, & excipiebatur ; prima & ſumma cautio erat, ne terram contingeret, ſed ut adhuc volans geminaretur.

6. *Harpaſta*. Erat harpaſtum, pila major paulo, quam trigon ; panno conciſo, lana vel tomento implebatur, nec repercutiebatur, ſed eam alii aliis conabantur eripere, & ad ſuas transferre partes : tum, ſicubi decideret, accurrentes catervatim humi ſe invicem proſternebant, pulvere, & ſudore, infecti : nomen habet ab ἁρπάζω, rapio. Tertii generis pila, vocabatur paganica quod ea fere in pagis uterentur. Erat major trigone, mollior harpaſto, nam pluma farciebatur. Quartum genus erat follis : pila videlicet corio tecta, & vento diſtenta : follis enim apud veteres idem erat, ac pellis. Hæc porro pila cæteris erat levior, eamque ob cauſam plumea vocatur ſeptimo in verſu ; eadem lenius fertur ; magis reſilit, ac tardius deſcendit, unde ſenibus, & pueris commodior : pugno redditur, non palma, unde pugillatoria interdum appellatur.

7. *Seu follem non ponderoſum dividis inter te, & colluſores, eum impellendo per vices.*

8. *Atham*. Curſor erat egregius. *Iris*. Cæleſtis arcus ; pluviæ omen, ac nuncius.

12. *Sindone*. Linteo, veſte linea : primum facta ejuſmodi veſtis fuit Sidone, in urbe Phœniciæ, prope Tyrum, unde nomen invenit. Quamvis ſindon ſit endromide pretioſior, & elegantior ; utilior tamen non erit.

XV.

Anus, & puella.

1. Dicit ſe vetulam cum ſit Cærelia pupa :
2. Pupam ſe dicit Gellia, cum ſit anus.
3. Ferre nec hanc poſſis ; poſſis, Coline, nec illam ;
4. Altera ridicula eſt, altera putidula.

Verſ. 1. *Pupa*. Puella, adoleſcentula : Cærelia igitur anilem gravitatem affectabat, præter morem, & ætatem. Gellia contra, puella videri volebat, ac tenera. Ridicula eſt Cærelia cum ſua illa gravitate : Gellia inepte delicata, cum iſta ſua concinnitate.

XVI.

Improbi cur felices.

1. Nullos eſſe Deos, inane cœlum,
2. Affirmat Selius ; probatque ; quod ſe
3. Factum, dum negat hæc, videt beatum.

Verſ. 3.

Verſ. 3. *Hæc.* Dum Deos eſſe & providentiam negat: dum ſe, licet impium, felicem videt eſſe factum. Atqui hæc improborum beatitas, aut exigua eſt, ac mercedis loco nonnullis ipſorum bene factis a juſto Deo, ut exponit Auguſtinus, rependitur, aut falſa eſt, quia ipſorum exitii ſempiterni occaſio eſt certiſſima; atque adeo miſeria potius, & pœna dicenda, quam felicitas.

XVII.

Laus Brutiani poetæ.

1. Dum tu lenta nimis, diuque quæris,
2. Quis primus tibi, quiſve ſit ſecundus;
3. Grajum quiſve epigramma comparabit;
4. Palmam Callimachus, Thalia, de ſe
5. Facundo dedit ipſe Brutiano.
6. Qui ſi Cecropio ſatur lepore,
7. Romanæ ſale luſerit Minervæ,
8. Illi me facias, precor, ſecundum.

Verſ. 1. Ordo verſuum eſt. O Thalia (Muſarum una, de qua Ep. 7.) Dum tu deliberas, & quæris poetam aliquem, cui primas tribuere, vel ſaltem ſecundas poſſis in epigrammate condendo; interim Callimachus poeta græcus Brutiano primas ipſe ultro conceſſit, eumque ſibi ipſi prætulit. Qui Brutianus ſi ab epigrammatis græcis, ad latina condenda ſe contulerit, etiam in illis primus erit, nec ego invidebo; rogabo tantum hoc, ut ab illo ſecundus ſim.

3. Quiſve optime componet Græca epigrammata. Vel; quis ſua epigrammata comparare poterit cum Epigrammatis Græcorum vatum? quis par erit Callimacho Græci epigrammatis principi? Fuit ille patria Cyrenæus in Ægypto: floruit Olympiade cxxv.

Brutiano. Luſtricus Brutianus, ingenio, probitate & rerum geſtarum gloria clarus fuit. *Cecropio.* Attico, græco. Cecrops fuit rex Athenienſium primus.

XVIII.

Mortem uxori imprecatur.

1. Omnes, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
2. Extulit: uxori fiat amica meæ.

Verſ. 2. *Extulit.* Nempe ad rogum; veneno ſuſtulit; aut fato mortuas habuit.

XIX.

Laus Altini ſoli.

1. Æmula Bajanis Altini littora villis,
2. Et Phaethontei conſcia ſylva rogi,
3. Quæq; Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
4. Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus;
5. Et tu Ledæo felix Aquileja Timavo,
6. Hic ubi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas;
7. Vos eritis noſtræ portus, requieſque ſenectæ,
8. Si juris fuerint otia noſtra ſui.

Verſ. 1. O vos Altini littora, quæ nihil ceditis Bajanis littoribus villarum amœnarum plenis. *Altini*. Eſt Altinum, *Altino*, Italiæ oppidum, ab Hunnis, & Attila everſum atque incenſum, nunc in ditione Veneta, inter Patavium, & Concordiam.

2. Et ſylva, quæ Phaethontem e cœlo ruentem, & fulmine combuſtum excepit.

3. Et Dryas pulcherrima, ſ ideſt, ſylva; nam Deæ ſilvarum præſides, Dryades dicuntur a voce græca δρῦς, quercus) quæ prope lacus Euganeos una nupſit Fauno Antenoreo, ideſt, patavino. Sententia eſt: & ſylva juncta agro Patavino. Faunus Deus agrorum, pro ipſis agris ponitur. *Antenoreo*. Antenor Troianus Patavium condidit. Virg. 1. Æneid.

4. *Euganeos*. Euganei, populi fuere Galliæ Tranſpadanæ, in Italia, in Veneta nunc ditione, quorum regio dicitur *Marca Trevi-ſana*, vel, *Trevigiana*. Quidam eos collocant inter lacus Larium, & Benacum: alii verſus Atheſim & Vicentiam.

5. Et tu, o Aquileja, (urbs olim clariſſima, nunc viculus, *Aquileja*, ab Hunnis vaſtata anno 452.) felix & dives, ob viciniam Timavi fluvii, qui ſeptenis oſtiis in mare devolvitur, & cujus aquas hauſit Cyllarus equus Caſtoris, cum eo Caſtor veniſſet una cum ceteris Argonautis.

Timavo. Timavus, *Timavo*, fluvius eſt Carnorum, in Italia novem ſontibus erumpens e monte: quibus prope mare confluentibus, ipſe in ſinum Hadriaticum devolvitur, ejus oſtia ſcindunt aliquot exiguæ inſulæ; hinc per ora ſeptem, aut novem in mare fluere dicitur. Ledæus in hoc loco appellatur propter Caſtorem Ledæ filium, qui ea loca nobilitavit: de quo lege plura Epig. 24. lib. Spect. & Ep. lib. 1.

8. Si meo arbitrio curas, & vitam potero componere: ſi penes me erit optio loci, in quo ſenectutem otioſam degam.

In

XX.

In avarum patronum.

1. Quod te mane domi toto non vidimus anno,
2. Vis dicam, quantum, Posthume, perdiderim?
3. Tricenos, puto, bis, vicenos ter, puto, nummos.
4. Ignoscas; togulam, Posthume, pluris emo.

Vers. 1. Quod te per annum totum non salutavi mane, ut alii clientes.

3. *Tricenos nummos*. Triginta sestertios. Tres libræ sunt Francicæ, ut loquimur.

4. *Pluris emo*. Atque adeo plus damni facio, tuam domum ventitando, & deterendo consumendoq; meam togulam, quam lucri, te conveniendo.

XXI.

Invidi supplicium.

1. Sæpe meos laudare soles, Auguste, libellos:
2. Invidus, ecce, negat: num minus ergo soles?
3. Quid quod honorato non sola voce dedisti
4. Non alius poterat, quæ dare dona mihi.
5. Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues;
6. Da, Cæsar, tanto tu magis, ut doleat.

Vers. 1. *Auguste*. Domitiane.

2. *Negas*. Meos videlicet libellos tantopere laudandos esse. *Num minus*, &c. An ideo, quod meos libellos deprimit invidus, tu eos parcius laudas?

3. 4. Adde quod mihi tua augusta voce laudato, & honorato, præter laudes, & verba, munera etiam dedisti, qualia præter Cæsarem dare nemo poterat. *Dona*. Tribunatum, equestrem locum, jus trium liberorum, &c. Lege Lib. 2. Epigr. 66. 67. & Lib. 3. Epigramm. 56.

6. Auge tua, Cæsar, in me beneficia, ut dolorem quo dignus est, augeas.

XXII.

Multitudinem epigrammatum excusat.

1. Obstat, chare Pudens, nostris sua turba libellis;
2. Lectoremque frequens lassat, & implet opus.
3. Rara juvant, primis sic major gratia pomis;

4. Hibernæ pretium ſic meruere roſæ.
5. Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
6. Quam levis in tota Marſus Amazonide.
7. Tu quoque de noſtris releges quemcũque libellis,
8. Eſſe puta ſolum: ſic tibi pluris erit.

Verſ. 1. 2. Multitudo & turba meorum librorum ipſis nocet, quia faſtidium affert: nimis crebra carmina laſſant, ac ſatiant lectorem.

3. In pretio & amore ſunt res raræ.

5. *Perſius*. Sex tantum ſatyras at elegantiſſime ſcripſit: adeo ut inter Satyricos poetas primus a nonnullis, nec immerito fortaſſe cenſeatur. Hunc interpretatione perpetua, notiſque breviſſimis illuſtravimus. *Marſus*. Hunc alibi laudat: Poema heroicum de Amazonibus ſcripſerat non optimum.

8. Sic eum majori habebis in pretio: pluris a te fiet.

XXIII.

Piſcina Cæſaris.

1. Bajano procul a lacu monemus
2. Piſcator fuge, ne nocens recedas.
3. Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
4. Qui norunt dominum, manumque lambunt
5. Illam, qua nihil eſt in orbe majus.
6. Quid quod nomen habent, & ad Magiſtri
7. Vocem quiſque ſui venit citatus.
8. Hoc quondam Libys improbus profundo,
9. Dum prædam calamo tremente ducit,
10. Raptis luminibus repente cęcus
11. Captum non potuit videre piſcem:
12. Et nunc ſacrilegos peroſus hamos,
13. Bajanos ſedet ad lacus rogator.
14. At tu, dum potes, innocens recede
15. Jactis ſimplicibus cibis in undas,
16. Et piſces venerare dedicatos.

Verſ. 1. *Bajano*. De Bajis dictum Epig. 51. Lib. 1.

2. *Nocens*. Impius, ſacrilegus, violatis nempe ſacris piſcibus.

5. *Illam, quæ &c.* Imperatoris Domitiani.

6. *Magiſtri*. Sic eum appellat, qui piſcinæ curam habebat, vel ipſum Domitianum.

8. *Libys*. Afer: piſcator ex Africa. *Hoc profundo*. Hoc mari, Bajano lacu.

9. *Calamo*. Linea piſcatoria. *Peroſus*, Deteſtans.

13. *Ro-*

13. *Rogator*, Mendicus.
15. *Simplicibus*. Non dolosis, qualibus hami instruuntur.
16. *Dedicatos*. Dicatos. Imperatori, & sacros.

XXIV.

In Hippodami nomen.

1. Quod cupis in nostris dicique, legique libellis
2. Et nonnullus honos creditur esse tibi:
3. Ne valeam, si non res est gratissima nobis,
4. Et volo te chartis inseruisse meis:
5. Sed tu nomen habes aversо fonte sororum
6. Impositum, mater quod tibi dura dedit:
7. Quod nec Melpomene, quod nec Polyhymnia possit,
8. Nec pia cum Phœbo dicere Calliope.
9. Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adopta;
10. Non semper belle dicitur Hippodamus.

V. 5. Habes nomen iratis, aversisq; Musis tibi datum. Fons Musis sacer (aut Helicon de quo vide p. 74. aut Permessus, de quo ibid. dictum) pro ipsis Musis, & arte poetica ponitur.
7. *Melpomene*. Una e Musis: elegiaco præest carmini: Polyhymnia, lyrico: Calliope, heroico.
9. *Adopta*. Assume, adsciſce.
10. *Hyppodamus*. Aurigam sonat, & agitatorem equorum: quod munus mancipiorum est; atque adeo nomen hoc parum bellum, & honestum est.

XXV.

Apis electro inclusa.

1. Et latet, & lucet Phaethontide condita gutta,
2. Ut videatur apis nectare clausa suo:
3. Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.
4. Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Vers. 1. *Phaethontide gutta*. Electro. Phaethontides. id est, sorores Phaethontis, cum eum lugerent extinctum, mutatæ sunt in arbores, e quibus defluit electrum quod earum lacryma vocatur a poetis, Ovid. 2. Met. est autem electrum visci genus, pretiosum, pellucidum, flavum, & spissum.
2. Adeo ut suo melle inclusa videatur: est enim electri flavus color.
3. *Laborum*. Quos ponit in melle condendo. Pretium autem illud est sepulcrum tam nobile.
4. *Voluisse*. Ut nempe in electro sepeliretur.

XXVI.

Ad poetam, ut libros ſuos edat.

1. Plena laboratis habeas cum ſcrinia libris,
2. Emittis quare Soſibiane, nihil?
3. Edent hęredes, inquis, mea carmina: quando?
4. Tempus erat jam te, Soſibiane, legi.

Verſ. 1. *Scrinia*. Sunt armaria & plutei, ubi libri aſſervantur.

4. Non poſſunt tam bona carmina ſat cito in lucem edi. Noli rogum expectare. Videtur ipſius mortem optare. Legi non vis nili mortuus, tempus eſt te legi; ergo, te mori.

XXVII.

Toga nivea.

1. Sordida cum tibi ſit, verum tamen, Attale, dicit
2. Quiſquis te niveam dicit habere togam.

V. 2. *Niveam*. Detritam, cujus nuda filia albicant: vel: tenuitate ſua frigidam, inſtar nivis. Jocus eſt in voce ambigua: nivea enim toga, ut hic ſumitur, detritam ſignificat: alias puram, nitidam & recentem a fullone.

XXVIII.

Damæ pugnantes in arena.

1. Frontibus adverſis molles concurrere damas
2. Vidimus, & fati ſorte jacere pari.
3. Spectavere canes prædam: ſtupuitque ſuperbus
4. Venator cultro nil ſupereſſe ſuo.
5. Unde leves animi tanto caluere furore?
6. Sic pugnant tauri, ſic cecidere viri.

Verſ. 2. Et mutua perire morte.

3. 4. Canes conſtituere velut otioſi ſpectatores oblatæ ultro prædæ: & venatores cultris ac venabulis ſuis nihil agendi ſupereſſe mirati ſunt. *Superbus*. Quia gloriantur venatores feris a ſe interfectis. *Cultro*. Dejectas venabulo feras venator cultro ſolet interimere & conficere.

5. *Leves animi*. Feræ imbelles; damæ. *Furore*. Pugnandi & moriendi.

6. *Cecidere*. Non aliter viri fortiſſimi mutuis ſæpe vulneribus perierunt.

Senis.

XXIX.

Senis fucati barba.

1. Cana est barba tibi, nigra est coma: tingere barbam
2. Non potes, hæc causa est, sed potes, Ole, comam.

Vers. 1. *Tingere.* Pigmentis quibusdam capillos fucabant; iste, ne senex videretur, nigris sibi appingebat barbam ita commode inficere non poterat. Cum enim barbam vix promitterent Romani, fucus non poterat hærere in cute nuda, aut brevioribus barbæ pilis. Vide Epigr. 33. Lib. 3.

XXX.

Avarus ostentator.

1. Centum Coracinus, & ducenta Mancinus,
2. Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
3. Decies, Sabinus, alterumque Serranus:
4. Ex insulis, fundisque tricies soldum,
5. Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi,
6. Totis diebus, Afer, hoc mihi narras;
7. Et teneo melius ista, quam meum nomen.
8. Numeres oportet aliquid, ut pati possim:
9. Quotidianam refice nauseam nummis.
10. Audire gratis, Afer, ista non possum.

Vers. 1. *Centum.* Subaudi sestertia. Summam efficiunt librarum Turonicarum, ut Galli loquuntur, 10000.

2. *Hoc bis.* Eadem hæc trecenta bis mihi debet Albinus: idest, sexcenta sestertia.

3. *Decies.* Libras 100000. Vide Epigr. 81. lib. 1. *Alterum.* Idest, bis decies, alterum decies, nempe vicies, libras 200000.

4. *Ex insulis.* Insulæ in urbe dicuntur ex domus, quæ ita sunt ab aliis sejunctæ, ut aliquo vico undecunque ambiantur: quemadmodum veræ insulæ cinguntur mari.

Tricies soldum. Tricies soldum, idest, plenum, integrum: tricies centena millia sestert. hoc est, nummos Francicos 300000.

5. Ex vectigali pecuario, Parmensi quotannis colligo sexcenta millia sestertium, hoc est, Libras Gallicas 60000. *Parmensi.* Epigr. 36. lib. 2.

8. *Gratis.* Nihil videlicet numeres mihi pecuniam, pretium patientiæ, qua ostentationis tuæ molestiam, & fastidium quotidie perfero.

Argen-

XXXII.

Argentum purum.

1. Argenti genus omne comparasti,
2. Et solus veteres Myronis artes,
3. Solus Praxitelis manus, Scopæque
4. Solus Phidiaci toreuma cœli,
5. Solus Mentoreos habes labores.
6. Nec desunt tibi vera Glaniana,
7. Nec quæ Callaico linuntur auro,
8. Nec mensis anaglypta de paternis.
9. Argentum tamen inter omne, miror
10. Quare non habeas, Charine, purum.

Vers. 1. *Argenti*. Hac voce intelligitur ibi omne argentum factum: omne vasorum argenteorum genus.

2. Vetera signa & opera, Myronis, statuarii insignis, arte ac manu elaborata.

3. *Praxitelis*. Praxiteles, Scopas, Phidias, Statuariorum principes extitere. De Mentore, de toreumate, vide Ep. 26. & 31. lib. 3. cœlum, hoc in loco idem est ac scalprum.

6. *Vera Glaniana*. Vasa & signa facta vere ab Glanio sculptore vel cælatore peritissimo, non ementita & adulterina. Legunt aliqui *Gentiana*, aut, *Grantiana*, ab artifice Gentio, vel Grantio, tunc celebri, elaborata.

7. Nec vasa ornata auro Gallico, addito, seu allito ipsis vasis, puta, æreis, argenteis.

Callaico. Hispano. Callaici, sive Gallaici, aut Gallæci, populi sunt etiamnum Hispaniæ Tarraconensis ad occasum & Boream: attingunt a meridie Lusitaniam; ab oriente, Asturias: nunc *la Gallice*. Apud eos aurum eruebatur, quod phialis adlini solebat, eleganti artificio, fortasse ab illis invento.

8. Nec cælata pocula, sive vasa signis aspera (ἀναγλυπτα, a verbo γλύφω, sculpo) quibus tuus pater & majores in mensa usi sunt.

10. *Purum*. Jocus est in hac voce. Nam aliquando purum dicitur argentum, quod elaboratum, cælatum, sculptum non est: hic alio sensu sumitur pro mundo, & non sordido: tua ista omnia impura sunt & immunda: tu ipse homo impurus, quidquid tangis, inquinas.

XXXIII.

Amicus deceptus.

1. Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,

2. Et

2. Et docti Senecæ ter numeranda domus.
3. Prætulimus tantis solum te, Posthume, regnis;
4. Pauper eras, & eques, sed mihi consul eras.
5. Tecum ter denas numeravi, Posthume; brumas;
6. Communis nobis lectus & unus erat.
7. Jam donare potes, jam perdere, plenus honorum,
8. Largus opum: expecto, Posthume, quid facias.
9. Nil facis: & serum est alium mihi quærere regem.
10. Hoc, Fortuna, placet? Posthumus imposuit.

Vers. 1. Pisonum domus florebat longa virorum nobilissimorum serie: ex ea mihi patronos & amicos facile poteram deligere; patebat mihi etiam Senecarum domus; hos tibi nuper pauperi, postposui. Stemma est ordo genealogiæ, in picta arbore e usque ramis descriptus, στέμμα proprie coronam significat; nempe ex arboris illius genealogicæ ramis fiebant circuli in modum coronæ, in quibus, vel imago, vel nomen alicujus e majoribus poneretur.

2. *Ter numeranda domus.* Divisa in tres familias. Tres fuere illo ævo Senecæ viri clarissimi. Primus philosophus, idemque poeta tragicus, & Neronis præceptor. Secundus Seneca Gallio, seu Novatus. Tertius Seneca Mela, seu Mella, Lucani pater. Omnes filii Senecæ rhetoris, qui Corduba Romam venit. Quidam explicant hunc versum de Seneca patre, qui rhetor dictus est; de Seneca filio, qui appellatus est philosophus, & de Lucano, nepote rhetoris.

3. *Regnis.* Familiis nobilissimis. Patronos reges appellitabant.

4. *Mihi consul eras.* Non aliter te colebam, atque si fuisses consul.

6. *Communis lectus.* In quo ad mensam accumbebamus.

7. 8. Jam largiri amicis munera facile potes, imo multa impune perdere, ac sine magno detrimento: ita honoribus & opibus large abundas.

9. *Nil facis.* Nihil mihi largiris, cum tamen maxime nunc indigeam tua liberalitate, quippe qui ægre inventurus sim jam senex, novos reges, sive patronos.

10. Cur, o Fortuna, Posthumum beasti, quem ingratum & avarum fore noras? An hoc tibi placet? nempe istis perfidis benefacere. Neutiquam (respondet Fortuna,) sed Posthumum liberaliorem fore putabam: ille mihi imposuit; idest, me fefellit.

XXXIII.

In molestum recitatorem.

1. Quid recitaturus circumdas vellera collo?
2. Conveniunt nostris auribus illa magis.

Vers. 1.

Vers. 1. *Vellera*. Ad arcendam ravim scilicet. Focalia dicebantur, a faucibus, quas muniebant, quasi faucalia.

2. *Auribus nostris*. Oturandis videlicet, ne te recitantem audiamus.

XXXIV.

Vesuvius incendio deformatus.

1. Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris,
2. Presserat hic madidos nobilis uva lacus.
3. Hæc juga quam Nysæ colles plus Bacchus amavit;
4. Hoc nuper Satyri monte dedere choros:
5. Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi;
6. Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
7. Cuncta jacent flammis, & tristi mersa favilla:
8. Nec Superi vellent hoc licuisse sibi.

Vers. 1. *Vesvius*. Pro, Vesuvius, mons est Campaniæ Italæ; ignes, ut Ætna, vomens. Nunc dicitur *Summa*, & abundat vino, quod Græcum vocant.

2. Hic uva nobilis oppleverat, oneraverat torcularia.

3. *Nysæ*. Nysa urbs est Indiæ ad fluvium Indum, vel Bacchi patria, vel ab eo condita. Est etiam mons illi urbi vicinus, & cognominis. Hinc Bacchus appellatur Dionysos: a patre Jove, Ζεὺς, (Διὸς) & Νῦσα.

Satyri. Dii sylvarum & montium.

5. 6. Erant in Vesuvio monte duo fana, Veneris alterum, alterum Herculis. Lacedæmon urbs Peloponnesi, olim Sparta, nunc *Misitra*: ibi Venus colebatur.

7. *Jacent*, *&c.* Contigit hoc incendium sub Tito Imperatore, oppressus eo fuit ille naturæ interpres Plinius, urbes totæ cineribus obrutæ. Vide Epistolas Plinii secundi 16. & 20. Lib. 6.

8. Ipsi superi dolent ista clade, vellentque sibi ablatam facultatem nocendi hominibus, & eos puniendi. Deus invitus punit, amat parcere.

XXXV.

Votum pro pueri incolumitate.

1. Hæc tibi pro nato plena dat lœtus acerra,
2. Phœbe, Palatinus munera Parthenius;
3. Ut qui prima novo signat quinquennia lustro,
4. Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
5. Fac rata vota patris; sic te tua diligat uxor,

6. Gau-

6. Gaudeat, & certa virginitate ſoror.
7. Perpetuo ſic flore mices; ſic denique non ſint
8. Tam longæ Bromio, quam tibi, Phœbe, comæ.

V. 1. 2. *Hæc munera.* Thus. *Acerra.* Thuris eſt vaſculum. *Palatinus.* Qui Domitiano erat a cubiculo, qui ei in palatio navabat operam.

3. 4. Ut Burrus Parthenii filius, qui quinquennium explevit, & primum luſtrum incipit notare ac numerare, diu vivat. De luſtro adi Epig. 73. Lib. I.

Olympiadas. Olympias erat numerus quatuor annorum, Græcis ad putanda tempora uſitatus. Facta vox a ludis olympiis, ſive olympicis, primo huius quadriennii anno celebrari ſolitis in honorem Jovis Olympici, ad urbes Græciæ Piſam & Eliden.

5. *Fac, &c.* Da ut pater ſit votorum compos, ut exoret quod orat.

Uxor. Daphne, quam cum uxorem expeteret Phœbus, neque ut ab illa diligeretur, impetrare poſſet, eam in laurum arborem mutavit: unde quidam libri habent *arbor*, pro *uxor*.

9. *Soror.* Diana. Ita Diana perpetuo ſua virginitate glorietur.

7. *Flore.* Juventæ.

8. *Bromio.* Baccho: a βρέμω fremo. Is crines, item ut Phœbus, intonſos & juveniliter fluentes geſtabat, qua laude certare videbatur cum Phœbo, quem ne Bacchus vincat, precatur Martialis, optatque, ne ſint umquam prolixiores Baccho, quam Phœbo, comæ.

XXXVI.

In cauſidicum muneribus divitem.

1. Saturnalia divitem Sabellum
2. Fecerunt: merito tumet Sabellus:
3. Nec quemquam putat eſſe, prædicatque
4. Inter cauſidicos beatiorem.
5. Hos faſtus, animoſque dat Sabello
6. Farris ſemodius; fabæque freſſæ,
7. Et thuris, piperiſque tres ſelibræ,
8. Et Lucanica ventre cum Faliſco,
9. Et nigri Syra defruti lagena,
10. Et ficus Libyca gelata teſta,
11. Cum bulbis, cochleiſque, caſeoque:
12. Piceno quoque venit a cliente
13. Parcæ ciſtula non capax olivæ;
14. Et craſſo figuli polita cœlo.

15. Se-

15. Septenaria ſynthesis Sagunti,
16. Hiſpanæ luteum rotæ toreuma;
17. Et lato variata mappa clavo.
18. Saturnalia fructuoſiora
19. Annis non habuit decem Sabellus.

Verſ. 1. *Saturnalia*. De Saturnalibus & miſſis eo tempore muneribus ſæpe antea diximus. Pag. 136. &c.

6. *Semodius*. Pars dimidia modii. Modius libras 26. & uncias 8. capiebat. Eſt autem far quodlibet frumenti genus, vulgo tamen optimum ſignificat.

6. *Freſſæ*. Fractæ & nudatæ extima pellicula duriori qua tegitur. Frendeo, frendui, freſſum, proprie ſignificat frango, quaſſo. Unde porcus nefrens, qui nondum fabas frendet, ſeu frangit; porcus lactens.

7. *Seliſræ*. Semilibræ.

8. *Lucanica*. Inteſtinum fuillum carne porcina fartum: a Lucanis Italiæ populis, ejus inventoribus, dictum *Salſiccia*.

Ventre, *&c.* Cum ventre porcino cert.s modis condito & farciminibus turgente: ita vocatum eſt hoc obſonii genus a Faliſcis, Italiæ populi ejus credo inventoribus. Eorum urbs primaria Faliſcum, ſive Faliſca, nunc *Galeſe*.

9. Et vitrea lagena (quam Syram vocat, quia vitrum in Syria inventum) muſti ad dimidias partes uſque decocti: hoc enim ſignificat ea vox, defrutum.

10. Et ficus Africana, incluſa in teſta. Gelatam dixit, quia per hyemem erat miſſa, vel, quia ſtipata erat ac denſata ficus, in teſta ipſa, & adſtricta quodam roſcido humore, quem ficus emittunt.

11. Bulbi, cepæ ſunt, *cipolle*, *Bulbe*, maxime florum, quorum radices rotundæ & tunicatæ, ut liliorum, tuliparum, &c. Sunt etiam cepæ quædam aſcaloniæ dictæ, *ſcalogne*. Cochleæ, proprie ſunt limaces teſta incluſæ.

12. 13. Et arcula brevis, paucarum olivarum vix capax, data eſt tibi a Picente aliquo, tuo cliente. Ager Picenus eſt in Umbria, olivarum dives: hodie vocatur: *la Marca d' Ancona*.

14 Et ſynthesis ſeptem vaſa complectens, rudi & craſſa rota figuli Saguntini (quam ironice vocat cœlum, *bulino*) polita & tornata: hoc eſt, ſeptem vaſcula ſimul juncta, ficta ex argilla Saguntina. Eſt autem ſynthesis vox græca, ſignificans compoſitionem & collectionem multarum rerum, maxime veſtium, unde iſta vox ſæpe pro quodam genere veſtis ſumitur: ut diximus; in hoc loco eſt vaſorum multitudo: ſeptenariam vocat quod ſeptem vaſa Saguntina contineret. Sic Papinius lib. 4. ſylvar. dixit ſynthesin calicum & cacaborum.

Sagunti. Saguntus, ſive Saguntum, nunc *Morvedræ*, oppidum olim clariſſimum

Tar-

Tarraconenſis Hiſpaniæ, unde fictilia Romam advehebantur.

16. *Toreuma*. Proprie eſt opus torno factum, aut ſculptum, a τορεύω, torno, ſculpo. Vocat ita vile poculum ex agilla confectum, ironice.

17. Et mappa variata latis e purpura clavis: ideſt, orbiculis, floſculis, aut ſtellulis e panno purpureo aſſutis in mappæ limbo. Porro veſtis Laticlavia erat ſenatorum propria, & mappa laticlavia hic ampliſſimo ſenatori miſſa eſt. De laticlavo conſule Epigr. 17. Lib. 5.

18.19. Irridet inopem cauſidicum.

XXXVII.

Phaethon encauſto pictus.

1. Encauſtus Phaethon tabula depictus in hac eſt:
2. Quid tibi vis, dipyron qui Phaethonta facis?

Verſ. 1. 2. Encauſto pictus, & inuſtus hic Phaethon exhibetur: o pictor, quid tibi vis, quare bis uſtum (δίπυρον) facis Phaethonta? Nonne ſatis illi eſt, quod ſemel fulmine uſtus fuerit?

Encauſtus. Encauſto pictus. Encauſtum eſt picturæ genus, quod candente ſtilo ferreo, ex ignita & liquida materia fit, vulgo *ſmalto* ἐγκαυστὸν a καίω uro.

XXXVIII.

Laus epigrammatum.

1. Neſcis, crede mihi, quid ſint epigrammata, Flacce?
2. Qui tantum luſus illa, jocoſque putas.
3. Ille magis ludit, qui ſcribit prandia ſævi
4. Tereos, aut cœnam, crude Thyeſta, tuam?
5. Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
6. Paſcentem Siculas aut Polyphemon oves.
7. A noſtris procul eſt omnis veſica libellis;
8. Muſa nec inſano ſyrmate noſtra tumet:
9. Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant:
10. Confiteor, laudant illa, ſed iſta legunt.

Verſ. 3. Illi magis nugantur, qui ſcribunt tragœdias, & fabulas, v. g. hiſtoriam Terei, Thyeſtæ.

3. *Tereos*. Genitivus græcus a Τηρεύς, *Tereus*, Τηρέως. Fuit Tereus Thraciæ rex, Prognes maritus, in upupam mutatus, ut fabulis proditum eſt, quod uxoris ſuæ

ſuæ ſororem Philomellam temeraſſet.

Thyeſtæ. Fuit Thyeſtes filius Pelopis, Atrei frater, qui Thyeſtæ filios ipſi epulandos appoſuit. Epig. 35. lib. 3.

5. *Puero*. Icaro filio ſuo. Dædalus in carcerem inſulæ Cretæ, qui labyrinthus appellabatur, conjectus, ex eo evolavit, aptatis ſibi & filio alis, cera compactis.

7. *Poliphemon*. Accuſativus græcus, ut Dædalon, Polyphemum fuit Cyclops, de quo Homerus Lib. IX. Odyſ. & Virgilius, III. Æneid.

7. *Veſicæ*. Tumor, ampullatum dicendi genus, & ventoſum.

8. *Syrmate*. Syrma, veſtis eſt tragica, a σύρω traho, ampla, & verrens humum.

Inſano. Magno, vel furioſum in morem agitato, & jactato.

6. *Illa, &c.* Fabuloſa & tragica carmina. Facit loquentem Flaccum, & huic reſpondet ſequenti verſiculo. Laudantur tragœdiæ, leguntur epigrammata.

XXXIX.

Dives avarus, ac miſer.

1. Cum tibi non eſſent ſex millia, Cæciliane;
2. Ingenti late vectus es hexaphoro:
3. Poſtquam bis decies tribuit Dea cæca, ſinumque
4. Ruperunt nummi, factus es, ecce, pedes;
5. Quid tibi pro meritis, & tantis laudibus optem?
6. Di reddant ſellam, Cæciliane, tibi.

Verſ. 1. *Sex millia*. Subaudi, ſeſtertium; ſive ſex ſeſtertia in neutro genere; libras Gallicas valent 600.

Hexaphoro. Vide Lib. II. Epig. 59. Erat lectica quam ſex homines geſtabant.

3. *Dea cæca*. Fortuna.

Ruperunt. Ita repleverunt, ut eos non caperet ſinus. *Bis decies*. Subaudi, centena millia ſeſtertium. Quæ ſit ſumma, ſi ad Francicam pecuniam redigatur, diſces ex Epigr. 30. hujus Libri.

6. Dii reddant tibi tuam priorem lecticam hexaphoron, ideſt, priſtinam fortunarum mediocritatem.

XL.

Caprificus.

1. Geſtari junctis niſi deſinis, Hedyle, capris;
2. Qui modo ficus eras, jam caprificus eris.

Verſ. 1. *Junctis*. Hedylus quidam geſtabatur parvo curru, quem trahebant junctæ cicures capræ; erat ille idem

idem, ficus, seu ficosus, (quid sit ea vox vide Lib. 1. Ep. 57.) Jocatur in eum Martialis, aitque brevi fore caprificum, quæ est arbor sterilis, in parietinis nascens, & ad summos muros assurgens, assilienſque instar caprarum: folio ficum referens. Brodæus explicat *junctis capris*: hircosis (nempe impuris, & olentibus) servis.

XLI.

Philosophus Cynicus.

1. Hunc, quem sæpe vides inter penetralia nostræ
2. Pallados, & templi limina, Cosme, novi,
3. Cum baculo, peraque senem; cui cana, putrisque
4. Stat coma, & in pectus sordida barba cadit;
5. Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati;
6. Cui dat latratos obvia turba cibos;
7. Esse putas Cynicum, *deceptus imagine falsa*;
8. Non est hic Cynicus, Cosme; quid ergo? canis.

Vers. 1. 2. *Inter penetralia, &c.* In templo Minervæ Flavianæ, quod a Domitiano conditum recens fuerat. 5. *Cerea*. Decolor, flavescens, ut vestes detritæ solent esse.

Abolla. Est militaris vestis, & imperatoria: sumitur aliquando ironice pro pallio philosophico. Vocat eam uxorem philosophi, quia ille cum ea cubabat in grabato, ideſt, vili lectulo.

6. *Latratos*. Latrando, & mendicando quæsitos.

7. *Cynicum*. Erat Cynicorum philosophorum secta celebris. Ita sunt appellati a voce græca κύων, κυνὸς, κανὶς, canis; quia omnes maledictis, & conviciis allatrabant, & erant, instar canum, impudentes. Istum Martialis ait solo corporis cultu, & maledicentia esse Cynicum, omni vero doctrina, & sapientia Cynicorum destitutum. Ideo negat Cynicum esse, canem tantum esse concedit: hoc est, habere duntaxat, quod in Cynico est pessimum, nempe impudentiam, & obscœnitatem.

XLII.

Mortis necessitas.

1. O cui Tarpejas licuit contingere quercus,
2. Et meritas prima cingere fronde comas:
3. Si sapis, utaris totis, Coline, diebus,
4. Extremumque tibi semper adesse putes.
5. Lanificas nulli tres exorare puellas

6. Con-

6. Contigit: obſervant quem ſtatuere diem.
7. Divitior Criſpo, Thraſea conſtantior ipſo,
8. Lautior & nitido ſit Meliore licet;
9. Nil adjicit penſo Lacheſis; fuſoſque ſororum
10. Explicat, & ſemper de tribus una ſecat.

Verſ. 1. O Coline, qui in capitolino quinquennali certamine, coronas quernas a Domitiano accepiſti.

Tarpejas. Capitolii locus, ante conditum ibi Jovis templum, & inventum in ejus fundamentis humanum caput (unde factum illi capitolii nomen) vocabatur mons Tarpejus a Tarpeja virgine Veſtali ibi ſepulta. Domitianus autem inſtituerat Jovi Capitolino quinquennale ludicrum triplici certamine, muſico, equeſtri, & gymnico. Vide primum Epigramma hujus Libri.

2. Qui primam coronam meruiſti.

3. *Utaris*, *&c.* Nullam de ſolido die partem demas, quam non genio tribuas, & voluptati.

5. 6. Nemini licet Parcas flectere. Quem noſtræ mortis diem conſtituere, obſervant, neque illum aut obliviſcuntur, aut prætereunt. Fingebant poetæ tres Parcas ita e colu trahere lanam, quæ cujuſque vitam metiretur, ut una teneret colum, altera fuſum deduceret, tertia filum, & cum eo vitam ſecaret. Earum nomina ſunt Atropos, Clotho, Lacheſis.

7. *Criſpo*. Fuit ille vitricus Neronis: dicitur habuiſſe in cenſu bis millies ſeſtertium, hoc eſt, milliones, ut ſic loquamur, viginti. De Thraſea vide Epig. 9. Lib. 1.

Meliore. Melior nomen eſt proprium civis Romani ob lautitias, & elegantiam celeberrimi. *Nitido*. Mundo, compto, elegante.

9. Lacheſis nunquam quidquam addit ad lanam, qua colum inſtruxit, ſed ea demum tota tracta, quantulacumque ſit, exhauſtaque, pereundum eſt.

Penſo. Eſt penſum, lana vel cannabis in oblongum glomum convoluta, & circa colum ſummam illigata, unde fuſus trahitur.

Fuſos explicat. Parca de tribus, quæ filum ſecat, ea fuſos explicat, ideſt, jubet quieſcere, abſoluto penſo; vel evolvit ac recognoſcit, quantum fili tractum fuerit.

XLIII.

Laus quarumdam Hiſpaniæ urbium.

1. Luci, gloria temporum tuorum,
2. Qui Grajum veterem, Tagumque noſtrum
3. Arpis cedere non finis diſertis;
4. Argivas generatus inter urbes,

5. The-

5. Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
6. Aut claram Rhodon, aut libidinoſæ
7. Ledeas Lacedæmonis paleſtras:
8. Nos Celtis genitos, & ex Iberis
9. Noſtræ nomina duriora terræ
10. Grato non pudeat referre verſu;
11. Sævo Bilbilin optimam metallo,
12. Quæ vincit Chalybaſque, Noricoſque;
13. Et ferro Plateam ſuo ſonantem.
14. Quam fluctu tenui ſed inquieto,
15. Armorum Salo temperator ambit;
16. Tutelamque, choroſque Rixamarum,
17. Et convivia feſta Carduarum,
18. Et textis Peteron roſis rubentem,
19. Atque antiqua patrum theatra Rigas;
20. Et certos jaculo levi Silaos:
21. Turgentiſque lacus, Petuſiæque,
22. Et parvæ vada pura Vetoniſſæ:
23. Et ſanctum Baradonis ilicetum,
24. Per quod vel piger ambulat viator:
25. Et quæ fortibus ei colit juvencis
26. Curvæ Manlius arva Matineſſæ.
27. Hæc tam ruſtica, delicate lector,
28. Rides nomina? rideas licebit.
29. Hæc tam ruſtica malo, quam Bitontum.

Verſ. 1. 2. 3. O Luci, qui non pateris Hiſpaniam Apuliæ quidquam concedere qui Horatio nihil decedis. Pro voce *Tuorum* habent codices aliquot vetuſti *Duorum*, nempe præteriti, & præſentis.

Luci. Fuit iſte Lucius, Hiſpanus poeta Lyricus, qui Horatium eſt imitatus: floruit ſub Domitiano.

Grajum. Eſt Grajus fluvius Hiſpaniæ: veterem vocat, quia a veteribus dictus erat Grajus, a recentioribus Gravius eſt nuncupatus.

Tagum. Fluvius eſt Hiſpaniæ clariſſimus, *Tago*.

Noſtrum. Martialis fuit Hiſpanus, nempe Bilbilitanus.

Arpi. Urbs Apuliæ Daunie, nunc diruta: Horatius autem Apulus fuit, natus Venuſii. Hinc Arpos diſertos vocat.

4. Vates Græcus, vates aliquis, inter Græcas urbes natus, celebret ſane urbes Græcas, ut Thebas, Mycenas, &c. nos, qui Celtiberi ſumus, decet urbes Hiſpanas laudare.

5. *Thebæ*. Urbs Bœotiæ, patria Pindari; hodie *Stives*.

ves. Mycenæ, ſunt in Peloponneſo; nunc, *Agios Adrianos*.

6. *Rhodon*. Rhodus, *Rodi*, inſula maris mediterranei e regione Ciliciæ, olim Soli ſacra.

7. *Ledæas, &c.* Palæſtras & certamina inſtituta ab Caſtore & Polluce Ledæ filiis, in urbe Lacedæmone, Veneri conſecrata, & deliciis dedita. Ep. 49. Lib. 1.

Bilbilin. Vide Epigr. 43. Lib. 1. ubi etiam agitur de Celtiberis, & variis Hiſpaniæ locis.

11. *Metallo*. Ferro.

12. *Chalybas*. Populi ſunt ad Pontum Euxinum, apud quos ferri cognominis genus eruitur. *Norici*, ſunt populi Germaniæ Griſonibus, ſeu Rhætis finitimi. *La Baviera la Suaba*.

13. 14. 15. Et Plateam (urbem Hiſpan.) cujus in officinis ſonantibus, ferrum elaboratur: quam ambit fluvius Salo, qui ad laminas enſium tingendas, & temperandas plurimum valet.

16. Et Rixamas gaudentes choreis; Carduanos, ſive Carduas, conviviis.

18. *Textis*. In coronas.

19. Et Rigas, ubi majores noſtri ſua ſolebant edere ſpectacula, propter nobile illius urbis theatrum.

20. *Certos jaculo*. Qui a ſigno non aberrant, cum jaculantur.

23. *Ilicetum*. Locum ilicibus conſitum; ſanctum vocat, fortaſſe, quia numini alicui conſecratum, aut quia incæduum, & inviolatum ferro.

24. Cujus amœnitate captus viator etſi feſſus & languidus, cum voluptate tamen ambulat. An quia locus hic declivis & pronus erat, ut vult Brodæus?

25. *Manlius*. Nomen populi, ad urbem Matineſſam: aut unius ex amicis Martialis.

29. *Bitontum*. Oppidulum Apuliæ, quod aſperitate nominis, & ſua tenuitate videtur merito iſtis Hiſpaniæ locis concedere, nunc *Bitonto*. Malo meam Hiſpaniam, quam Italiam.

XLIV.

Munera inſidioſa.

1. Munera, quod ſenibus, viduiſque ingentia mittis,
2. Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
3. Sordidius nihil eſt, nihil eſt te ſpurcius uno,
4. Qui potes inſidias dona vocare tuas.
5. Sic avidis fallax indulget piſcibus hamus;
6. Callida ſic ſtultas decipit eſca feras.
7. Quid ſit largiri, quid ſit donare docebo:
8. Si neſcis; dona, Gargiliane, mihi.

Verſ. 4. Inſidias. Quia iſtis muneribus captas hæredi-| tates ſenum & viduarum. 5. *Indulget*. Se offert blande,

de, ac permittit fruendum: eos lactat, fallitque incautos.

8. *Mihi*. Qui tibi nihil remetiri possum, & rependere, a quo nihil speras.

XLV.

Tibur Baiis, per æstatem, præstat.

1. Dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini,
2. Et quæ pumiceis fontibus antra calent:
3. Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,
4. Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.
5. Horrida sed fervent Nemeæi pectora monstri,
6. Nec satis est Bajas igne calere suo.
7. Ergo sacri fontes, & littora grata valete,
8. Nympharum pariter, Nereidumque domus;
9. Herculeos colles gelida vos vincite bruma,
10. Nunc Tiburtinis credite frigoribus.

Vers. 1. *Lascivi*. Ob loci nimirum delicias, & amænitatem.

Lacrini. Vide Lib. 1. Ep. 54.

2. Et Bajanæ aquæ, scaturientes e pumicibus sive tophis, hoc est, exesis, & spongiosis lapidibus, ac speluncis. Sunt Bajanæ aquæ calidæ. De illis actum Lib. 1. Ep. 51.

3. Tu degis Tiburre, quod condidit, & ubi regnavit Argivus colonus, nimirum Catillus e Græcia veniens. Fuit ille Amphiarai filius, tresque filios in Italia suscepit, Tiburtum, a quo nomen Tiburtinæ urbi fecit, Coram, & Catillum. Tibur, nunc *Tivoli*, urbs Latii.

Coloni. Colonus interdum significat agricolam, nempe qui agrum colit: interdum hominem, qui ex aliena, & remota regione venit ad locum aliquem incolendum, & frequentandum: inde Coloniæ loca ejusmodi appellantur.

4. Quæ tua villa Tiburtina distat ab urbe 18. millibus passuum. Vide Ep. 16. Lib. 3. Hoc spatium est leucarum Gallicarum admodum sex.

5. 6. Sed ingens fervet æstus Augusto mense, quo sol ingredietur signum leonis; & calor aquarum Bajanarum calore aeris geminatur.

Nemeæi. Vide Ep. 5. lib. Spect. & 48. hujus. Porro in leonis pectore insignis est stella, quam vocant cor leonis, & quam hic appellat pectus leonis.

8. *Nereidum*. Sunt filiæ Nerei, & Doridis: Bajæ autem in littore Campano. Nymphæ sunt Deæ præsides fontium.

10. Sane patiar vos vincere Tibur sacrum Herculi, quando sæviet bruma; at nunc per æstatem, Tibur vobis præferendum est, propter frigus, & ventos quibus, utpote situm in colle, est expositum.

XLVI.

Lacrima ſuſpecta.

1. In tenebris luges amiſſum, Galla, maritum;
2. Nam plorare pudet te, puto, Galla, virum.

Verſ. 2. Nam putas eſſe imbellis animi palam & luce plorare: vel plorare muliebriter virum tam fortem, & generoſum. Euge laudo fortitudinem. Latet hic ironia: videtur enim eam laudare, & excuſare, quod non lugeat palam mariti mortem: cum tamen innuat eam ideo non plorare, quia virum v. g. gaudet eſſe mortuum.

XLVII.

Vipera ſepulcrum.

1. Flentibus Heliadum ramis dum vipera repit,
2. Fluxit in obſtantem ſuccina gutta feram:
3. Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri;
4. Concreto riguit victa repente gelu.
5. Ne tibi regali placeas, Cleopatra, ſepulcro,
6. Vipera ſi tumulo nobiliore jacet.

Verſ. 1. Dum e populi ramis viſcoſus humor defluit, ſerpebat vipera per ramos madentes.

Heliadum. Sorores Phaethontis, Heliades vocabantur, quia erant filiæ ſolis, qui a Græcis Ἥλιος dicitur. Earum lacrimas electrum poetæ vocant. Vide ſupra Ep. 25.

2. *Obſtantem.* Ex adverſa parte in ramo prorepentem.

Succina. Succinea, Succinum, idem eſt atque electrum: *ambra*.

4. *Gelu.* Electri viſcoſo humore, qui dum ex arbore defluit, eſt liquidus, mox vero induratur, tanquam gelu, & concreſcit.

5. *Cleopatræ.* Ægypti regina, uxor M. Antonii, ab Auguſto victa ad Actium, quæ ſibi admotis colubris necem conſcivit, & magnifico ſepulcro eſt condita.

XLVIII.

Mors loco nullo excluſa.

1. Ardea ſolſtitio, Præſtanaque rura petantur,
2. Quique Cleonæo ſidere fervet ager:
3. Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
4. Inter laudatas ad Styga miſſus aquas:

5. Nul-

5. Nullo fata loco possis excludere; cum mors
6. Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Vers. 1. 2. Possumus impune jam petere Ardeam, æstate calidissima, & Pæstum, & alia loca nimis infesta caloribus.

Ardea. Est Urbs antiqua Latii; Pæstum, *Pesto*, Lucaniæ: ambæ in Italia. Pro Pæstana, legitur etiam Castrana, Castrum, *Castro* urbs ejusdem Italiæ non una fuit eodē appellata nomine. Sunt qui putent hic agi de Castro Inui, quod erat oppidulum Latii, non procul Ardea.

Solstitio. Tempore solstitii. Sic appellatur tempus illud, quo sol videtur quasi stare, nempe mense Junio cum attigit tropicum Cancri: & mense Decembri, cum est in tropico Capricorni: tunc enim dies ita lente crescunt, aut decrescunt, ut vix sentias. Solstitium, si vox ea sola sit, pro æstivo fere sumitur, quando calor gravissimus est, sole verticibus propemodum nostris imminente.

2. *Colonæo*. Cleone, urbs est prope Nemæam sylvam, ubi Hercules famosum leonem interemit, qui eam ob rem vocatur etiam Cleonæus. Ille in sidera relatus est, interque 12. Zodiaci signa numeratur quintum: illi subest sol mense Augusto.

3. 4. Siquidem Curiatius Tiburtinum cœlum, quod per æstatem ob frigidas auras videbatur saluberrimum, expertus est pestiferum, & exitiale, mortuus nimirum cum uteretur frigidis ejus loci aquis & balneis, alias laudatissimis.

5. *Sardinia*. Insula maris mediterranei, ad latus Siciliæ, *Sardegna*. Ibi cœlum est gravissimum. Sensus igitur est: locus saluberrimus, quale est Tibur, evadet tibi pestilens, qualis est Sardinia; cum hora fatalis advenerit.

XLIX.

In garrulum ostentatorem,

1. Donasse amicum tibi ducenta, Mancine,
2. Nuper superbo lætus ore jactasti.
3. Quartus dies est, in schola poetarum
4. Dum famulamur, millibus decem dixti
5. Emptas lacernas, munus esse Pompillæ:
6. Sardonycha verum, lineisque ter cinctum,
7. Duasque similes fluctibus maris gemmas
8. Dedisse Bassam, Cæliamque jurasti:
9. Here de theatro, Pollione, cantante,
10. Cum subito abires, dum fugis; loquebaris
11. Hæreditatis tibi trecenta venisse,

12. Et mane centum, & poſt meridiem centum.
13. Quid tibi ſodales fecimus mali tantum?
14. Miſerere jam crudelis, & ſile tandem:
15. Aut, ſi tacere lingua non poteſt iſta,
16. Aliquando narra, quod velimus audire.

Verſ. 1. *Ducenta*. Seſtertia nimirum; libras Francicas 20000.

3. *Schola poetarum*. Locus erat, in quem ad recitandum poetæ conveniebant, aut ad legenda, & emendanda carmina, &c. Ibi, dum homines convenirent, commode, prolixeque garriebatur. Quarto igitur ab hinc die, cum in eo loco eſſemus, dixiſti, &c.

4. Dixiſti lacernas tuas quæ emptæ eſſent decem millibus ſeſtertium, tibi eſſe datas muneri a Pompilla quadam. Mancini fortaſſe erat clienta, aut vidua dives.

Millibus decem. Seſtertiis decem majoribus, ſive decem millibus minorum ſeſtertiorum, hoc eſt, libris Francicis 1000.

Lacernas. De his actum Epig. 2. hujus Libri.

6. *Verum*. Ægre Sardonyx verus a falſo, & fucato diſtinguitur. Eſt gemma, duarum aliarum colorem referens, nempe ſardi, ſubrubrum, & onychis, album.

Lineis. In hac gemma ſunt lineolæ quædam nigræ, candidæ, & miniatæ.

6. Et duos ſmaragdos, qui ſunt vitrei, & marini coloris.

9. 10. Heri cum abires, imo fugeres, e theatro, in quo canebat Pollio ille inſignis citharœdus, dicebas tibi obveniſſe hæreditatis nomine trecenta millia (ſunt nummi Francici 30000.) & eadem die matutinis horis centum millia ſeſtertium, (libræ ſunt Francicæ 10000.) ac poſt meridiem altera centena millia, tibi felici caſu obtigiſſe.

16. *Quod velimus*. Dic te munerls aliquid nobis e tot bonis largiri, hoc alacres accipiemus totis auribus, & animis: vel, narra tibi aliquid infortunii accidiſſe: id nobis erit auditu jucundius.

L.

Forma ſtudium.

1. Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris,
2. Omnia dum fieri candida credit ibi.

Verſ. 1. 2. *Tibur*. Vide Ep. 45. 48. Ebur candidius fieri, frigidiſſima Tiburis aura vulgo dicebatur: hoc audiens Lycoris, mulier deformis ac fuſca, Tibur petivit. Sed fruſtra. Tibur nigra petiit, nigra Tibure diſceſſit.

Herculeum. Ita vocatur ob inſigne fanum Herculis ibi extructum. Eſt ſimillimum Epigr. 13. Lib. 7.

Nau-

L I.

Naufragium.

1. Dum petit a Baulis mater Cærelia Bajas,
2. Occidit insani crimine mersa freti.
3. Gloria quanta perit vobis! hæc monstra Neroni
4. Nec quondam justæ præstiteratis aquæ.

Vers. 1. *Baulis*. Bauli, villa erat inter Bajas & Misenum promontorium: nunc *Bauli*, vel *Bagola*.

Mater, Vel, matrona; vel, ut a filia ejusdem nominis distinguatur.

3. 4. O mare, quantam consequi gloriam potuisses, si feminam probitatis adeo spectatæ servasses. Peperceras olim Aggrippinæ Neronis matri, mulieri sceleratæ, cum eam Nero mergi jussisset: cur Cæreliam immerentem nunc mersisti?

Hæc monstra. Hæc naufragia, hæc scelera.

Neroni. Olim ad Baulos Nero matrem suam Agrippinam jusserat mergi, excogitato solutili, & machinoso navigio, quod repente laxatum in mediis fluctibus eam destitueret: ut narrat Svetonius in Nerone cap. 34. Agrippina tamen nando evasit. Sic illam justæ aquæ non oppresserunt, quæ nunc Cæreliam injustæ & injustæ mergunt.

Præstiteratis. Præstare aliquid alicui, interdum est aliquid in ejus gratiam facere, eum aliquo beneficio devincire.

L II.

Villa, & hortus amœnissimus.

1. Juli jugera pauca Martialis,
2. Hortis Hesperidum beatiora,
3. Longo Janiculi jugo recumbunt;
4. Lati, collibus eminent recessus;
5. Et planus modico tumore vertex
6. Cœlo perfruitur sereniore;
7. Et curvas nebula tegente valles
8. Solus luce nitet peculiari:
9. Puris leniter admoventur astris
10. Celsæ culmina delicata villæ,
11. Hinc septem dominos videre montes,
12. Et totam licet æstimare Romam:
13. Albanos quoque Tusculosque colles,

14. Et quodcumque jacet ſub urbe frigus;
15. Fidenas veteres, breveſque Rubras;
16. Et quod virgineo cruore gaudet
17 Annæ pomiferum nemus Perannæ.
18. Illic Flaminiæ, Salariæque
19. Geſtator patet, eſſedo tacente,
20. Ne blando rota ſit moleſta ſomno;
21. Quem ne rumpere nauticum celeuſma,
22. Nec clamor valet helciariorum.
23. Cum ſit tam prope Milvius, ſacrumque
24. Lapſæ per Tiberim volent carinæ.
25. Hoc rus, ſeu potius domus vocanda eſt,
26. Commendat dominus; tuam putabis,
27. Tam non invida, tamque liberalis,
28. Tam comi patet hoſpitalitate.
29. Credas Alcinoi pios Penates,
30. Aut facti modo divitis Molorchi.
31. Vos nunc omnia parva, qui putatis,
32. Centeno gelidum ligone Tibur,
33. Vel Prænefte domate, pendulamque
34. Uni dedite Setiam colono:
35. Dum, me judice, præferantur iſtis
36. Juli jugera pauca Martialis.

Verſ. 1. *Juli*. Julius iſte Martialis, erat amicus M. Val. Mart. poetæ noſtri.

2. *Heſperidum*. Vide Librum Spectac. Ep. 20.

3. *Janiculi*, Mons Janiculus, nunc *Montorio*, ad pontem uſque Milvium extra Romam porrigitur: in eo arx Romæ naſcentis poſita. Nomen a Jano habuit.

4. In collibus ſummis, ſpatia campi lata, & ſolitaria eminent, ubi eſt villa Julii Martialis cœlo vicinior.

11. *Septem*. Aventinum, Capitolinum, Cælium, Eſquilinum, Palatinum, Quirinalem, Viminalem, quibus Roma, rerum Domina, impoſita; *Dominos colles*.

12. *Æſtimare*. Nempe, quanta ſit, quam late pateat, judicare.

13. Ex eodem loco licet oculis luſtrare Albanos colles, Tuſculanos, & quæcumque loca editiora, & frigidiora ſunt prope urbem, imo ipſas Fidenas, Romæ antiquiores. Fidenæ urbs in Latio fuit, nunc vicus, *Caſtel Giubileo* dictus. Rubræ, vel Saxa Rubra, locus Etruriæ, in agro Veientino, nunc *Grotta Roſſa*.

16. Et nemus Aricinum, Annæ Peranne ſacrum, ubi victimarum loco immolantur virgines. Teſtatur enim Strabo, in luco Aricinæ Dianæ, in quo etiam Anna hæc Peran-

Peranna colebatur, facta fuiſſe ſacrificia, ſimilia illis, quæ fiebant Tauricæ Dianæ, in quibus immolabantur homines.

17. *Annæ Perennæ*. Hæc ab Ovidio dicitur fuiſſe ſoror Didonis, quæ Æneam ſecuta ſit in Italiam; poſtea autem Lavidi æ odio, & inſidiis vexata, ſibi ſponte necem conſciverit, ac ſubinde pro Dea culta fuerit.

18. *&c.* Ex hac villa proſpiciuntur, qui lecticas geſtant, eſſeda quæ trahuntur per viam Flaminiam, & Salariam: non tamen auditur ſtrepitus rotarum, nec ſomnus interpellatur: uti nec nautæ, ſe ſuis clamoribus cohortantes ad remigandum, aut qui navim adverſo flumine trahunt in ripa; licet villa non procul diſtet a Ponte Milvio, & Tiberi.

Flaminiæ. Ab urbe per Thuſciam, Umbriam, Ariminum uſque hæc via pertinebat. Strata fuerat a C. Flaminio conſule, qui ad lacum Traſymenum ab Annibale cæſus fuit.

Salariæ. Via Salaria ſic dicta eſt, quia per eam Sabini ſalem a mari deferebant Romam.

Geſtator. Servi lecticas deferentes. *Patet*. Aſpicitur totus. *Eſſedo*. Ep. 83. lib. 1.

21. *Celeuſma*, ſive celeuma. Lege Eb. 53. Libri 3.

22. *Helciariorum*. Helciarii dicuntur, qui onus aliquod junctis viribus moliuntur, ac trahunt helciis, id eſt, funibus, aut vectibus, a verbo ἕλκω, aut ἑλκύω, traho; qui naves ſubducuntur, &c.

23. *Milvius*. De Ponte illo dictum Ep. 12. Lib. 3.

Sacrum. Quia pro Deo colebatur Tiberis, ut alia flumina.

25. 26. *&c.* Hoc rus, hanc villam, ſive potius domum ornatiſſimam, & urbanæ ſimillimam, facit ornatiorem ipſe dominus, qui in eam hoſpites omnes admittit ſic, ut ſuam quiſque eſſe putet.

29. *Alcioni*. Fuit ille rex Phæacum in inſula Corcyra, *Corfù*, ubi hortos habebat præſtantes. *Penates*. Dii erant domeſtici, pro ipſa domo ponuntur, quam piam appellat hoc in loco vates, quia Ulyſſem naufragio ejectum excepit Alcinous, ut Homerus narrat.

30. *Molorchi*. Fuit pauper paſtor in ſylva Nemæa, qui Herculem, leonis debellandi cauſa illuc venientem, hoſpitio excepit. Domitianus juxta Herculis templum a ſe magnifico luxu extructum in Latia via, ſacellum addidit huic Molorcho, ſacrum, donariiſque ornavit; hinc *dives modo factus* dicitur.

31. *&c.* Ite nunc vos, o lauti homines, quibus omnes villæ ſordent, tanquam exiguæ, præ veſtris ingentibus latifundis, arate, & colite, per me licet, centum aratris, & centum ligonibus, Tiburtina veſtra prædia, & Præneſtina; imo totum agrum Setinum obtinete, & uni e veſtris villicis tradite, ego iſtis omnibus parvam Jul. Martialis villam anteporio. De Tibure diximus ſupra Epigrammate 45. 50. *Præneſte*. Urbs Latii, nunc

Paleſtrina, nuncupatur. 34. *Setiam*. Urbem in extrema Latii parte, poſitam in colle, & quaſi pendulam; nunc *Sezza*; hujus ager optimo vino abundabat.

LIII.

In luſcam.

1. Oculo Philænis ſemper altero plorat:
2. Quo fiat iſtud quæritis modo? luſca eſt.

Verſ. 2. Luſca eſt. Itaque oculis duobus plorare non poteſt, quia unum tantum habet.

LIV.

Decoctor.

1. Egiſti vitam ſemper, Line, municipalem,
2. Qua nihil omnino vilius eſſe poteſt;
3. Idibus, & raris togula eſt excuſſa Kalendis,
4. Duxit, & æſtates ſyntheſis una decem.
5. Saltus aprum, campus leporem tibi miſit inemptũ;
6. Sylva graves turdos exagitata dedit:
7. Raptus flumineo venit de gurgite piſcis,
8. Vina rubens fudit non peregrina cadus:
9. Nec tener Argolica miſſus de gente miniſter,
10. Sed ſtetit inculti ruſtica turba foci:
11. Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris;
12. Nec merſa eſt pelago, nec fluit ulla ratis:
13. Suppoſita eſt blando nunquam tibi teſſera talo,
14. Alea ſed parcæ ſola fuere nuces.
15. Dic ubi ſit decies, mater quod avara reliquit?
16. Nuſquam eſt: feciſti rem, Line, difficilem.

Verſ. 1. Municipalem. Sobriam, agreſtem, qualis degitur in municipiis. Erant oppida donata jure civitatis, quorum proinde incolis eadem licebat capere munia, & magiſtratus gerere: qui Romæ gerebantur.

2. *Vilius*. Parcius, anguſtius; minus ſumptuoſum. Sic Lib. 7. Epig. 24. ſcribit: *Vilius eſurio*, ideſt, minore ſumptu.

3. Togula tantum uſus es feſtis Kalendarum, & Iduum diebus, idque raro. Kalendæ, prima dies menſis, ita dictæ a verbo καλῶ, *voco*, quod Pontifex ubi naſcentem primum lunam obſerva-

vaſſet, (utebantur enim priſci Romani lunari menſe, licet imperfecto) vocaret plebem in Capitolium, eique denunciaret, quot dies ad Nonnas uſque ſupereſſent, quinque an ſeptem. Idus in medium fere menſem incidebant, eumque in duas partes quia dividebant, dictæ ſunt Idus ab Etruſca voce *iduare*, hoc eſt, dividere.

Togula. Brevis, & arcta toga, qualis pauperes decet.

Excuſſa. Explicata, educta ex arca; cum educuntur veſtes, in arculis diu ſervatæ, ſolent excuti ad purgandum pulverem. Porro, prima cujuſque menſis die ſolebant certa fieri ſacrificia; populus ad ea togatus conveniebat: raro tamen toga ſumebatur in municipiis.

4. Et una ſyntheſis per annos decem te veſtivit: duravit.

Syntheſis. Veſtis genus, de quo ſæpe dictum. Vide ſupra, Ep. 36.

5. *Saltus*. Sylva, in qua feræ, & venatio.

6. *Graves*. Pingues. *Exagitata*: venatorum, canum, curſu, clamoribus.

8. *Rubens*. Et a vini colore, & a colore teſtæ igne coctæ, ex argilla enim fiebant vulgo dolia.

9. 10. Non ſtetit ad menſam tibi miniſter, & pincerna elegans: e Græcia petitus, ſed agreſtes pueri & vernæ, aſſidere ad focum ſoliti.

11. *Sirius*. Signum cæleſte aliter dictum Canicula. Senſus eſt: non exuſtæ ſunt domus tuæ incendio fortuito, non agri caloribus æſtivis toſti. Agris enim, & ædibus caruiſti.

12. *Nec fluit*. Ne ulla ratis, quæ tua ſit, in pelago eſt, & in periculo naufragii.

13. Numquam lucri cauſa mutaſti talum teſſera: luſiſti duntaxat nucibus, qui puerorum tali, ac teſſeræ dici poſſunt.

Teſſera. Eſt cubus ſeu ebur ab omni parte quadratum, & certis notatum punctis, *un dè, un dado*. Talus, *oſſelet*, quatuor tantum facies habet, ſic dictus, quia ſpeciem habet, ac formam oſſiculi, quod in talo eſt. Talis potiſſimum ludebant animi cauſa: interdum ſupponebant illis teſſeras, ideſt, relictis talis, ludebant teſſeris, lucri cauſa: quia talorum ludus minoris aleæ, ideſt, lucri, damnive, quam teſſerarum.

15. *Decies*. Libræ Francicæ 100000. Scutati Rom. circiter 22. 500.

16. Amiſiſti tam lautum patrimonium: certe videbatur difficilius illud amittere, quam ſervare. Quo pacto cum iſta parſimonia, in hac municipali, & frugali vita, tantas opes amittere potuiſti, & e ditiſſimo fieri pauperrimus? Multum in eo ſane laborandum tibi fuit. Aut etiam paupertas vocatur res difficilis; quemadmodum opes, facultates dicimus.

LV.

Amicus illiberalis.

1. Prætorem pauper centum seſtertia Gaurus
2. Orabat cana notus amicitia:
3. Dicebatque ſuis hæc tantum deeſſe trecentis,
4. Ut poſſet domino plaudere juſtus eques.
5. Prætor ait: ſcis me Scorpo, Thalloque daturum;
6. Atque utinam centum millia ſola darem!
7. Ah pudet ingratæ, pudet ah male divitis arcæ:
8. Quod non vis equiti, vis dare, Prætor, equo.

Verſ. 1. *Prætorem.* Prætor magiſtratus apud Romanos fuit a conſule ſecundus. Illius munus erat jus dicere. Cum enim conſules, quibus id principio muneris datum, ſæpe ab urbe abeſſe cogerentur, Prætor unus creatus eſt anno urbis 387. Anno vero 510. alter additus, qui peregrinis jus diceret. Crevit ille poſtea numerus uſque ad 14.

Centum ſeſter. Libras 10000.

2. *Cana.* Veteri.

3. Dicebat hanc tantum ſummam deeſſe trecentis, quæ jam habebat, ſeſtertiis, ut eques eſſet juſtus, hoc eſt, ut juſtum ac legitimum cenſum haberet, ac ſedens inter Equites in theatro, poſſet Imperatori venienti plaudere. Moris erat plauſu læto excipere viros nobiles in theatrum prodeuntes.

Juſtus. De variis equitum generibus dixi Ep. 57. Lib. 3. Cautum erat, ne juſti equites, ideſt, qui tales eſſent cenſu, non tamen honoris ergo, & nomine tenus, minus 400. ſeſtertiis haberent in cenſu; ideſt, nummos Francicos 40000.

5. *Scorpo.* Scorpus auriga erat celeberrimus, Thallus etiam: ſuas illi factiones habebant in circo, &c. Vide Lib. 10. Ep. 46. in quo multa de illo Scorpo.

6. Atque utinam darem illis tantum centum mille ſeſtertios, ſive centum ſeſtertia, at multo plura mihi danda eſſe video.

7. Pudet me tui, o Prætor, qui tam ſis ingratus erga veterem amicum; qui tam male tuas opes expendas; qui equum equiti anteponas.

8. *Equo.* Equis Scorpi, Scorpo ipſi, ut equos alat, ut nitentes, ac celeres habeat: ut in equo æreo ſedens ponatur: id enim honoris illi aurigæ datum fuit.

LVI.

Cœna invidenda.

1. Invitas centum quadrantibus, & bene cœnas:

2. Ut

2. Ut cœnem invitor, Sexte, an ut invideam?

Verſ. 1. Invitas me ad cœnam, promiſſis mihi centum quadrantibus (ea vulgo ſumma ſportulæ erat, ut diximus) tu laute cœnas, ego in eadem tecum menſa ſpectator otioſus accumbo: an invitas me ut cœnem, an ut te videam, & tibi felici miſer invideam? Clientes pauperes quibus dabatur ſportula, eam non ante accipiebant, quam interfuiſſent cœnæ divitis, a quo ſportula donabantur, erantque convivæ quaſi honorarii, & invitabantur certo interdum pretio præter ſportulam dato, ut patet ex Epig. 24. & 47. Lib. 3. Quia in ejuſmodi cœna nihil, aut perparum e ferculis attingebant, ſed præſentia tantum ſua menſam divitis cohoneſtabant. De ſportula egimus Epig. 51. Lib. 1. & Epig. 6. Lib. 3.

LVII.

Lagena peſtifera.

1. Tu Setina quidem ſemper, vel Maſſica ponis,
2. Pamphile: ſed rumor tam bona vina negat.
3. Diceris hac factus celebs quater eſſe lagena;
4. Nec puto, nec credo, Pamphile, nec ſitio.

Verſ. 1. *Setina*. De Setia vide Ep. 52. hujus Libri.

2. Sed rumor eſt non eſſe, ut ais, Maſſica aut Setina, ſed toxica, & vina veneno infecta. De vino Maſſico lege Ep. 25. Lib. 1.

3. Ajunt te iſto vino tres jam tuas uxores necaviſſe. *Cœlebs*. Qui caret uxore.

4. Id verum eſſe non puto, non tamen te mihi & meam vitam credo; malo famæ, quam experientiæ meæ credere: valeas cum vino tuo.

LVIII.

Filius pius.

1. Nil Ammiano præter aridam reſtem
2. Moriens reliquit ultimis pater ceris.
3. Fieri putaret poſſe quis, Maronille,
4. Ut Ammianus mortuum patrem nollet?

Verſ. 1. *Reſtem*. Qua ſe ſuſpenderet. Eum exhæredavit pater illi male precatus. Solebant iis verbis imprecando uti. *Reſtem & clavum, quibus collum alliget*. Subaudi, *relinquo*.

2. *Ceris ultimis*, In te-

ſtamento ſuo. Scribebant enim in tabulis cera obductis.

3. Sane dubium nemini eſt, quin doleat vehementer Ammianus de morte patris. Videtur poeta ejus laudare pietatem; cujus improbitatem notat, quippe quæ fuerit in cauſa, cur ipſum pater exhæredaverit. Vel, ſimplicius: dolet, non mortuum patrem, ſed ſibi ademptam hæreditatem fuiſſe.

LIX.

Suos Quinto libros negat.

1. Exigis, ut donem noſtros tibi, Quincte, libellos:
2. Non habeo: ſed habet bibliopola Tryphon.
3. Æs dabo pro nugis, & emam tua carmina ſanus?
4. Non, inquis, faciam tam fatue; nec ego.

Verſ. 3. Fingitur ipſe Quinctus loqui. Egone ut iſtas nugas pretio emptas velim? certe inſanirem.

4. *Nec ego.* Reſpondet Martialis; neque ego tam fatue faciam, ut gratis illos tibi donem.

LX.

Amicus moriens.

1. Cum gravis extremas Veſtinus duceret horas,
2. Et jam per Stygias eſſet iturus aquas:
3. Ultima volventes oravit penſa ſorores,
4. Ut traherent parva ſtamina pulla mora,
5. Jam ſibi defunctus, charis dum vivit amicis:
6. Moverunt tetricas tam pia vota Deas.
7. Dum largas partitus opes, a luce receſſit;
8. Seque mori poſt hoc credidit ille ſenem.

Verſ. 1. *Gravis.* Æger: gravi morbo affectus.

4. Ut adhuc exiguo temporis ſpatio lanam e ferali colu trahere pergerent: ut nondum ſtamina, & filum præciderent. Vide ſupra Ep. 42. ubi de Parcis plura.

Pulla. Nigra. Parcas fingebant albam lanam e colu ducere, ſi. homo victurus erat: nigram, ſi moriturus.

5. Mortem nihil ſua cauſa timens, nec vivere ſibi optans, ſed amicis, ut iis bona ſua largiretur.

8. *Senem.* Satis ſe vixiſſe, hoc facto, credidit: nihil ſupereſſe melius, quod faceret, etiamſi ad ſummam uſque ſenectutem perveniret.

Da-

LXI.

Damarum pugna.

1. Aſpicis, imbelles tentent; quam fortia damæ
2. Prælia? tam timidis quanta ſit ira feris?
3. In mortem parvis concurrere frontibus audent:
4. Vis, Cæſar, damis parcere? mitte canes.

Verſ. 4. *Mitte canes.* Damas enim diriment canes, & cogent pugnam omittere, atque ita ſervabunt eas, quibus exitio eſſe vulgo ſolent. Damæ ſunt capræ quædam ſylveſtres, in primis meticuloſæ.

LXII.

Uxor non ſibi tantum, ſed viro dives.

1. O felix animo, felix, Nigrina, marito,
2. Atque inter Latias gloria prima nurus!
3. Te patrios miſcere juvat cum conjuge cenſus,
4. Gaudentem ſocio participique viro.
5. Arſerit Evadne flammis injecta mariti,
6. Nec minor Alceſtin fama ſub aſtra ferat:
7. Tu melius certo meruiſti pignore vitæ,
8. Ut tibi non eſſet morte probandus amor.

Verſ. 1. O Nigrina felix, quod hunc maritum habeas, quod eo erga illum animo ſis.

2. *Nurus.* Proprie eſt uxor filii: hic pro uxoribus quibuslibet accipitur.

3. Tu communicas cum marito tuo patrimonium tuum, & gaudes habere illum ſocium, & participem tuarum opum. Marito non licebat per leges participem eſſe patrimonii uxoris, ex qua liberos non ſuſcepiſſet.

5. Celebretur, per me licet, amor Evadnes, quæ ſe in rogum viri vivam injecit, ejus deſiderium non ferens. *Evadne.* Conjux Capanei, Græcorum ducis, in oppugnatione Thebarum cæſi.

6. *Alceſtin.* Admeti conjux fuit, quæ cum audiviſſet denunciatam, atque indictam ab oraculo fuiſſe mortem Admeto, niſi locum illius & vices aliquis ſubiret, ipſa ſe morti libens obtulit & mariti vitam redemit ſua.

7. Dediſti certum amoris tui pignus, ac documentum, nempe iſtam tuam liberalitatem, licet vita tibi ſuperſtes maneret: neque opus tibi, ut illis mulieribus, fuit miſera mortis conditione, qua amorem tuum erga maritum probares.

Quo-

LXIII.

Quomodo ſit petendum.

1. Millia miſiſti mihi ſex, bis ſena petenti:
2. Ut bis ſena feram, bis duodena petam.

Verſ. 1. 2. Petebam a te duodecim ſeſtertia (ſunt nummi Francici 1200.) tu ſex tantum dediſti: alias ut impetrem, & auferam a te duodecim, petam viginti quatuor: alterum tantum poſtulabo.

LXIV.

Cur dives eſſe velit.

1. Nunquam divitias Deos rogavi,
2. Contentus modicis; meoque lætus.
3. Paupertas, veniam dabis, recede:
4. Cauſa eſt, quæ ſubiti, novique voti?
5. Pendentem volo Zoilum videre.

Verſ. 4. Cur ergo mutata nunc voluntate dives eſſe volo? Nempe ut Zoilus præ dolore, & invidia ſe ſuſpendat, cum me divitem aſpicit.

LXV.

Cœna dives at jejuna.

1. Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit:
2. Ornatus dives: parvula cœna fuit.
3. Auro, non dapibus oneratur menſa: miniſtri
4. Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
5. Tunc ego, non oculos, ſed ventrem paſcere veni,
6. Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

V. 2. *Ornatus.* Apparatus. 5. *Tunc ego.* Subaudi, cæpi dicere. 6. *Opes.* Ornatum divitem, vaſa aurea, &c. Ludit in gemina voce ſimili, dapes, opes. Lege epigramma 42. Libri 7.

LXVI.

In Ardelionem.

1. Condita cum tibi ſit jam ſexageſima meſſis,
2. Et facies multo ſplendeat alba pilo:
3. Diſcurris tota vagus urbe; nec ulla cathedra eſt.

4. Cui

4. Cui non mane feras irrequietus ave:
5. Et ſine te nulli fas eſt prodire tribuno,
6. Nec caret officio conſul uterque tuo:
7. Et ſacro decies repetis palatia clivo,
8. Sigerioſque meros, Parthenioſque ſonas.
9. Hæc faciant ſane juvenes: deformius, Afer,
10. Omnino nihil eſt ardelione ſene.

Verſ. 1. Cum annos jam ſexaginta ſis natus. Meſſem condere, eſt, eam in horrea devehere.

3. Per totam urbem circumcurſas patronos potentiores ſalutaturus; nec ullus eſt paulo ſpectatior, aut ditior, nulla orba, aut vidua in cathedra domi ſedens, ut ſalutantes excipiat, quam non inviſas.

5. *Tribuno*. Nullum Tribunum pateris prodire domo, quem non aſſecteris, deducas, &c. Tribunus plebis erat magiſtratus in gratiam populi creatus, ut ejus utilitatibus, rationibuſque conſuleret. Erant alii Tribuni militares, in exercitu, de quibus vide Lib. 3. Ep. 56.

6. *Officio*. Officioſis ſalutationibus, urbanitate multa.

7. Decies per viam ſacram redis ad palatium Imperatoris. Clivus eſt locus, aut via declivis, & prona. Via ſacra dicebatur ea, quæ ad Jovis templum in Capitolio poſitum ducebat.

8. Neque aliud ſonas, id eſt, loqueris opportune, & importune, quam te notum eſſe, & familiarem Sigerio, & Parthenio, cubiculariis Imperatoris.

10. *Ardelione* Ardelio quid ſit, vide l. 1. ep. 66. & l. 2. ep. 6.

LXVII.

In emptorem villæ.

1. Hoſpes eras noſtri ſemper, Matho, Tiburtini:
2. Hoc emis: impoſui; rus tibi vendo tuum.

V. 1. Tam ſæpe ventitabas in meam villam Tiburtinam ut tua dici poſſet; itaque decepi te, dum eam tibi vendidi, quæ tua jam erat, nempe uſu ipſo, cum utereris illa gratis. De Tibure antea dictum Ep. 45. 48. 50.

LXVIII.

Res eſt magna tacere.

1. Declamas in febre Matho: hanc eſſe phreneſin
2. Si neſcis, non es ſanus, amice Matho.
3. Declamas æger, declamas hemitritæus:
4. Si ſudare aliter non potes, eſt ratio.

5. Ma-

5. Magna tamen res est, erras; cum viscera febris
6. Exurit, res est magna tacere, Mathon.

Vers. 1. *Mathon*. Causidicus celebris, qui tanto ardore dicendi tenebatur, ut etiam tum declamaret, ageretque causas, cum febri laborabat.

Phrenesim. Furorem, insaniam.

3. *Hemitritæus*. Febri semitertiana laborans, ἡμιτριταῖος πυρέττων, febris semitertiana.

4. *Est ratio*. Videtur esse justa ratio, si declamas, ut sudorem valetudini utilem provoces.

5. *Magna tamen, &c.* Excusat se Matho: Magnum est, inquit, idest, arduum, laudabile, posse in medio morbo declamare; est hoc ingenii, & eloquentiæ magnum argumentum: vehementer falleris, respondet Martialis; longe est difficilius & sanius in media febri tacere posse: pars furoris, & morbi est, tunc vociferari.

LXIX.

Suos amico libros mittit.

1. Hos quoque comenda Venulejo, Rufe, libellos,
2. Imputet & nobis otia parva, roga:
3. Immemor, & paulum curarum, operumq; suorum,
4. Non tetrica nugas exigat aure meas:
5. Sed nec post primum legat hæc, summûve trientē;
6. Sed sua cum medius prælia Bacchus amat.
7. Si nimis est legisse duos, tibi charta plicetur
8. Altera: divisum sic breve fiet opus.

Vers. 1. Da Venulejo, & illi lauda.

Hos. Tertium, & quartum.

2. Roga, ut aliquid otii tribuat iis legendis, id beneficium ab eo me putabo accepisse: hoc in beneficii loco ponam; & mihi ab illo imputari patiar.

4. *Tetrica*. Non severa aure & censoria perpendat & examinet: æquus judex & candidus legat.

5, 6. Non tamen hæc legat, post primum scyphum, initio mensæ, cum nondum erit hilaris satis, aut post ultimum poculum, cum erit vino maddidior, sed in medio convivio, cum se poculis invitant mutuis, ac impetunt certantes vino & jocis convivæ.

Triens. Poculum quatuor cyathos continens. Supra, pag. 44.

7. Si duo libri videbuntur longiores, alterum sepone, & ab altero divide: ut alio tempore ipsi offeras.

In

LXX.

In felicem arrogantem.

1. Securo nihil eſt te, Nævole, pejus; eodem
2. Sollicito nihil eſt, Nævole, te melius.
3. Securus; nullum reſalutas, deſpicis omnes
4. Nec quiſquam liber, nec tibi natus homo eſt:
5. Sollicitus, donas; dominum, regemque ſalutas;
6. Invitas: eſto, Nævole, ſollicitus.

Verſ. 1. 2. Nihil eſt te moleſtius, & arrogantius, cum curris, & negotiis vaccus es: nihil demiſſius & honeſtius, cum te aliquid urit ac vexat.
4. Omnes ut ſervos tractas, & ut indignos, qui naſcerentur, qui vivant.
6. Invitas ad cœnam. Faxint ſuperi, ut ſemper ærumnoſus ſis, & negotioſus; ſiquidem tunc eris modeſtus, & humanus.

LXXI.

Diverſi calices.

1. Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice: quare?
2. Prodat perſpicuus ne duo vina calix.

Verſ. 1. *Myrrha*. Poculis myrrhinis. Myrrha lapidis quoddam genus erat nitidum & odoratum, non tamen pellucens, ut vitrum.
2. *Duo vina*. Vile, quod bibimus; generoſum, quod potas.

LXXII.

Libri patronus.

1. Si vis auribus Atticis probari,
2. Exhortor, moneoque te, libelle,
3. Ut docto placeas Apollinari,
4. Nil exactius, eruditiuſque eſt;
5. Sed nec candidius, benigniuſque.
6. Si te pectore, ſi tenebit ore.
7. Nec ronchos metues maligniorum;
8. Nec ſcombris tunicas dabis moleſtas:
9. Si damnaverit; ad ſalariorum
10. Curas ſcrinia protinus licebit,
11. Inverſa pueris arande charta.

Verſ. 1.

Verſ. 1. *Atticis auribus*, Ideſt, hominibus eruditis, elegantibus & politis. priſcorum Athenienſium lepos, & elegantia in primis laudatur.

6. Si te complectetur, ac deponet in ſinum, Si oculis & ore toto leget. V. l. 2. ep. 5.

7. *Ronchos*. Faſtidia, tædia. Lib. 1. ep. 4.

8. *Scombris*. Lib. 3. Ep. 2. *Tunicas moleſtas*. Involucra, quibus non ſolum involvuntur iſti piſciculi, ſed ſæpe friguntur. Tunica moleſta proprie dicebatur veſtis ſebo, pice, ſulphure obinita, qua induebantur majorum criminum rei, & in qua cremabantur: ad eam videtur hic reſpicere poeta. Lege Juvenalem Sat. 8. ſub finem, & noſtras eo loci notas.

6. Si te non probaverit Apollinaris, poteris continuo abire ad tabernas, & officinas ſalariorum, qui ejuſmodi vilibus & inutilibus abundant chartis, quas pueri, pauperum præſertim, ſumunt, ut in inverſa charta, in tergo, ſcribant magiſtrorum dictata, cum ob egeſtatem, non poſſint uti charta pura.

Salariorum, Lege Ep. 36. Libri 1. pag. 48.

10. *Scrinia*. Scrinium eſt loculus, pluteus, armarium, capſa ubi aliquid ſervatur.

LXXIII.

Mulier infantem ſemper portans.

1. Infantem ſecum ſemper tua Baſſa, Fabulle,
2. Collocat, & luſus, deliciaſque vocat.
3. Et, quod miteris magis, infantaria non eſt:
4. Ergo quid in cauſa eſt? pedere Baſſa ſolet.

Verſ. 2. Et id ſe facere dicit ad delicias, ut colludat puero.

3. *Infantaria non eſt*. Non delectatur infantum ludis, non ea eſt, quæ infantibus delectetur: ſed pedere interdum ſolet, & infantem geſtat, ut ſi forte ipſa pedat, in eum culpam rejiciat.

LXXIV.

In amicum diſſimulatorem,

1. Nulla remiſiſti parvo pro munere dona,
2. Et jam Saturni quinque fuere dies.
3. Ergo nec argenti ſex ſcriptula Septitiani.
4. Miſſa, nec a querulo mappa cliente fuit.
5. Antipolitano nec quæ de ſanguine thynni
6. Teſta rubet; nec quæ coctana parva gerit:
7. Nec rugoſarum vimen breve Picenarum.

8. Di-

8. Dicere te posses, ut meminisse mei.
9. Decipies alios verbis, vultuque benigno:
10. Nam mihi jam notus dissimulator eris.

Vers. 1. *Pro munere*. Libello epigrammatum.

2. Et jam tamen elapsi sunt *dies* quinque, per quos durant Saturnalia.

3. *Scriptula*. Uncia, est pars duodecima libræ; scrupulum vero, seu scripilum, & scriptulum, est vigesima quarta pars unciæ. Argenti libra denariis 84. respondebat: libris nempe Turonensibus 33. cum solidis, ut vocamus, duodecim.

Septitiani. Septitius iste aurifex fortasse fuit, cujus argentum deterioris erat notæ. Legunt aliqui *Septitianæ*, & eum esse volunt, de quo Vates queratur.

4. Nec mihi missa est a te mappa, quam accepisses, quæ tibi data fuisset a cliente aliquo tuo.

Querulo. Qui semper de sua inopia queritur apud patronum: vel, molesto & importuno.

5. 6. Nec testa plena muriæ, quæ confecta foret e sanguine thynni ex urbe Antipoli allati: nec alia testa coctanis plena. Antipolis urbs maritima Galliæ Narbonensis, *Antibe*.

Thynni. Viles pisciculi sunt marini: capiuntur frequentes in freto Gaditano.

Coctana. Sunt ficus minores, in Syria natæ.

7. Nec olivæ Picenæ [in] brevi cista viminea. Picenus ager est in Umbria, quæ pars Italiæ. Nunc Marchia Anconitana nuncupatur; *la Marca d' Ancona*. Olivæ contrahunt rugas vetustate.

10. *Dissimulator*. Qui videaris non accepisse meum libellum; aut non intelligere, quare illum tibi miserim.

LXXV.

Rusticantis occupationes.

1. Rure morans quid agã, respondeo pauca, rogatus:
2. Luce Deos oro, famulos post arva reviso,
3. Partibus atque meis justos indico labores.
4. Inde lego, Phœbumque cio, musamque lacesso,
5. Hinc oleo, corpusque frico, mollique Palæstra
6. Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco:
7. Dum parvus lychnus modicum consumat olivi:
8. Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camœnis.

Vers. 1. *Luce*. Mane: famulos reviso, postea agros.

3. *Partibus*. Justis, quas ipse describo, partibus, divido meis famulis suum opus labores suos.

4. *Phœbum cio*. Invoco: id est, versus edo.

5. *Pa-*

5. *Palæstra*. Est luctatio, seu quælibet exercitatio corporis. Ep.45. Lib.3.

7. Donec lucernula mea extincta fuerit.

8. Pango ea carmina, quæ vides, quæ nocturnarum Musarum, & vigiliarum præmia sunt. Lucubrare, est noctu aliquid ad lucernam elaborare. Videtur hoc epigr. oppido elutum, & Martiale indignum: abest ab optimis codicibus.

LXXVI.

Libelli clausula.

1. Ohe, jam satis est, ohe, libelle;
2. Jam pervenimus usque ad umbilicos.
3. Tu procedere adhuc, & ire quæris,
4. Nec summa potes in scheda teneri:
5. Sic tanquam tibi res peracta non sit,
6. Quæ prima quoque pagina peracta est.
7. Jam lector queriturque, deficitque;
8. Jam librarius hoc & ipse dicit:
9. Ohe, jam satis est, ohe; libelle.

*Vers.*1. *Ohe*. Vox satietatem significans, & tædium.

2. *Umbilicos*. Finem. Vide Lib.1. Ep.58. Lib.2. Ep.5.

4. *Scheda*. Extrema libri pagina, aut ora, & margine paginæ.

5. *Sic, &c.* Tanquam rem non perfeceris, quam tamen vel in prima paginæ parte perfecisti, nempe ut lectorem satiares, ac tædio afficeres.

Librarius. Qui librum scribit, fessus scribendo, queritur de libri prolixitate.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM *LIBER QUINTUS.*

EPIGRAMMA I.

Suum Domitiano librum mittit.

1 HOc tibi, Palladiæ, ſeu collibus uteris Albæ,
2. Cæſar, & hic Triviam proſpicis, inde Thetin:
3. Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
4. Plana ſuburbani qua cubat unda freti:
5. Seu placet Æneæ nutrix, ſeu filia Solis,
6. Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis;
7. Mittimus, o rerum felix tutela, ſaluſque,
8. Soſpite quo gratum credimus eſſe Jovem.
9. Tu tantum accipias, ego te legiſſe putabo,
10. Et tumidus Galla credulitate fruar.

Verſ. 1. Hoc tibi munuſculum mittimus, o Cæſar, qui es tutela reip. & ſalus; ſive degis in collibus poſitis prope Albam urbem, ubi Palladem colis: (vide Librum 4. Ep. 1.) & unde proſpicis ex una parte Arcinæ Dianæ templum, ac nemus: ex altera autem mare.

2. 3. *Triviam* Pag. 3. *Sorores*. Seu verſaris Antii, ubi geminæ Fortunæ a te reſponſa, & oracula, tanquam a majore Deo accipiunt, quæ deinde conſulenti populo edant, ac renuncient.

Antium, *Antio*, erat urbs in Tyrrheno littore, non procul Oſtia: Volſcorum olim caput. In ea præcipuo colebatur honore Fortuna ſub imagine duarum ſororum, fortaſſe quia duplex Fortuna, una proſpera, altera adverſa; & gemina illa ſimulacra ferebantur edere oracula certiſſima.

4. Cujus Antii ſuburbia alluntur a mari quieto, & quaſi molliter cubante.

5. Sive degis Cajetæ; ſive in ea urbe, quam Circe ſolis filia condidit. Hanc Circejos vocabant, erat in ditione Volſcorum, in ora Tyrrheni maris, & ad radices montis Circæi, *Monte Cercello*, in Latio; nunc eſt diruta, & in ejus ruderibus eſt pagus, *Santa Felicita* dictus.

Æneæ

Æneæ nutrix. Urbs condita a Cajeta nutrice Æneæ, vel appellata, quod ibi demortua sit ac sepulta. Vide initium Libri 7. Æneid. Nunc Italis *Gaeta*, Gallis *Gajete*: est in ora maris Tyrrheni, in provincia Terræ Laboris, ut vocant.

6. *Anxur*. Oppidum Latii, nunc *Terracina*. Candidus dicitur, ob montes quibus impositus est, adverso sole refulgentes: vel quia ex iisdem montibus eruitur calx candidissima, & optima. Porro Anxur est etiam neutrius generis: ita vocatur quasi ἄνυξυς *sine novacula*, quia ibi Jupiter imberbis colebatur.

8. *Gratum*. Propitium, benevolum mortalibus; vel, memorem accepti beneficii, quia Domitianus Jovi templum extruxerat, capitolium incensum restituerat: pro quibus beneficiis vicissim Jupiter sospitem illum, & salvum præstabat.

9. Rogo tantum, ut accipias librum hunc meum; hoc mihi sufficiet, seu legas, seu non legas: credam te legisse, idque præ me feram, gloriabor, & prædicabo.

10. *Galla*. Gallica, quia Galli fere sunt candidi, aperti, & ingenui, atque adeo ad credendum proni.

II.

Hunc librum commendat.

1. Matronæ, puerique, virgineſque,
2. Vobis pagina noſtra dedicatur.
3. Tu, quem nequitiæ procaciores
4. Delectant nimium, ſaleſque nudi,
5. Laſcivos lege quatuor libellos,
6. Quintus cum domino liber jocetur;
7. Quem Germanicus ore non rubenti
8. Coram Cecropia legat puella.

Vers. 2. Hic Liber vobis dedicatus est, atque consecratus, o matronæ castæ, pueri, & virgines, at tu, o quisquis es quem improbula epigrammata delectant, alios superiores quatuor libros lege.

7. Iste Liber quintus debet esse talis, ut salibus suis Domitianum Imperatorem, recreare possit, & cum eo quasi jocari: itaque non debet esse obscœnus.

7. *Germanicus*. Domitianus, qui se ita jussit appellari, quasi Germanos debellasset, cum fœdas tamen ab iis clades accepisset: Vide 3. Ep. Sententia est: Liber iste adeo pudicus esse debet, ut illum sine rubore Domitianus legere possit etiam coram Cecropia puella: sic vocat Minervam, cujus, utpote virginis, filius dici Domitianus amabat, ut ea re Messias credi posset.

Ce-

Cecrops fuit res primus Athenienſium, qui eam ob rem Cecropii, & Cecropidæ vocati ſunt.

III.

Dacorum legatus ad Domitianum miſſus.

1. Accola jam noſtræ Diegis, Germanice, ripæ,
2. A famulis Iſtri qui tibi venit aquis;
3. Lætus, & attonitus viſo modo præſide mundi,
4. Affatus comites dicitur eſſe ſuos;
5. Sors mea quam fratris melior: cui tam prope fas eſt
6. Cernere, tam longe quem colit ille, Deum.

Verſ. 1. Ordo eſt, o Germanice, ideſt, Domitianæ (vide ſuperius Epigramma) Diegis, qui jam habitat prope ripam citeriorem Danubii, quæ noſtræ, ſeu Romanæ, ditionis eſt, quique tibi venit a regione circa Danubium poſita, quæ tibi famulatur, & paret; ille, inquam, Diegis, ubi te mundi rectorem, præſidemq; aſpexit, lætus, & admirans exclamavit, ac ſuos ita comites allocutus eſt; quanto ego ſum fratre felicior, qui coram cerno Deum præſentem, (nempe Domitianum) quem ille procul poſitum, abſentemque veneratur!

Diegis. Domitianus a Marcomannis Germaniæ populis victus, ut cladem ſuam tegeret, Decebalum regem Dacorum invitavit ad pacem. Decebalus miſit ad illum Diegem, ſeu Degem ſuum fratrem (ut hic Martialis innuit) aut certe fratrem unius e Dacorum proceribus: is progreſſus in citeriorem ripam, Domitianum adiit, qui munera, & diadema Decebalo ferendum illi dedit: quo facto exultans Domitianus, quaſi pacem, & regna Germanis pro arbitrio dediſſet, Romam triumphantis in morem ſe recepit. Daci quinam eſſent, diximus Ep. 23. Lib. 1. & 2. Lib. 2.

Ripæ. Danubius imperii Romani limes erat in Germania; ita ut pars, & ripa citerior, ſeu Romam verſus poſita, eſſet Romanorum, pars & ripa ulterior, ſeu verſus Germaniam, & Septentrionem, eſſet Germanorum.

Accola. Qui antea regiones ultra Danubium procul poſitas incolebat, & erat hoſtis: jam pace facta partem alteram ſeu ripam citeriorem Danubii pacatam, & Romanam accolit: vicinus, & amicus.

2. *Iſtri*. Danubius maximus Germaniæ fluvius, *il Danubio*, ut primum Illyricum attingit, Iſter incipit appellari. Oritur in Svevia, & in Pontum Euxinum per ſex, ſeptemve oſtia prorumpit.

In

IV.

In mulierem ebriosam.

1. Fœtere multo Myrtale solet vino;
2. Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
3. Merumque cauta fronde non aqua miscet.
4. Hanc tu rubentem prominentibus venis
5. Quoties venire, Paulle, videris contra;
6. Dicas, licebit: Myrtale bibit laurum.

Vers. 1. *Myrtale.* Nomen fictum, primæ declinationis.

2. *Ut nos fallat.* Ut odore lauri, qui gravior est, impediat olentem vino halitum & superet; puteturque laurum edere, non vinum bibisse. Adde, quod laurus ebrietatem arcere dicitur. Eadem a poetis, quasi spiritum poeticum afflaret, edebatur. Phœbo quippe sacra laurus.

3. Et cauta, seu provida mulier, infundit in cyathum nō aquam, ut ceteri, sed lauri folia, quibus odor vini obruatur, & dissimuletur.

4. *Prominentibus venis.* Ebrii enim venas inflatas habent, ac tumentes.

3. *Venire contra.* Tibi occurrentem videris, obviam habueris.

6. Vel; non bibit vinum, sed laurum meram edit: Vel; non est ebriosa, sed vult fieri vates, & laurum edit. Ita jocatur, & eam carpit.

V.

Sua epigrammata in Imperatoris bibliotheca poni rogat.

1. Sexte, Palatinæ cultor facunde Minervæ,
2. Ingenio frueris, qui propriore Dei,
3. Nam tibi nascentes Domini cognoscere curas,
4. Et secreta ducis pectora nosse licet:
5. Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
6. Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.
7. Ad Capitolini cœlestia carmina belli
8. Grande cothurnati pone Maronis opus.

Vers. 1. O Sexte, qui colis Minervam Imperatoriam, idest, qui custodis libros, & bibliothecam Domitiani. Libris præest Minerva, & litteris.

Palatinæ. Palatinum vocatur quodcumque ad Palatium,

latium, seu Imperatorem pertinet.

3. *Nascentes curas*. Erat idem ille Sextus Domitiano ab epistolis, & a secretis, ac proinde omnium negotiorum & arcanorum conscius.

6. *Pedo, Marsus, &c.* Poetæ celebres ob scripta epigrammata.

7. 8. Ad carmina vero de bello Capitolino confecta appone opus Maronis: illa, in eodem cum Æneide loculo, pone; digna sunt quæ prope Æneidem collocentur, quippe illi simillima; ego satis habebo si Pedoni, Marso, &c. jungar.

Carmina Capitolini belli. Scripta de bello Vitelliano. Cum Vitellius capessivit imperium, Domitianus graviter periclitatus est, latuitque in domo æditui Jovis Capitolini. Svet. c. 1. Fortasse hic Sextus, carmina illa scripserat, quæ Martialis vocat divina & cœlestia; itaque illi adulatur in hoc epig. Quid si ab ipso Domitiano fuerant condita? nam eum quoque vatem fuisse proditum est.

Cothurnati. Sublimis, divini poetæ. Cothurnus quid sit, explicui libro 3. Epigr. 16. Cothurnatus stylus pro elato & splendido sumitur, qualis est tragicorum & heroicorum poetarum.

VI.

Ad Parthenium, de suis libellis Domitiano offerendis.

1. Si non est grave, nec nimis molestum,
2. Musæ, Parthenium rogate vestrum:
3. Sic te serior & beata quondam
4. Salvo Cæsare finiat senectus,
5. Et sis invidia favente felix;
6. Sic Burrus cito sentiat parentem:
7. Admittas timidam, brevemque chartam
8. Intra limina sanctioris aulæ:
9. Nosti tempora tu Jovis sereni,
10. Cum fulget placidus, suoque vultu,
11. Quo nil supplicibus solet negare.
12. Non est quod metus preces iniquas.
13. Nunquam grandia, nec molesta poscit,
14. Quæ cedro decorata, purpuraque
15. Nigris pagina crevit umbilicis.
16. Nec porrexeris ista, sed teneto
17. Sic tanquam nihil offeras, agasque.
18. Si novi dominum novem sororum:
19. Ultro purpureum petet libellum.

Verſ. 2. Parthenium. Fuit ille admodum eruditus, Domitiano a cubiculis, ac ipſi percharus.

3. *Sic, &c.* Id a Muſis Parthenio dici rogat. O Muſæ, oro vos, ſi moleſtum non eſt, ut Parthenium rogetis meo nomine, & alloquamini hunc in modum. Sic diu vivas, & ad beatam ſenectutem, ſoſpite ac vivo Cæſare, pervenias, &c. *Sic* iſtud eſt optantis; ita faxint ſuperi, ut diu vivas, &c.

5. *Invidia favente*. Ita ut ipſa Invidia cogatur tibi favere, & tuæ famæ ac felicitati parcere: ſis major invidia.

6. *Sic Burrus, &c.* Sic filius tuus cito rationis compos fiat, & ſentiat, intelligat, licet puerulus, fortunam ac laudes parentis.

8. *Sanctioris aulæ*. Imperatorii cubiculi: intra conclave Cæſaris. Sanctior, in hoc loco, eſt idem, ac reconditior, quo veluti profanis aſpirare non licet. Huc adde quod Deum ſe dici Domitianus volebat.

9. *Jovis ſereni*. Cæſaris læti.

10. *Suo*. Solito, ſibi proprio. Principes decet clementia.

12. Non eſt quod metuas, o Partheni, & recuſes hunc libellum offerre Cæſari, (inquiunt Muſæ) neque enim aliquid majoris muneris petit Martialis, precibus moleſtis, & improbis, dum libellum cedro decoratum offert.

Cedro umbilicis. Vide Lib. 1. Ep. 58. Lib. 2. Ep. 5.

16. 17. Noli ultro librum offerre, ſed hunc inter manus ſic teneto, quaſi aliud ageres: quaſi minime offerre velles.

18. *Dominum novem ſororum*. Domitianum, qui poetas ac muſas tueri ac fovere gloriabatur. Videtur hoc dicere ipſe Martialis, ſi enim loqui Muſæ pergerent, ſcribendum eſſet, *ſi novimus*. Niſi quis dicat unam e Muſis verba pro omnibus facere.

VII.

Roma poſt incendium inſtaurata.

1. Qualiter Aſſyrios renovant incendia nidos,
2. Una decem quoties ſæcula vixit avis:
3. Taliter exuta eſt veterem nova Roma ſenectam,
4. Et ſumpſit vultus præſidis ipſa ſui.
5. Jam, precor, oblitus noſtræ, Vulcane, querelæ,
6. Parce; ſumus Martis turba, ſed & Veneris.

Verſ. 1. 2. Ut Phœnix, poſtquam annos mille vixit ſe, incenſo ſuo nido, renovat: ita Roma incenſa, renovata eſt ope Domitiani.

Aſſyrios. Eſt Aſſyria regio Aſiæ prope Euphratem, ubi naſci dicitur phœnix, de quo vide Ovid. 15. Met.

4. *Præſidis*. Domitiani, qui

qui placebat ſibi in primis ob formam juveniliter florentem.

Jam precor. Parce nobis Vulcane, & obliviſcere noſtras de te querelas, cum queſti ſumus te urbem incendio deformaſſe. Si nobis idcirco es iratus quod ſimus proles Martis, nempe nepotes Romuli, qui Martis filius: placatus nobis eſſe debes, quia ſumus ſoboles Veneris tuæ uxoris: quia ab Æneа Veneris filio propagati. Marti autem infenſior Vulcanus erat, quod a Marte Venus male amata olim fuiſſet.

VIII.

Eques mentitus.

1. Edictum Domini, Deique noſtri,
2. Quo ſubſellia certiora fiunt,
3. Et puros eques ordines recepit,
4. Dum laudat modo Phaſis in theatro,
5. Phaſis purpureis ruber lacernis,
6. Et jactat tumido ſuperbus ore;
7. Tandem commodius licet ſedere,
8. Nunc eſt reddita dignitas equeſtris,
9. Turba non premimur, nec inquinamur,
10. Hæc & talia dum refert ſupinus,
11. Illas purpureas & arrogantes
12. Juſſit ſurgere Lectius lacernas.

Verſ. 1. *Edictum*, *&c.* Edixerat Domitianus, ne cui liceret ſedere in 14. primis theatri gradibus, niſi qui revera eques eſſet, ac cenſum equeſtrem haberet. Hanc legem antea tulerat anno U. C. 685. L. Roſcius Otho, tribunus pl. Eandem conſuetudo ferme abrogaverat: nuper a Domitiano revocatam laudabat Phaſis quidam, qui ſe gerebat pro equite, quamvis merus libertus eſſet; cum ſubito Lectius deſignator, is videlicet, qui ſua ſingulis loca deſignabat, hominem agnoſcens, ejecit, & inter equites ſedere vetuit. Vide Ep. 14. hujus Libri.

2. *Certiora*. Non a quolibet promiſcue occupanda, ſed equitibus certis ac veris deſtinata.

3. *Puros*. Vacuos ab iis, qui equites non eſſent.

5. *Purpureis*. Quibus equites utebantur. De lacernis dict. Ep. 78. Lib. 1. 26. Lib. 2.

7. *Tandem*, *&c.* Verba ſunt Phaſidis.

9. *Inquinamur*. Quaſi plebis ſordidæ commercio & vicinia contaminaretur ejus veſtis & dignitas.

10. *Supinus*. In cathedra vel ſubſellio molliter ac otioſe in tergum porrectus, & quaſi cubans.

11. *Illas*. Phaſidem illis purpureis lacernis ſuperbum.

IX.

In medicum.

1. Languebam; sed tu comitatus protinus ad nos
2. Venisti centum, Symmache, discipulis:
3. Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ;
4. Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Vers. 1. *Languebam.* Non ægrotabam omnino, sed minus commode valebam.

2. *Discipulis.* Celebres medici cum aliquem ægrotantē invisérent, eo secum suos discipulos, quasi in rem præsentem, deducebant, ut proficerent ex ægroti conspectu, & magistri præceptionibus.

3. *Tetigere.* Ut venæ pulsum explorarent.

4. *Nunc.* Ex quo me tuorum discipulorum frigidæ manus & imperitæ tetigerunt.

X.

Fama morte venalis.

1. Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
2. Et sua quod rarus tempora lector amat?
3. Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores
4. Præferat antiquos semper ut illa novis.
5. Sic veterem ingrati Pompeji quærimus umbram;
6. Sic laudant Catuli vilia templa senes.
7. Ennius est lectus salvo tibi Roma Marone;
8. Et sua riserunt sæcula Mæoniden;
9. Rara coronato plausere theatra Menandro;
10. Notat Nasonem sola Corinna suum.
11. Vos tamen o nostri ne festinate libelli,
12. Si post fata venit gloria, non propero.

Vers. 2. Et raro lector amat, laudatque scriptores, qui eodem, atque ille, vivunt tempore.

5. Sic requirimus & desideramus veterem Pompeji porticum, ingrati, quia fastidimus tot egregias ambulationes a viris clarissimis extructas.

Umbram. Ita vocat Pompeji porticum, variis arboribus consitam.

6. Et senes, nempe laudatores temporis præteriti, prædicant, extolluntque capitolium, quod olim a Catulo perfectum ac dedicatum fuit, licet fuerit a Domitiano magnificentius refectum

fectum & ornatum : atque adeo vile ſit capitolium Catuli, præ capitolio Domitiani. De capit. vide Ep. 42. l. 4.

Catuli. Capitolium a Servio Tullio ædificari cœptum, a Tarquinio Superbo abſolutum, poſt quadringentos admodum annos deflagravit : inſtaurare illud cœpit Sylla, perfecit Lutatius Catulus, cujus nomen veſtibulo præfixum manſit uſque ad ævum Vitellii, ſub quo iterum conflagravit ; a Domitiano poſtea refectum fuit. Codices nonnulli recentiores præferunt *Julia Templa*, quaſi capitolium vocaretur hoc in loco templum Julium, quia legitur apud Dionem Lib. 43. decretum fuiſſe ut eraſo Catuli nomine, ſubſtitueretur Cæſaris nomen. Sed id factum non fuiſſe, licet decretum fuerit, conſtat ex Tacito, qui affirmat Catuli nomen manſiſſe uſque ad ævum Vitellii. Tum, quæ iſta latinitas eſt. *Julia templa Catuli*?

7. Sic Romani laudaſtis ac legiſtis ; dum Virgilius adhuc ſalvus & vivus eſſet, Ennium, quamvis inferiorem Virgilio : Ennius poeta Latinus antiquiſſimus, Rudiis (oppidum eſt Calabriæ) natus, Scipionis Africani majoris (de quo fit mentio Ep. 2. lib. 2.) æqualis fuit, ejuſque res geſtas ſcripſit, ingenioſo verſu, at rudi & impolito.

8. *Mæonidem*. Homerum, a Mæone patre, vel a patria Mæonica, minoris Aſiæ regione, ſic dictum.

9. Raro coronatus eſt in theatro Menander, & plauſu ſpectatorum cohoneſtatus.

Menandro. Fuit Menander poeta Comicus inſignis, cujus comœdias pleraſque latinas e Græcis fecit Terentius. Obiit Olimpiadis 121. anno 4. qui eſt 461. ab U. C.

10. *Naſonem*. Ovidium : fuit autem Corinna poetria, Ovidii amica. Ea igitur, inquit, ſola Ovidium magni faciebat, ceteri hunc velut ignorabant. Hyperbole.

11. *Ne feſtinate*. Gloriam ſcilicet vobis debitam quærere : ſi morte tantum emitur, nihil me urget, nondum vitæ me pœnitet.

XI.

Poeta manum eruditam laudat.

1. Sardonychas, ſmaragdos, admantas, jaſpida, uno
2. Verſat in articulo Stella, Severe, meus :
3. Multas in digitis, plures in carmine gemmas
4. Invenies ; inde eſt hæc, puto, culta manus.

Verſ. 1. *Smaragdos*. Penultima ſyllaba corripitur in hac voce, Græcorum more, qui ſyllabam ante duas mutas poſitam aliquando corripiunt, ut primam in voce Δάκτυλος : ſecundam in voce, Ἀγήνωρ.

2. *Articulo*. Digiti intermedio, digito.

4. Sententia eſt. Eius manus non tam culta & elegans eſt propter tot gemmas, quas geſtat in annulo, quam propter verſuum, quos eadem ſcribit, elegantiam, in quibus plures ſunt gemmæ quam in ipſis digitis, & annulo.

Inde. Ab elegantia, & gemmis carminum.

XII.

Annuli gemma.

1. Quod nutantia fronte pertinaci
2. Geſtat pondera Maſthlion ſuperbus.
3. Aut grandis Linus omnibus lacertis
4. Septem quod pueros levat, vel octo;
5. Res non difficilis mihi videtur:
6. Uno cum digito; vel hoc, vel illo,
7. Portet Stella meus decem puellas.

Verſ. 1. Ordo vocum eſt. Non videtur mihi res difficilis factu aut creditu, quod Maſthlion geſtet ſtabili, erecto, & ad ferendum quaſi obſtinato capite, pondera alta & nutantia: aut quod Linus ambobus brachiis ſæpe attollat octo pueros, &c. Legendum putat ex optimo codice Scriverius, *fronte perticata*, quia ſolebant iſti præſtigiatores in media frontis reſupinatæ area, perticam vel contum, quaſi arborem radicibus humi defixam, gerere: ut diſertis verbis docet Chryſoſtomus Libro de jurejurando.

2. *Maſthlion*, *Linus*. Homines hoc tempore valentiſſimi: aut circulatores, & agyrtæ circumforanei.

7. *Puellas*. Gemmam, in qua erant expreſſæ effigies Muſarum novem, & Janthidis, quæ uxor Stellæ erat. Sic dicitur Pyrrhus habuiſſe gemmam, in qua novem Muſæ cum Apolline ſculptæ ſeu impreſſæ a natura, non ab arte, viſebantur.

XIII.

Poeta dives.

1. Sum, fateor, ſemperque fui, Calliſtrate, pauper:
2. Sed non obſcurus, nec male notus eques:
3. Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic eſt:
4. Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit,
5. At tua centenis incumbunt tecta columnis,
6. Et libertinas area flagellat opes.
7. Magnaque Niliacæ ſervit tibi gleba Syenes;

8. Non-

8. Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
9. Hoc ego, tuq; ſumus: ſed quod ſum, non potes eſſe;
10. Tu quod es, e populo quilibet eſſe poteſt.

Verſ. 2. *Male notus*. Ob vitia infamis, quales multi equites tunc erant.

Eques. Nomen & jura equitum habebat Martialis, at equeſtri cenſu carebat, ac vera dignitate, pag. 218.

4. Famam quam pauci poſt mortem ſunt adepti, vivus ego ſum conſecutus.

6. Libertinas. Ingentes: Liberti enim plurimi, Cæſarum ævo, ad immodicas & invidendas opes pervenerant, tales illi Pallas, Criſpinus, Narciſſus.

6. Flagellat. Vide Lib. 2. Ep. 27.

7. Plurima in Ægypto prædia poſſides. Ad *Syenem* urbem Ægypti, de qua meminit Lib. 1. Ep. 71.

Parma. Civitas Galliæ Ciſalpinæ, ſuis tunc lanis inclyta.

9. *Ego*. Pauper, at clarus ob eruditionem, & ingenium: *tu*, dives tantum.

Quod ſum. Doctus, illuſtris, &c. *Quod es*. Locuples.

XIV.

Eques ſtans, & ſedens.

1. Sedere primo ſolitus in gradu ſemper,
2. Tunc cum liceret occupare, Nannejus,
3. Bis excitatus terque tranſtulit caſtra,
4. Et inter ipſas pene tertius ſellas
5. Poſt Cajumque Luciumque conſedit.
6. Illinc cucullo proſpicit caput tectus,
7. Oculoque ludos ſpectat indecens uno:
8. Et hinc miſer dejectus in viam tranſit,
9. Subſellioque ſemifultus extremo,
10. Et male receptus altero genu, jactat
11. Equiti ſedere, Lectioque ſe ſtare.

Verſ. 1. *Solitus*. Ante Domitiani edictum (de quo vide 8. Ep. hujus Libri) Inter ſedes aſſignatas ſpectatoribus in amphitheatro primæ Senatoribus erant deſtinatæ, & hic locus totus Orcheſtra vocabatur. Proxime equentes, equitibus; & in gradus 14. diviſæ erant. Reliqua ſedilia populus occupabat.

3. *Excitatus*. Surgere juſſus a Lectio deſignatore. Vide idem Ep. 8.

3. *Caſtra*. In alium locum ſellam ſuam tranſtulit, ut Imperator aliquis caſtra mutaturus alio ſarcinas, & impedimenta deportat.

4. Et inter duorum equitum, Caii. Luciique, ſellas,

pone illos tamen, ſuam interpoſuit ſellam, adeo ut medium & tertium quemdam obtinere locum videretur.

6. Cucullo. Ep. 47. Lib. 1.

7. Uno. Vel quia ita ſedebat, ut nonniſi oblique ſpectare poſſet, vel quia ita caput habebat obvolutum (ne agnoſceretur) ut uno tantum commode oculo cerneret.

8. In viam. Quæ intercedebat inter cuneos. Intervalla quædam inter ordines erant, quibus a ſummo theatro ad imum deſcendebatur: illæ remitæ a populo plerumque occupabantur.

10. Vix admiſſus ac dimidia parte ſedens extrema ſcamni parte, equitibus jactat ſe inter equites ſedere: cum autem a Lectio excitatur, contendit ſe non ſedere, ſed in via ſtare, quod plebejis concedebatur.

XV.

Innoxia carmina.

1. Quintus noſtrorum liber eſt, Auguſte, jocorum,
2. Et queritur læſus carmine nemo meo:
3. Gaudet honorato ſed multus nomine lector,
4. Cui victura meo munere fama datur.
5. Quid tamen hęc proſunt quāvis venerātia multos?
6. Non proſint ſane, me tamen iſta juvant.

Verſ. 6. Nihil ſane utilitatis accipio a meis carminibus; non fio ditior: at plurimum ab iis capio voluptatis: otium ſuaviter fallo, rem multis gratam facio, quos veneror, & celebro in meis epigrammatis.

XVI.

Carmina ſterilia.

1. Seria cum poſſim, quod delectantia malim
2. Scribere; tu cauſa es, lector amice, mihi.
3. Qui legis, & tota cantas mea carmina Roma;
4. Sed neſcis quanti ſtet mihi talis amor.
5. Nam ſi falciferi defendere templa Tonantis,
6. Sollicitiſque velim vendere verba reis;
7. Plurimus Hiſpanas mittet mihi nauta metretas,
8. Et fiet vario ſordidus ære ſinus.
9. At nunc conviva eſt, comiſſatorque libellus,
10. Et tantum gratis pagina noſtra placet.
11. Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,

12. Cum

12. Cum minimum vati munus Alexis erat.
13. Belle, inquis, dixti: satis est; laudabimus usque.
14. Dissimulas? facies me puto causidicum.

Vers. 4. *Quanti*. Quanto labore, tempore, inutili opera, inopia. *Amor*. Studium tibi gratificandi.

5. Si velim agere causas in foro. Ibi templum erat Saturni, qui vulgo cum falce pingitur *Defendere templa*, pro, defendere causas in tamplo.

8. 9. Multi clientes navium Hispanarum magistri, a me defensi mittent mihi vinum Hispanum: & mihi sinus ære sordido, pecunia, implebitur. Metreta vas quoddam est, seu mensura, continens decem congios, sive sextarios 60. hic cadum vini aut olei significat. Lege Budæum Lib. 5. de asse.

10. At nunc mei libelli tantum in conviviis leguntur; & ita placent, ut nihil ob illos mercedis poetæ auctori detur.

12. *Alexis*. Mancipium, servulus Virgilio a Mæcenate datus. Vide Satyr. 7. Juvenalis, in qua fuse agitur de sterili poetarum arte. Sententia est: veterés poetas non exiguis fuisse contentos muneribus, ipsumque Virgilium pro minimo munere accepisse servulos, cum praterea opes amplas ex arte poetica consequeretur.

13. *Belle, &c.* Fingitur hæc aliquis Roman. & ingratus lector dicere. O Martialis, candide loqueris, belle scribis: perge scribere, pergemus te laudare.

14. Atqui reponit Martialis, aliud ac laudes tuas, o lector, quæro. An dissimulas te intelligere, quid velim? Si hoc est, coges me poeticam deserere, fiam causidicus, plus faciam lucri.

XVII.

In feminam superbam.

1. Dum proavos, atavosq; refers, & nomina magna;
2. Dum tibi noster eques sordida conditio est:
3. Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
4. Nubere, nupsisti, Gellia, cistifero.

Vers. 1. *Refers*. Narras, venditas.

2. *Conditio*. Gallice, *un parti, une dote, un matrimonio*. Dum putas virú equestri loco natum, præ te ignobilem esse, & indignum, cui nubas. *Noster*. Romanus vel, quia Martialis eques erat.

3. *Lato Clavo*. Senatori: nam senatorum propria vestis dicebatur Latus Clavus, seu tunica purpureis quibusdam globulis, qui capita clavorum imitabantur, ornata; eaque amplior, cum

esset angustior tunica equitum. Erant autem illi clavi purpureis plagulis ante pectus demissis insuti. Lib. IV. *Ep.86.*

4. *Ciſtifero.* Sacrificulo Cybeles, homini vilissimo. Ciſtiferi dicebantur qui ferebant ciſtas, in quibus erat factorum suppellex. Decepta igitur Gellia, cum se nubere senatori putaret, nupserat isti ciſtifero: vel ob inopiam id facere coacta erat. Dicebantur etiam senatores quidam Ciſtiferi, qui ciſtas suffragiorum in comitiis custodirent: de quibus explicat argute hoc epigr. interpres Plinianus T. 5. p. 80.

XVIII.

Pauper liberalis.

1. Quod tibi Decembri menſe, quo volant mappæ,
2. Gracileſque ligulæ, cereique, chartæque,
3. Et acuta ſenibus teſta cum Damaſcenis,
4. Præter libellos vernulas nihil miſi:
5. Fortaſſe avarus videor, aut inhumanus.
6. Odi doloſas munerum & malas artes.
7. Imitantur hamos dona; namque quis neſcit
8. Avidum vorata decipi ſcarum muſca?
9. Quoties amico diviti nihil donat,
10. O Quinctiane, liberalis eſt pauper.

Verſ. 1. *Mappæ.* Menſe Decembri celebrabantur Saturnalia: Romani ſibi invicem munera tunc miſſitabant, mappas, ligulas, &c. *Volant.* Ultro, citroque mittuntur.

2. *Ligulæ.* Ligula, quaſi lingula, res varias ſignificat: gladiolum argenteum in linguæ tenuis & gracilis morem factum; ſpathulam chirurgicam, vaſculum quoddam, tæniam qua ligantur calcei, &c.

3. *Acutæ teſtæ.* Vas fictile in acumen deſinens metæ ritu, qua propter etiam turbo vocabatur.

Damaſcenis. Prunise Damaſco, *Damas*, Syriæ civitate, advectis, ut hodieque fit. *Senibus*, rugoſis, exſiccaris furno, ſole, fumo.

4. *Vernulas.* Domi natos & ſcriptos. Verna eſt ſervus natus domi.

8. *Scarum.* Piſcis eſt quidam.

Muſcæ. Quæ illi pro eſca in extremo hamo porrigitur. Legitur ab aliis aliter verſiculus. *Avidum vorato decipi ſcarum muſco*: ac *muſcum* interpretantur algam, & alia id genus. Profert Brodæus locum Ariſtotelis ab Athenæo citatum, quo teſtatur ſcarum libenter alga veſci, & illa capi a piſcatoribus.

10. *Liberalis eſt.* Quia divitis rationibus conſulit. Si quid enim diviti daret, afferret illi neceſſitatem aliquâ doni majoris reddendi.

Libe-

XIX.

Liberalitas principum.

1. Si qua fides veri, præferri, maxime Cæſar,
2. Temporibus poſſunt ſæcula nulla tuis.
3. Quando magis dignos licuit ſpectare triumphos,
4. Quando Palatini plus meruere Dei?
5. Pulchrior & major quo ſub duce Martia Roma?
6. Sub quo libertas principe tanta fuit?
7. Eſt tamen hoc vitium, ſed non leve, ſit licet unum,
8. Quod colit ingratas pauper amicitias.
9. Quis largitur opes veteri, fidoque ſodali?
10. Aut quem proſequitur non alienus eques?
11. Saturnaliciæ ligulam miſiſſe ſelibræ,
12. Flammatæve togæ ſcriptula tota decem,
13. Luxuria eſt, tumidiq; vocant hæc munera reges,
14. Qui crepet aureolos forſitan unus erit.
15. Quatenus hi non ſunt, eſto tu, Cæſar, amicus,
16. Nulla ducis virtus dulcior eſſe poteſt.
17. Jam dudum tacito rides, Germanice, naſo,
18. Utile, quod non vis, do tibi conſilium.

Verſ. 1. Si res, uti eſt, creditur: ſi veritas fidem obtinet.

3. *Magis dignus*, Apparatu majori factos, urbe Roma digniores:

4. Quandonam Dii, quos Imperatores præcipue colere ſolent, plus honoris meriti & conſecuti ſunt? quando plures illis ædes ſacræ, v. g. vel ſtatuæ, &c. erectæ? Jovis Capitolium ornavit Domitianus, Minervam coluit impenſe, &c. Vel, quandonam illi ipſi meruere, ut a nobis impenſius colerentur, quam nunc cum Domitianum nobis dedere, cum eumdem nobis ſervant, & florentem ſub illo rempub. præſtant? Exponere ſic malim.

8. Quod pauperes & obſcuri cives colunt & obſervant patronos, & amicos divites, at ingratos, a quibus nihil pro ſuis obſequiis accipiunt.

10. Quis eques non alienus proſequitur beneficiis veterem & fidum ſodalem? Nemo unus.

Non alienus. Verus eques vere dives ac nobilis. Equitum triplex genus erat: alii ſtirpe & cenſu, qui oriundi ex equitibus, & cenſum equeſtrem habebant alii, qui in acie ſtipendia faciebant equo: tertii, quibus honoris cauſa nomen equitis dabatur,

tur, & jus ſedendi in 14. primis ordinibus; qui alieni dicuntur hoc in loco, id eſt, quaſi inſititii & nothi, erantque interdum pauperes & ignobiles. Talis erat Martialis.

11. Ordo eſt; Reges, id eſt hoc in loco, divites Romani, putant luxurioſa, hoc eſt, ampla eſſe munera, ſi per Saturnalia miſerint amicis ligulam, quæ pendat ſelibram, ideſt, ſemilibrá argenti; aut togam purpuream (quam flammatam vocat a flammæ ardentis ſimilitudine) cujus pretium ſint decem ſcriptula. De ligula vide ſupra Ep. 18. De ſcrupulo, ſeu ſcriptulo, Ep. 74. Lib. 4.

Selibræ. Libra, ſeu pondo dividebatur in uncias 12. Sextans ſunt unciæ duæ; Quadrans, tres; Triens, quatuor; Quincunx, quinque; Semis, ſeu ſelibra, ſex unciæ; Septunx, ſeptem; Bes, octo; Dodrans, novem; Dextans, decem; Deunx, undecim. De libra aurea & argentea dixi Lib. 2. Epigr. 54.

14. Reperiretur fortaſſe aliquis unus, qui det aliquot nummulos aureos, qui eos cum ſtrepitu ſonante numeret, ad oſtentandam liberalitatem.

Aureolo. Volunt plerique aureum Romanum æſtimatum fuiſſe denariis 25. hoc eſt, libris Turonenſibus 10.

16. Siquidem iſti divites patroni non ſunt liberales, atque adeo vere amici non ſunt, tu eſto liberalis, & amicus, o Cæſar.

16. *Dulcior*. Quam munificentia.

17. *Rides*. Quia non vis amicus eſſe hac mercede, & ea lege, ut munera tribuas.

Germanice. Dixi jam ſæpius Domitianum ita vocatum fuiſſe, quod videri vellet Germanos debellaſſe.

18. *Utile*. Do tibi conſilium, quod mihi utile eſt, ac tibi etiam, utpote honorificum; ſed quia ſumptus aliquis faciendus eſſet, ideo illud conſilium non vis, non probas. Carpit eos principes, quibus placent amici, ſed qui gratis conſtent, quibus nihil dandum ſit. Sunt qui legant; *Utile quod nobis, do tibi conſilium*.

Hoc epigramma, licet in duo divulſum vulgo legatur, tamen viri doctiſſimi unum atque idem eſſe exiſtimant.

X X.

Beata vita.

1. Si tecum mihi, chare Martialis,
2. Securis liceat frui diebus;
3. Si diſponere tempus otioſum,
4. Et veræ pariter vacare vitæ:
5. Nec nos atria, nec domos potentum,
6. Nec lites tetricas forumque triſte
7. Noſſemus, nec imagines ſuperbas.

8. Sed

8. Sed geſtatio, fabulæ, libelli,
9. Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ;
10. Hæc eſſent loca ſemper, hi labores.
11. Nunc vivit ſibi neuter, heu! bonoſque
12. Soles effugere atque abire ſentit;
13. Qui nobis pereunt, & imputantur.
14. Quiſquam vivere cum ſciat, moratur?

Verſ. 1. *Martialis*. Julius Martialis, ut antea dictum, Marci Val. Martialis amicus, & vir doctus.

3. *Diſponere*. Partiri in certas occupationes.

Otioſum. Sic vocat tempus, quod non gravibus curis ac negotiis datur, ſed levioribus quibuſdam & optivis.

4. *Veræ*. Quæ in quiete ac tranquilitate animi conſiſtit.

5. *Potentum*. Qui a ſalutatoribus, aſſectatoribus, & ceteris clientibus, operoſe atque ambitioſe coluntur.

7. *Nec imagines*. Non gloriaremur multitudine imaginum, in atrio domus poſitarum. De illis actum Lib. 2. Ep. 65. Vel, non coleremus divites, qui ejuſmodi imaginibus gloriantur.

8. *Geſtatio*. Vectio, deportatio. In rhedis, aut lecticis deportari ſe jubebant, per hortos, in porticibus: interdum geſtatio locum ipſum, ubi geſtabantur, ſignificat.

9. *Campus*. Martius, in quo exercebantur, luctando, currendo, &c.

Virgo. Aqua virgo. Hanc Agrippa deduxit Romam, via Præneſtina. Virginis habuit nomen, Plinio teſte, quia Herculaneum, rivum propinquum, refugere videtur. Alias ejuſdem cognomenti cau as affert eruditus Plinii interpres Lib. 31. c. 3. n. 25. pag. 792. tom. 4.

11. *Neuter*. Neque ego, nec tu.

13. *Et imputatur*. Putantur & quaſi ſcribuntur in ſumma & rationibus vitæ noſtræ, licet vitam veram & ſuavem non vivamus.

14. Adeone quemquam inſanire, ut cum faciat, quibus rebus vitam vivere beatam poſſit, id facere cunctetur?

XXI.

Rhetor felicis memoriæ.

1. Quintum pro Decimo, pro Craſſo, Regule, Maeru
2. Ante ſalutabat rhetor Apollonius:
3. Nunc utrumque ſuo reſultat nomine. Quantum
4. Cura, laborque poteſt! ſcripſit, & edidicit.

Verſ. 1. *Macrum* Malim, quam Marcum, ut codices quidam legunt: Macer enim opponitur magis Craſſo:

so; ut Quintus, Decimo. Atque ita indicatur magis Appollonii tarditas, qui tam disjuncta nomina non posset distinguere, nisi ea scriberet, ediscerentque.

XXII.

Patronus vigil.

1. Mane domi nisi te volui, meruique videre,
2. Sunt mihi, Paulle, tuæ longius Exquiliæ.
3. Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
4. Quæ videt antiquum rustica Flora Jovem:
5. Alta Suburrani vincenda est semita clivi,
6. Et nunquam sicco sordida saxa gradu:
7. Vixque datur longas multorum rumpere mandras.
8. Quæque trahi multo marmora fune vides.
9. Illud adhuc gravius, quod te post mille labores,
10. Paulle, negat lasso janitor esse domi.
11. Exitus hic operis vani, togulæque madentis;
12. Vix tanti Paullum mane videre fuit.
13. Semper inhumanos habet officiosus amicos:
14. Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

Vers. 1. 2. *Mane, &c.* Sententia est. Profecto volui & merui te videre mane, ac salutare, o Paulle. Volui, quia adii domum tuam, ut te salutarem; merui, quia longam idcirco viam confeci, diu domi tuæ te expectavi: ac, si non ita est ut dico, precor ut domus tua, quæ a mea est remotissima, utpote in Exquiliis posita, sit adhuc remotior.

3. 4. *Tiburtinæ pilæ.* Maneo prope pilam Tiburtinam, eo loco ubi templum est Floræ, contra Capitolium. Hæc pila columna quædam lapidea erat, prope viam & portam, quæ ducebat Tibur, (de quo lege Ep. 51. Lib. 4.) non procul a capitolio, e regione autem capitolii visebatur templum Floræ, hortorum Deæ.

Jovem. Templum Jovis, in capitolio. Supra, Ep. 10. & 5. *Suburrani.* Suburra, vicus Romæ celebris, qui a foro Romano per forum Nervæ, protendebatur usque in Esquilinum montem. Ep. 15. lib. 12. Hæc via fere semper cænosa erat ob vicinum macellum. *Vincenda.* Magno labore erependa, & superanda.

6. *Saxa.* Gradus quidam e saxo, per quos ascendebatur, in suburrano clivo.

7. *Mandræ.* Est mandra, multitudo mulorum, qui sæpe viam impediunt.

8. *Trahi.* Plaustris, machinis.

10. *Lasso.* Mihi.

11. *Exi-*

11. *Exitus, &c.* Hoc lucri facio videlicet, poſt iter longum, ut redeam, te non viſo. *Madentis.* Imbre, ſudore.

12. Quamvis certum foret te domi tuæ repertum iri, vix tamen idcirco tantus labor, tantum iter fuiſſet ſuſcipiendum. Quanto minus ſi te viſurus non ſum?

13. 14. Qui eſt officioſus, ideſt, hoc in loco, forenſibus officiis, negotiiſque deditus, quique adeo domi ſuæ raro eſt, qui ſummo mane forum adit. Sic Horatius vocat operam forenſem & laborem *officioſam ſedulitatem* Epiſtola 7. Libri 1. Et ibidem *redire ab officiis* ponit pro, reverti a foro, & dicendis cauſis. Paullus autem iſte cauſidicus inſignis erat. Homo igitur officioſus fere ſemper amicos habet inhumanos, inurbanos, & in eo colendo, ſalutandoque, parum felices: itaque non eris, o Paulle, patronus & rex meus, niſi te contineas mane domi, & dormias; ibique tuos clientes & ſalutatores expectes. Sic acute Paullum laudat. Poteſt etiam id explicari ſimplicius: homo urbanus & officioſus raro invenit amicos, qui humani ſint, qui ejus urbanitati reſpondeant, qui ſint domi, cum eos convenit.

XXIII.

In fictum equitem.

1. Herbarum fueras indutus, Baſſe, colores,
2. Jura theatralis dum ſiluere loci;
3. Quæ poſtquam placidi cenſoris cura renaſci
4. Juſſit, & Oceanum certior audit eques:
5. Nonniſi vel cocco madida, vel murice tincta
6. Veſte nites; & te ſic dare verba putas.
7. Quadringentorum nullæ ſunt, Baſſe, lacernæ:
8. Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

Verſ. 1. *&c.* Dum lex theatralis, quæ vetat, ne quis præter equites ſedeat in 14. primis poſt orcheſtram ordinibus, non viguit; tu, licet vili veſte, ac viridis coloris, indutus, tamen inter equites ſedebas: at poſtquam Cenſor hanc legem revocavit, veluti ſepultam oblivione; poſtquam ſedilium aſſignatorem Oceanum eques certior, & ab non equite diſtinctior quam antea, audit ſua ſibi loca deſignantem; tu veſtem purpuream ſumpſiſti, quaſi decepturus homines & pro equite habendus, ob veſtis nitorem & pretium: falleris: nullæ enim lacernæ, quamvis purpureæ, ſunt, id eſt, æſtimantur; valent quadringenta ſeſtertia; non facit veſtis, ut aliquis habeat cenſum 400. ſeſtert. alioquin, amicus meus Codrus, licet egentiſſimus, equea

ques esset, coccineis enim interdum vestibus utitur.

Herbarum. Feminæ, & pueri, gerebant sæpe vestem viridis coloris.

Censoris. Quidam hic significari Domitianum volunt, qui cum censuram gereret, quam octavo consulatu perpetuam sibi decerni jussit, leges de theatri ordinibus, & alias revocavit. De loco equitibus & senatoribus assignato dixi supra, Epig. 8. & 14.

Cocco. Ep. 33. lib. 2.

XXIV.

Hermetis gladiatoris encomium.

1. Hermes Martia sæculi voluptas;
2. Hermes omnibus eruditus armis;
3. Hermes & gladiator, & magister;
4. Hermes turba sui tremorque ludi;
5. Hermes quem timet Ælius, sed unum,
6. Hermes cui cadit Advolans, sed uni,
7. Hermes vincere, nec ferire, doctus;
8. Hermes supposititius sibi ipsi;
9. Hermes divitiæ locariorum;
10. Hermes cura laborque ludiarum;
11. Hermes belligera superbus hasta;
12. Hermes æquoreo minax tridente;
13. Hermes casside languida timendus:
14. Hermes gloria Martis universi;
15. Hermes omnia solus, & ter unus.

Vers. 1. Qui Romanos hoc sæculo viventes, sua in pugnis gladiatoriis fortitudine ac industria præcipue oblectat.

2. *Armis*. Quænam fuerint gladiatorum arma, vide infra, in postremis notis hujus epig.

3. *Magister*. Qui gladiatoriam artem docet, lanista nuncupatur.

4. *Turba*. Perturbatio, terror: qui ludum gladiatorium, hoc est, ceteros gladiatores ejusdem secum familiæ & ordinis, exanimat ac perturbat, metuentes ne ab eo vincantur. Porro erant variæ gladiatorum familiæ, certis quibusdam distinctæ coloribus & insignibus: vide Juvenalem, Sat. XI. sub finem.

5. *Ælius*. Nobilis Gladiator, tunc notus. Unum Hermetem Ælius timet, alium præterea neminem.

6. *Cui cadit*. A quo cadit, a quo vincitur. Cujus pedibus victus advolvitur. *Advolans*. Nomen gladiatoris.

7. Doctus vincere, quamvis non feriat adversarium.

v. gr.

v. gr. quia illum antevertit, exarmat; & ſic incruentam auſert victoriam: vel, quia victo & jacenti ſponte parcit.

8. *Suppoſititius*. Suppoſititii appellabantur gladiatores, cum ſufficiebantur in locum aliorum, qui feſſi, aut ab alio gladiatore victi forent. Hermes non indiget ſuppoſititio gladiatore, nunquam defatigatur, ſed ipſe ſemper integer ac recens ſe ſibi quaſi ſupponit.

9. *Locariorum*. Locarii vocabantur qui loca, unde ſpectari commode poſſet, ac ſubſellia pretio accepto, aliis dabant. Interdum pauperes divitibus tardius advenientibus ſua ſedilia magno vendebant.

10. Pro quo uno, ludiæ ſunt ſollicitæ; quem unum maxime ſalvum cupiunt. Ludiæ ſunt mulieres, quæ artem hiſtrionicam exercent, quæ mimos & alias id genus fabulas ac ſpectacula exhibent, in iiſque faciunt quæſtum, cum frequens eſt ſpectator.

11. *Haſta*. Gladiatores antequam ſerio pugnam inirent, præludere ſolebant vibrandis haſtis, iique maxime, qui Samnites vocantur. Id magno cum plauſu faciebat Hermes.

12. *Tridente*. Erant inſignia duo genera gladiatorum, nempe Retiarius & Mirmillo. Retiarius geſtabat rete ac tridentem; Mirmillo galeam, cujus in apice piſcis ex ære viſebatur; & enſem recurvum. Conabatur Retiarius implicare caput Mirmillonis, eumque ſuo tridente confodere. Lege Præfat. Libri 2.

13. Quid ſit caſſis languida, recte Lipſius explicat lib. 2. Satun. cap. 12. ea nempe, qua utebantur gladiatores Andabatæ, qui pugnabant ex equis, unde dicti ἀναβάται, id eſt, aſcenſores, & littera *d*, in latina voce interjecta, Andabatæ. Iidem oculos galea obtegebant, quam idcirco appellare languidam videtur vates, quia cum incerto paſſu & languenti, huc illuc temere titubanterque, inſtar cœcorum, irent, ipſorum galea nutare pariter, & quaſi languere videbatur. Sic omnia gladiatorum genera percurrit. Samnitium, qui utebantur maxime haſta; Retiariorum, qui tridente; Andabatarum qui galea. Hæc tamen galea non impediebat, quominus Hermes certos ictus vibraret ac timendus eſſet. Quocirca verſ. 14. & 15. recte colligit in univerſis generibus Martis gladiatorii Hermetem excelluiſſe, & ſolum omnia præſtitiſſe, ac unum tribus parem fuiſſe: nimirum Samnitibus, Retiaris, Andabatis, atque adeo ter unum fuiſſe, id eſt, tergeminum, tribus parem; qui nempe tantum poſſet, quantum tres alii, quantum omnes triplicis generis & ordinis gladiatores.

XXV.

Rara liberalitatis gloria.

1. Quadringenta tibi non ſunt, Chæreſtrate, ſurge,
2. Lectius ecce venit: ſta, fuge, curre, late.
3. Ecquis, io, revocat, diſcedentemque reducit?
4. Ecquis, io, largas pandit amicus opes?
5. Quem chartis famæq; damus; populiſque; loquendū;
6. Quis Stygios non vult totus adire lacus?
7. Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
8. Spargere, & effuſo permaduiſſe croco?
9. Quam non ſenſuro dare quadringenta caballo
10. Aureus ut Scorpi naſus ubique micet?
11. O fruſtra locuples, o diſſimulator amici,
12. Hæc legis & laudas? quæ tibi fama perit?

Verſ. 1. Finxit equitem pauperem, ex equitum ſedilibus deturbari; ac dolet eſse neminem, qui egenti largiatur aliquid, unde ſuum ille gradum tueri ac dignitatem poſſit. *Quadringenta.* Vide ſuperiora epigrammata octav. & decimum tertium.

Lectius. Qui ſuas ſingulis ſedes aſſignabat.

3. 4. 5. Quis Chæreſtratum ob inopiam ex equitum ſedilibus fugientem revocat, datque illi ſeſtertia 400. ut iis fretus jam locum inter equites habere poſſit? Certe ſi quis id faceret, eum chartis & Muſis omnibus loquendum ac celebrandum mandaremus, nec ille totus periret, ſed majore ſui parte, & immortali fama ſuperſtes foret.

7. 8. 9. 10. At, ambo, non ne ſatius eſset, uti hac in Chæreſtratum liberalitate, hanc famam ſibi comparare, quam roſis theatrum ſpargere, & croco? quam impendere ſeſtertia 400. ad ponendam equeſtrem ex ære inaurato ſtatuam Scorpo equorum agitatori?

Scorpi. Epigram. 55. Lib. IV.

Croco. Erant in amphitheatris tubi occulti & ſiphones, e quibus liquores odoratos ſuperne, inſtar tenuiſſimi roris, in ſpectatores emittebant: ad eos autem liquores conficiendos vulgo adhibebatur crocus aquæ vel vino dilutus. Vide Lib. Spectac. Ep. 3.

11. O tu, quicumque es, fruſtra dives, quippe qui tam prave tuas opes impendis, qui nihil efficis, quo amici leves inopiam, quam ſcire te diſſimulas; qui hæc legis, quæ dico, & fateris eſse vera, eheu! quam inſignem perdis gloriam, quæ tuæ ſcilicet liberalitatis fructus eſset!

Betæ

XXVI.

Beta togatorum.

1. Quod alpha dixi, Codre, pænulatorum
2. Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
3. Si forte bilem movit hic tibi versus,
4. Dicas licebit beta me togatorum.

Vers. 1. Jocatus erat in Codrum mendicum Libro 2. Epig. 42. ubi eum vocarat alpha, seu primum pænulatorum, id est mendicorum; pauperes enim utebantur vulgo pænula. Si te, inquit, o Codre, offendit hic meus jocus, potes me ulcisci, ac me vicissim vocare beta togatorum, hoc est, secundum inter togatos. Populus vulgo toga utebatur. Ego te primum tui ordinis appellavi: tu me appella secundum mei. Videtur se Martialis infra Codrum deprimere: tamen se illi præfert, quia multo est honorificentius esse secundum inter togatos, quam inter pænulatos primum. Germanus hic videtur esse hujus epig. sensus.

XXVII.

Eques verus.

1. Ingenium, studiumque tibi, moresque, genusque
2. Sunt equitis, fateor; cetera plebis habes.
3. Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
4. Ut sedeas viso pallidus Oceano.

Vers. 1. *Studium.* Indoles, occupationes.

2. 3. At plebejum censum habes, non equestrem; ideoque non sedes in 14. ordinibus; crede mihi facilis jactura hujus honoris est: tanti enim pretii non est, non tanti faciendum est, in 14. illis primis theatri subselliis sedere, ut metuas, ut ab Oceano, qui suas sedes equitibus attribuit, tanquam equestri censu carens, ejiciaris, sedere cum plebe jubearis. Epig. 8.

XXVIII.

In obtrectatorem.

1. Ut bene loquatur, sentiatque Mamercus,
2. Efficere nullis, Aule, moribus possis.

3. Pie-

3. Pietate fratres Curtios licet vincas,
4. Quiete Nervas, comitate Ruſones,
5. Probitate Macros, æquitate Mauricos,
6. Oratione Regulos, jocis Paullos:
7. Rubiginoſis cuncta dentibus rodit.
8. Hominem malignum forſan eſſe tu credas;
9. Ego eſſe miſerum credo, cui placet nemo.

Verſ. 2. *Nullis*. Ne integerrimis quidem & optimis. Licet moribus ſis caſtiſſimis, de te tamen detraheret Mamercus.

3. *Curtios*. Ex iis unus M. Curtius nomine, devovit ſe pro patria, & in hiatum terræ, qui medio in foro repente extiterat, armatus & equo inſidens ſeſe dimiſit, anno U. C. 392. Reſponſum enim fuerat, ita claudendam hanc voraginem, ſi in eam projiceretur id, quo populus Rom. plurimum valeret De Regulo, celebri cauſidico ſæpe antea diximus.

Nervas. Nerva Imperator, qui Domitiano ſucceſſit, otii & quietis fuit amantior. Paullus, de quo hic ſermo, nobilis patronus extitit: Rufo, Macer, ſive Marcus, Mauricus, cives primarii, tunc noti.

7. *Rubiginoſis*, Maledicis: Livor fere pallidus, & infectis rubigine dentibus, deſcribitur.

XXIX.

In mulierem invenuſtam.

1. Si quando leporem mittis mihi Gellia, dicis
2. Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
3. Si non derides, ſi verum, lux mea, narras:
4. Ediſti nunquam, Gellia, tu leporem.

Verſ. 4. *Ediſti nunquam*, &c. Quia valde deformis es.

Leporem. *Sumpto in cibis lepore*, inquit Plinius libro 28. c. 19. *vulgus gratiam corpori in* VII. *dies fieri arbitratur, frivolo quidem joco, cui tamen aliqua debeat ſubeſſe cauſa, in tanta perſuaſione*: Cauſam ipſe non affert. Non deſunt, inquit Eraſmus, qui hanc vulgi opinionem inde ortam ſuſpicentur, quod homines lepidos & ſermonis leporem, latine dicamus: atque adeo lepori cum lepore, & venuſtate aliquo pacto conveniat.

Suum

XXX.

Suum amico librum mittit:

1. Varro, Sophocleo non inficiande cothurno,
2. Nec minus in Calabra ſuſpiciende lyra,
3. Differ opus: nec te facundi ſcena Catulli
4. Detineat, cultis aut Elegia comis,
5. Sed lege fumoſo non aſpernanda Decembri
6. Carmina, mittuntur quæ tibi menſe ſuo.
7. Commodius niſi forte tibi, potiuſque videtur
8. Saturnalicias perdere, Varro, nuces.

Verſ. 1. *Inficiende*. Negande, ideſt, quem non neget, non ſpernat, Sophocleus cothurnus: qui Sophocli, tragico inter Græcos poetæ nobiliſſimo, ita ſimilis es, ut te ille ſuum ultro agnoſcat æmulum & imitatorem, ut illum tui non pudeat. Cothurni habita mentio ſupra, Epig. 5.

2. *Calabra*. Heroica poeſi latina, cujus laude floruit in primis Ennius, natus Rudiis, in Calabria: vel, poeſi lyrica, cujus princeps Horatius, natus in Apulia, Calabriæ vicina. De Ennio dictum antea, Epig. 10.

3. *Differ opus*. Operoſa carmina per iſtas Saturnalitias ferias pauliſper intermitte: leviora & jocoſa lege.

Scena. Poema tragicum a Catullo ſcriptum. Meminit Juvenalis Sat. 8. tragœdiæ, quæ inſcriberetur *Phaſma*, compoſitæ a Catullo. Et vero nomen *Scenæ*, Dramati, non Epopœjæ, convenit. Eſt ſcena proprie umbraculum, ſeu ornamentum theatri: pro ipſa tragœdia ſumitur. Noli igitur legere Tragœdias Catulli, aut elegias. Eſt Elegia carmen vulgo lugubre, conſtans alternis verſibus hexametris & pentametris, qui debent eſſe cultiores & nitidiores, ut placeant. De Catullo facta mentio eſt ep. 8. lib. 1.

5. *Fumoſo*. Ob hibernum focum.

6. *Suo*. Geniali & hilari, ideoque jocoſis epigrammatis legendis & mittendis idoneo. Saturni feſta celebrabantur menſe Decembri: tunc genio ſolebant indulgere:

8. *Nuces*. Ludere ſolebant per Saturnalia, nucibus, idque jactis talis: itaut qui talis viciſſet, nuces auferret. Lege itaque meos verſiculos, niſi mavis ludere nucibus. Ita ſua carmina deprimit, ſed ingenioſe.

XXXI.

Puerorum in tauris hærentium pugna.

1. Aſpice, quam placidis inſultet turba juvencis

2. Et

2. Et ſua quam facilis pondera taurus amet.
3. Cornibus hic pendet ſummis, vagus ille per armos
4. Currit, & in toto ventilat arma bove.
5. At feritas immota riget, non eſſet arena
6. Tutior, & poterant fallere plana magis:
7. Nec trepidant greſſus: & de diſcrimine palmæ
8. Securus puer eſt, ſollicitumque pecus.

Verſ. 2. *Sua pondera*. Pueros tauris inſidentes, & inter ſe certantes.

4. *In toto, &c.* Pueri per armos & cornua taurorum curſitantes ventilant, ideſt, agitant, & quaſſant arma ſua, v. g. tela, venabula, ſudes. Ventilare dicebantur gladiatores, cum ante pugnam ſuas quaſſabant gladios, & vanis ictibus aerem ferientes præludebant certamini.

5. 6. Tauri, natura feri & torvi, ſtant immoti, quaſi rigerent, ac ſenſus eſſent expertes; neque pueros læ-dunt, aut excutiunt: non eſſent pueri in arena, in pavimento, tutiores, quam in tergo bovis: labi facilius fallente veſtigio poſſent, in æquo & plano ſolo.

Fallere. Magis eſſe lubrica, & apta prolapſioni.

7. 8. Pueri metus expertes inſultant, inſiſtuntque tauris, & certi ſunt ſe palmam relaturos oblectando ſpectatores, hærendo firme in taurorum tergo, nihilque trepidando, &c. Ipſi tauri timent ac ſolliciti ſunt, ne victoriam impediant, ne pueros obturbent.

XXXII.

Helluonis teſtamentum.

1. Quadrantem Criſpus tabulis, Fauſtine, ſupremis
2. Non dedit uxori: cui dedit ergo? ſibi.

Verſ. 1. *Quadrantem*. Quartam aſſis partem. De libra, ſeu aſſis partibus vide lib. 2. Ep. 54. & ſupra Epigr. 19. *Tabulis ſupremis*. Teſtamento. Ep. 58. lib. 4.

2. *Sibi*. Opes omnes ſuas ventri ſuo, dum adhuc viveret, donaverat. Itaque moriens, quod uxori daret, nihil reliquum habuit: omnia, dum viveret, ligurivit.

XXXIII.

Maledico minatur ultionem.

1. Carpere cauſidicus fertur mea carmina; qui ſit
2. Neſcio: ſi ſciero, væ tibi cauſidice.

Ero-

XXXIV.

Erotii epitaphium.

1. Hac tibi, Fronto pater, genitrix Flacilla, puellam
2. Oſcula commendo deliciaſque meas:
3. Pallida ne nigras horreſcat Erotion umbras:
4. Oraque Tartarei prodigioſa canis.
5. Impletura fuit ſextæ modo frigora brumæ,
6. Vixiſſet totidem ni minus illa dies.
7. Inter tam veteres laudet laſciva patronos,
8. Et nomen blæſo garriat ore meum.
9. Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
10. Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

Verſ. 1. Martialis Frontoni & Flacille ſuis parentibus jam demortuis, Erotion puellam, vernulam ſuam, immaturo fato raptam commendat, ut eam apud inferos excipiant, a Cerbero defendant, &c.

2. *Oſcula mea*. Puellam mihi chariſſimam. His vocibus blandiebantur.

3. *Erotion*. Eſt græca vox Ἐρώτιον, & generis feminini: latine diceres Erotium; ut Glycerium, Euſtochium, feminarum nomina.

5. Sex illi dies defuere, quominus ſexennium impleret. Deceſſit ſexennis, minus ſex diebus.

7. *Patronos*. Nempe patrē, matrem, & avos ipſius Martialis, quos puella vernula jure in ſuorum patronorum habere loco poteſt, eorumq; clientela & patrocinio gaudere contra umbras ac Cerberum. Inter illos ludat & laſciviat, ideſt, huc illuc temere diſcurrat ac luſitet, more puerorum.

9. Solemnis erat formula bene precandi mortuis: illis ut eſſet terra levis, orabant.

1. *Non fuit*. Puellæ enim non magna moles, leve corpus eſt.

XXXV.

Clavis improba.

1. Dum ſibi redire de Patrenſibus fundis
2. Ducena clamat coccinatus Euclides,
3. Corinthioque plura de ſuburbano,
4. Longumque pulchra ſtemma repetit a Leda,
5. Et ſuſcitanti Lectio reluctatur;
6. Equiti ſuperbo, nobili, locupleti,

7. De-

7. Cecidit repente magna de ſinu clavis.
8. Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

Verſ. 1. Cum Euclides coccinea ſeu purpurea veſte indutus, quem deſignator Lectius ex equitum ſubſelliis dejecturus erat, clamaret ſe locupletem eſſe, ac nobilem equitem.

Patrenſibus. Patræ, *Patras*, Achajæ urbs vetus: eo colonia deducta ab Auguſto. Legitur etiam *patruelibus*: nimirum ex agris ſibi relictis a fratre & ſorore patruelibus: filii duorum fratrum patrueles appellantur; quia fratrum alter ipſis patruus eſt.

2. *Ducena*. Subaudi, ſeſtertia, quæ libras conficiunt, ſeu Francicos, ut dictitamus, nummos 20000.

Coccinatus. Vide ep. 14. l. 2.

3. Et plura ſeſtertia de agro quodam, qui eſſet in ſuburbio Corinthi, urbis celeberrimæ in Peloponneſo, ſitæ in medio Iſthmi, nunc *Corinto*.

4. *Stemma*. Jactat ſe oriundum a Leda. De hac voce, ſtemma, vide lib. 4. Ep. 32.

Leda. Fuit uxor Tyndari, mater Caſtoris & pollucis.

6. *Equiti*. Euclidi.

7. *Clavis*. Quæ ſervorum erat quaſi inſigne: ſervi enim domorum claves geſtabant ſecum, ac ſervabant.

8. *Nequior*. Quia illum eſſe ſervum oſtendit: aut ita egentem, ut careret ſervo, cui ſuæ domus claves traderet.

XXXVI.

Poeta deceptus.

1. Laudatus noſtro quidam, Fauſtine, libello,
2. Diſſimulat, quaſi nil debeat: impoſuit.

Verſ. 1. Laudaveram aliquem aliquo epigrammate meo; nimirum arbitratus me aliquid præmii & mercedis ab eo laturum; ille finxit ſe ignorare, quid vellem, excidi mea ſpe; deceptus ſum.

XXXVII.

Mortem conjugis fortiter ferens.

1. Puella ſenibus dulcior mihi cycnis,
2. Agna Galæſi mollior Phalantini,
3. Concha Lucrini delicatior ſtagni;
4. Cui nec lapillos præferas Erythræos,
5. Nec modo politum pecudis Indicæ dentem,
6. Niveſque primas, liliumque non tactum.

7. Quæ

7. Quæ crine vicit Brætici gregis vellus,
8. Rhenique nodos, aureamque nitellam:
9. Fragravit ore, quod roſarium Pæſti;
10. Quod Atticarum prima mella cerarum;
11. Quod ſuccinorum rapta de manu gleba:
12. Cui comparatus indecens erat pavo,
13. Inamabilis ſciurus, & frequens phœnix:
14. Adhuc recenti tepet Erotion buſto,
15. Quam peſſimorum lex avara fatorum,
16. Sexta peregit hieme, nec tamen tota,
17. Noſtros amores, gaudiumque, luſuſque,
18. Et eſſe triſtem me meus vetat Pætus;
19. Pectuſque pulſam, pariter & comam vellens,
20. Deflere non te vernulæ pudet mortem?
21. Ego conjugem, inquit, extuli, & tamen vivo.
22. Notam, ſuperbam, nobilem, locupletem.
23. Quid eſſe noſtro fortius poteſt Pæto?
24. Ducenties accepit, & tamen vivit.

Verſ. 1. *Puella*, *&c.* Ex Erotii: quam fuſe laudat, morte, arripit occaſionem Pæti carpendi. Porro ducendum eſt initium ſententiæ a verſu 14. Erotion puella dulcior cygnis &c. adhuc recenti buſto tepet.

Senibus. Tunc enim dicuntur canere ſuaviſſime.

2. *Galæſi*. Galæſus eſt fluvius agri Tarentini, de quo dictum ſuperius. Phalantinus vocatur, quia Lacedæmonius quidam, Phalantus nomine Tarentum condidit.

3. *Lucrini*. Lucrinus lacus eſt in Campania Itala. Lege Ep. 54. lib. 1. in eo erant conchæ, ſive oſtrea delicata; lapilli politi, & nitidi.

4. *Erythræos*. Natos in mari Erythræo, ideſt rubro, inter Arabiam, & Ægyptum *Mar Roſſo*, *la Mer rouge*, vel *la Mecha*, *de la Mecha*.

5. Ebur, elephantis dentem. *Modo politum*. Recens politum.

7. *Bætici*. Bætis fluvius eſt Hiſpaniæ meridionalis, nunc *Guadalbuivir*, Andaluſiam, & vicinas regiones alluens: ejus aqua, imo totius regionis aer, ita gregibus erat amicus, ut oves Bæticæ celebrarentur, ac rutila, & aurei coloris vellera gererent.

8. Quæ vicit Germanorum crines in nodum tortos, & cifratos. Nitella pulvis aureus fuit, ſive aurea ramenta, quæ crinibus inſpergebant, ut nos hodie candidum pulverem odoratum.

9. Roſas ſpiravit Erotium, animam ducebat roſeo fragrantem odore. Pæſtum, *Peſto*, urbs Italiæ, cujus ager roſis eximiis abundabat.

10. *Atticarum*. Celebrabatur mel Atticum, maxi-

me in monte Hymetto, floribus lectissimis, & apibus referto.

11. *Gleba succinorum.* Quod cespes imbutus succino, & raptus e manu, in qua tritus est, naribusque admotus. Odoratum viscum e populis arboribus decidit, ac terræ admistum duratur, & coalescit in succinum seu electrum; quod si atteratur manu, & confricetur, odorem spirat suavissimum. Ep. 47. lib. 4.

13. *Siurus.* Animal exiguum est, at venustissimum instar parvæ felis, in sylvis frequens, ubi in arbores alias ex aliis insilit; lata cauda, & villosa, unde nomen habet: σκία enim Græcis est umbra, & οὐρὰ, cauda: σκίουρος igitur, quasi qui se totum cauda inumbret, ac tegat.

Frequens. Præ Erotio frequens erat phœnix, qui tamen esse unus tantum in orbe terrarum, & singulis nasci sæculis perhibetur: illo rarior Erotium erat.

14. Modo cremata est. Rogus proprie est lignorum strues ad cremandum cadaver parata: pyra, eadem strues accensa: bustum, eadem flammis usta, & consumpta.

15. *Avara.* Quæ illi tam parce, tam maligne, annos ad vivendum adnumeravit.

16. *Peregit.* Ejus vitæ cursum absolvit: eam peremit. *Nec tota.* Nempe minus diebus sex. Vide Ep. 34.

20. *Vernulæ.* Ancillæ, mancipii.

21. *Et tamen vivo.* Vide, inquit Pætus, quam forti animo sim, qui tanto dolore non conficiar: disce meo exemplo fortiter ferre mortem mancipii. Certe, inquit Martialis, miror te adhuc vivere, o Pœte, qui uxorem amiseris adeo locupletem, ut reliquerit tibi ducenties centena millia sestertiorum, hoc est, libras Francicas 2000000. Roman. Scutatos circiter 540000. Ironia: significat eum plus gaudere accepta pecunia, quam dolere adempta conjuge.

XXXVIII.

Eques unus, & geminus.

1. Calliodorus habet censum (quis nescit) equestrem,
2. Sexte; sed & fratrem Calliodorus habet;
3. Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μίσεις.
4. Uno credis equo posse sedere duos?
5. Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce moleste?
6. Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
7. Unus cum sitis; duo, Calliodore, sedetis:
8. Surge, solœcismum, Calliodore, facis.
9. Aut imitare genus Ledæ: cum fratre sedere
10. Non potes; alternis, Calliodore, sede.

Vers. 1.

Verſ. 1. *Cenſum equeſtrem.* Seſtertia 400.

3. Sed frater tuus ſecat, judet dividi 400. ſeſtert. & dimidiam ſibi partem hæreditatis ac bonorum petit; videturque dicere tibi græcum illud proverbium σῦκα μέριζε, hoc eſt, *ficus divide*. Hoc proverbium in eos cadit, qui hæreditatem partiuntur & patrimonium. Ficus enim in Attica erant maximi pretii, in iiſque ut plurimum conſiſtebant prædiorum proventus: quare ficus partiri, erat bona, ſeu fortunas dividere.

4. At, inquit Calliodorus, 400. ſeſtertia mihi & fratri ſufficient ad cenſum equeſtrem ambobus tribuendum: id vero fieri non poteſt, reſpondet Martialis, quemadmodum duo in eodem equo ſatis honeſte, & commode ſedere nequeunt: ſic duo homines unum equitem efficere, unum equeſtrem cenſum poſſidere ſimul nequeunt.

5. 6. Sane dolendum tibi eſt, quod fratrem habeas, qui, ut olim Pollux immortalitatem cum fratre Caſtore partitus eſt, ita tecum 400. ſeſtert. dividat: ſi tibi non eſſet ille frater, ſi hunc veluti Pollucem non haberes, tu Caſtori ſimilis fores, haberes enim ſolus tota 400. ſeſtertia, quemadmodum Caſtor, ſi caruiſſet fratre Polluce, totam immortalitatem, non bipartitam, & altero tantum utendam die, habuiſſet. Caſtor & Pollux, fuerunt ambo Ledæ filii, ſed Caſtor cum Jovis beneficio eſſet immortalis, ſuam immortalitatem ita fratri communicavit, ut alternis viverent ambo, ac morerentur. Conſule Ep. 32. Lib. 1. Alii ſic explicant: *Caſtor eras*, ideſt, eſſes eques. Pollux enim erat pugil, pugilatum amabat: Caſtor erat eques; equis gaudebat.

8. *Solæſciſmum. Unus* enim eſt ſingularis numeri; *ſedetis* vero eſt pluralis.

Surge. Locum equeſtrem relinque.

9. *Genus*. Filios.

10. *Sede*. In theatro, inter equites, in 14. ordinibus. Vide ſupra Epigram. 23. 25. 27.

XXXIX.

Captator captus.

1. Supremas tibi tricies in anno
2. Signanti tabulas, Charine, miſi
3. Hyblæis madidat thymis placentas.
4. Defeci; miſerere jam, Charine:
5. Signa rarius, aut ſemel fac illud.
6. Mentitur tua, quod ſubinde tuſſis.
7. Excuſſi loculoſque, ſacculumque:
8. Crœſo divitior licet fuiſſem.

9. Iro pauperior forem, Charine,
10. Si conchem toties meam comesses.

Vers. 1. Charini divitis, & carentis prole, hæreditatem captans Martialis mittebat illi munera, idque sæpius, quia ille morbo, aut vero, aut ficto laborans, triginta singulis annis testamenta obsignabat; cum vero Charinus nunquam moreretur; hoc illi vates scribit, ac se deceptum dolet.

3. *Placentas*. Liba melle condita & thymo. Hybla mons Siciliæ apibus, & melle dives.

4. *Defeci*. Exhaustus sum: deficiunt me munera.

Signa. Testamentum conde! Testamentum a certis testibus obsignandum erat, ut valeret.

5. *Fac illud, &c.* Morere, quod te facturum fingis, dum ægre tussiens animam videris exhalaturus, & aliud ex alio testamentum facis.

8. *Crœso*. Rege Lydiæ ditissimo. Irus vero fuit pauperrimus. Hunc suis versibus Homerus celebravit in Odyssea.

10. *Si conchem*. Si tricies mecum edisses legumina & cibos vilissimos, tamen me ad extremam paupertatem redegisses: quanto magis cum ego ad te liba & placentas delicatas tricies jam miserim? Conchis est genus quoddam fabæ cum cortice elixæ.

XL.

Homo eruditus, & imperitus pictor.

1. Pinxisti Venerem; colis. Artemidore, Minervam?
2. Et miraris opus displicuisse tuum?

Vers. 1. O Artemidore, Minervam colis, homo litterarum amans & eruditus: at pictor non optimus pinxisti Venerem, cui sunt inimicitiæ cum Minerva: hæc fecit, ut male Venerē pingeres: itaque non mirum, si tua tabella sine Venere est, si est inelegantèr & inscite picta.

XLI.

Opes secura.

1. Callidus effracta nummos fur aufert arca,
2. Prosternet patrios impia flamma Lares.
3. Debitor usuram pariter, sortemque negabit;
4. Non reddet sterilis semina jacta seges:
5. Dispensatorem fallax spoliabit amica;
7. Mercibus extructas obruet unda rates.

7. Ex-

7. Extra fortunam eſt quidquid donatur amicis:
8. Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Verſ. 3. *Sortem*. Summam integram, pro qua uſuræ penduntur a debitore: *le capital, il capitale*.
5. Diſpenſator, ſive æconomus, qui ſervare pecuniam tuam, & in legitimos uſus deberet expendere, illam donabit amicæ, & meretrici, ab eaque ſpoliabitur: & ſic opes tuas diſpenſatoris vitio perdes. *Extructas*. Plenas.

XLII.

Empta pulchritudo.

1. Thajas habet nigros, niveos Lecania dentes:
2. Quæ ratio eſt? emptos hæc habet, illa ſuos.

XLIII.

In paraſitum.

1. Quid factum eſt, rogo, quid repente factum eſt?
2. Ad cœnam mihi, Dento, quod vocanti
3. (Quis credat) quater auſus es negare.
4. Sed nec reſpicis, & fugis ſequentem;
5. Quem thermis modo quærere, & theatris,
6. Et conclavibus omnibus ſolebas.
7. Sic eſt: captus es unctiore cœna,
8. Et major rapuit canem culina.
9. Jam te, ſed cito, cognitum, & relictum
10. Cum faſtidierit popina dives,
11. Antiquæ venies ad oſſa cœnæ.

Verſ. 3. *Negare*. Recuſare. Noluiſti domum meam cœnatum venire, licet vocatus.
4. *Reſpicis*. Reſpicere, eſt oculis retro converſis aſpicere illud, quod a tergo eſt. *Sequentem*. Ut te invitem.
5. *Thermis*. Lege Lib. Spectac. Ep. 2. *Quærere*. Ut a me vocareris ad cœnam.
8. *Canem*. Te, inſtar canis famelici, quærentem eſcas.
9. 10. Sed cum a divitibus rejectus fueris, ad meam egentem, & algentem cœnam redibis, ad eam invitari cupies, & a me viciſſim contemneris.

XLIV.

In male frugale.

1. Nunquam ſe cœnaſſe domi Philo jurat: & hoc eſt;

2. Non cœnat, quoties nemo vocavit eum:

Verſ. 1. Jurat ſe Philo nunquam domi cænaſſe, ſed ſe ab aliquo nempe viro nobili ſemper invitatum fuiſſe. Et ita ſe res habet, nunquam enim domi cœnat; manet domi ſuæ jejunus, & incœnatus, cum non invitatur.

XLV.

In Calvum.

1. Vidiſſem modo forte cum ſedentem
2. Solum te, Labiene; tres putavi:
3. Calvæ me numerus tuæ fefellit.
4. Sunt illinc tibi, ſunt & hinc capilli,
5. Quales nec puerum decere poſſint;
6. Nudum eſt in medio caput, nec ullus
7. In longa pilus area notatur.
8. Hic error tibi profuit Decembri,
9. Tunc cum prandia miſit Imperator,
10. Cum panariolis tribus rediſti.
11. Talem Geryonem fuiſſe credo.
12. Vites cenſeo porticum Philippi,
13. Si te viderit Hercules, periſti.

Verſ. 2. *Tres*, *&c.* Quia tria capita videre mihi viſus ſum; tua enim calva, tuum calvum caput, tribus æquivalet: in utriſque temporibus circum auriculas aliquantulum eſt capillorum, ſed illi tamen ita ſunt rari, ac breves, ut vix rariores ſint in infantibus: En primum, & ſecundum caput, nempe duo tempora raris crinibus ſparſa.

7. *Area*. In ea parte capitis, quæ a fronte ad occiput protenditur. En tertium quaſi caput, pars nuda inter duo tempora.

8. *Hic error*. Quo triplex pro uno, eſſe exiſtimaris.

Decembri. Quo, per feſta nimirum Saturnalia civibus munera, & obſonia dabantur ab Imperatore.

10. *Panariolis*. Sportulis, caniſtris, vaſis panariis.

11. *Talem*. Tricipitem, tergeminum.

12. *Philippi*. Erat hæc porticus adjuncta Herculis, & Muſarum templo, quod collapſum denuo excitaverat Marcius Philippus, Auguſti Cæſaris vitricus, a quo nomen hæc porticus habebat. Si te igitur Hercules, (cujus erat in hoc templo inſignis ſtatua) viderit, ratus alterum eſſe Geryonem, te interficiet.

In

XLVI.

In cœnipetam.

1. Cœno domi quoties, niſi te, Charopine, vocavi,
2. Protinus ingentes ſunt inimicitiæ:
3. Meque petis ſtricto medium transfigere ferro,
4. Si noſtrum ſine re ſcis caluiſſe focum.
5. Nec ſemel ergo mihi furtum feciſſe licebit?
6. Improbius nihil eſt hac, Charopine, gula;
7. Deſine jam noſtram, precor, obſervare culinam.
8. Atque aliquando meus det tibi verba coquus.

Verſ. 1. 2. 3. Ordo eſt. Quoties domi meæ cœno, niſi te vocavi, ſi te non invitavi ad cœnam, tunc mihi denuncias ingentes inimicitias, & quaſi gladium in me ſtringis.

5. Quid ergo? Non licebit mihi cœnare vel ſemel, clam te, ac me tibi ſuffurari? Furtum dicitur quodcumque clam, & aliis non conſciis fit.

6. Nihil eſt te importunius; nimium guloſus homo es.

8. *Det tibi verba.* Te decipiat. Dare verba eſt aliquem fallere, quaſi nihil illi præter verba dare. Dicat tibi, me ab alio invitatum cœnare foris, licet domi cœnem.

XLVII.

In Imperitum cauſidicum.

1. Hic qui libellis prægravem gerit lævam,
2. Notariorum quem premit chorus levis,
3. Qui codicillis hinc, & inde prolatis
4. Epiſtoliſque commodat gravem vultum,
5. Similis Catoni; Tullioque, Brutoque,
6. Exprimere, Rufe, fidicule licet cogant,
7. Ave latinum, χαῖρε non poteſt Græcum.
8. Si fingere iſtud me putas, ſalutemus.

Verſ. 1. *Libellis.* Chartis in quibus lites ſcriptæ, &c.

2. Notarii, erant amanuenſes, vel ſcribæ, aut librarii, qui varia litium inſtrumenta ſcribebant. Per *Notas*, ſæpe ſignificantur litterarum quædam compendia, quibus illi ſcribæ plurimum utuntur.

Levis. Imberbis.

2. Qui gravi & ſevero, attento & ſerio vultu, aures

commodat prolatis sibi codicillis; audit homines legentes sibi de via, nunc codicillum, nunc epistolam: quasi omnium unus esset patronus civium. Codicilli sunt; vel testamenti tabulæ, vel diplomata principum, vel epistolæ longiores.

5. *Catoni*. Cujus laudatur severitas, & æquitas. Lege Lib. 1. Ep. 1.

Tullio, cujus eloquentia; *Bruto*, cujus insigne litterarum studium celebratur.

6. Is tamen, vir tam gravis, tam eruditus, tam eloquens, non potest quemquam vel latine, vel græce, commode salutare, tametsi cogatur, tormentis adhibitis. Fidiculæ sunt funiculi, & nervi, quibus reorum corpora in equuleo posita, extenduntur.

8. *Salutemus*. Hominem adeamus, periculum faciamus.

XLVIII.

Qui obliviſci beneficium debeat.

1. Quæ mihi præstiteris memini, semperq; tenebo,
2. Cur igitur taceo, Posthume? tu loqueris.
3. Incipio quoties alicui tua dona referre,
4. Protinus exclamat, dixerat ipse mihi.
5. Non belle quædam faciunt duos: sufficit unus
6. Huic operi: si vis ut loquar; ipse tace.
7. Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dona
8. Auctoris pereunt garrulitate sui.

Vers. 2. *Tu loqueris*. Ideo sileo, quia non siles: quia prædicas beneficia mihi a te data. Meum erat hoc facere.

4. *Exclamat*. Is cui tua dona commemoro. *Dixerat*. Posthumus.

5. Sunt res quædam, quæ minus bene a duobus fiunt.

6. *Huic operi*. Beneficio prædicando.

8. *Auctoris*. Ejus qui beneficium contulit. Qui dedit igitur, obliviſci beneficium debet: meminisse & prædicare: qui accepit.

XLIX.

In poetam indoctum.

1. Colchida quid scribis; quid scribis, amice, Thyestem?
2. Quo tibi vel Niobem, Basse, vel Andromachem?
3. Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
4. Deucalion; vel, si non placet hic, Phaethon.

Vers. 1.

Verſ. 1. *Colchida*. Medeam: cur ita vocetur dixi lib. Spect. Epig. 25. Thyeſtes fuit Pelopis filius, Tantali nepos, frater Atrei, cujus uxorem tum temeraſſet, Atreus ejus filium ipſi epulandum appoſuit: hinc multæ tragœdiæ natæ.

2. Quo pertinet, qui convenit tibi, ſcribere Nioben? Sic Horatius ſcribit Epiſtola 5. Libri 1. *Quo mihi fortunas, ſi non conceditur uti?* pro Quorſum, qua de cauſa, fortunas, & opes habeo, ſi iis uti non licet? Andromache fuit uxor Hectoris; Niobes nota eſt fabula, lege Ovid. 6. Metamorph.

3. *Materia, &c.* Innuit ejus poemata digna eſſe flammis, vel aquis. Quippe regnante in Græcia Deucalione contigit celebre, & decantatum poetis diluvium: Phaethon fulmine uſtus periit.

4. *Hic*. Deucalion.

L.

Rhetor extemporalis.

1. Extemporalis factus eſt meus rhetor:
2. Calpurnium non ſcripſit, & ſalutavit.

Verſ. 1. Extemporalis appellatur hoc loco, qui dicit ex tempore, non meditatus, non paratus. *Meus*. Quem Epigrammate 22. laudaverat, quod ſalutaret homines, quorum nomina ſcripſerat ac didicerat. Ille nunc tantum profecit, inquit, ut Calpurnium ſalutaverit, quamvis ejus nomen omnino non ſcripſerit.

L I.

Artes adoleſcentibus diſcenda.

1. Cui credas, Lupe, filium magiſtro
2. Quæris ſollicitus diu, rogaſque.
3. Omnes grammaticoſque, rhetoraſque
4. Devites, moneo: nihil ſit illi
5. Cum libris Ciceronis, aut Maronis,
6. Famæ Rutilium ſuæ relinquat.
7. Si verſus facit, abdices poetam.
8. Artes diſcere vult pecunioſas?
9. Fac, diſcat citharœdus, aut choraules.
10. Si duri puer ingenii videtur,
11. Præconem facias, vel architectum.

Verſ. 6. Patiatur Rutilium, inſignem oratorem, quem Cicero laudat in Bruto, florere eloquentiæ fama.

7. Si amat verſus facere, prohibe; ac, ni deſinat, abdica illum, exhæreda. Miror hujus verbi ſignificationem interpretes latuiſſe.

9. *Diſcat citharœdus*, Subaudi eſſe: vel, dictum hoc more Græcorum, qui cum verbo *diſco* rectum ſæpe caſum jungunt. Legit Janus Gulielmus, *fac hiſcat citharœdus*. Verba enim *hiſcere*, *hiare* uſurpantur eleganter in re muſica. Laudat verſum Propertianum, *Tantum operis nervis hiſcere poſſe meis*, alterumque ejuſdem de Apolline ad vivum depicto: *Viſus marmorea carmen hiare lyra*. Opinor, quia qui lyram pulſant, os diducunt, quaſi vocem numeris, lyræque vellent ſociare.

Choraules. Is eſt, qui tibiam in choro, ſeu cœtu canentium, inflat; αὐλὸς tibia; χορὸς, chorus: χοραύλης.

10. Si puer caret ingenio, præconem eſſe jube, vel architectum; ſunt enim artes illæ magni quæſtus, ingenii exigui. Dolet igitur bonas artes præ illis vilioribus, ſæculo ſuo contemni.

LII.

Honeſtum nomen.

1. Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere:
2. Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto tuum.

LIII.

Vive hodie.

1. Cras te victurum, cras dicis, Poſthume, ſemper:
2. Dic mihi cras iſtud, Poſthume, quando venit?
3. Quã longe eſt cras iſtud? ubi eſt? aut unde petendũ?
4. Numquid apud Parthos Armenioſque latet?
5. Jam cras iſtud habet Priami vel Neſtoris annos,
6. Cras iſtud quanti dic mihi poſſit emi?
7. Cras vives; hodie jam vivere, Poſthume, ſerum eſt,
8. Ille ſapit, quiſquis, Poſthume, vixit heri.

Verſ. 1. *Victurum*. Vivere accipit vulgo Martialis pro, genio indulgere.

4. *Parthos*. Parthi proprie dicti habitarunt inter Perſidem ad meridiem, & Hyrcaniam ad ſeptentrionem: Perſis primum ſubditi, poſtea, Romanorum tempore, tota Perſide potiti ſunt. Armenia, eſt regio in minoris Aſiæ finibus ad Orientem, intra montes Taurum, & Caucaſum, *l'Armenia Ararath* olim.

5. *Priami*. Ad ſummam uſque ſenectutem vixit Priamus: Neſtor ætates hominum

num tres confecit; hic Græcorum dux: ille rex Trojanorum.

8. *Heri*. Hoc enim ſolum noſtrum eſt, ac certum, quod eſt præteritum.

LIV.

Magna munera.

1. Quod non argentũ, quod non tibi mittimus aurũ;
2. Hoc facimus cauſa, Stella diſerte, tua.
3. Quiſquis magna dedit, voluit ſibi magna remitti:
4. Fictilibus noſtris exoneratus eris,

Verſ. 2. Hoc in tuam gratiam facio; tibi conſulo non mihi.

4. *Exoneratus*. Liber & ſolutus ab onere magna munera remittendi. Fictilia, ſunt vaſa ex argilla & luto facta.

LV.

Obtrectator quomodo ulciſcendus.

1. Allatres licet uſque nos, & uſque,
2. Et gannitibus improbis laceſſas:
3. Certum eſt hanc tibi pernegare famam,
4. Olim quam petis in meis libellis
5. Qualiſcumque legaris, ut per orbem.
6. Nam te cur aliquis ſciat fuiſſe?
7. Ignotus pereas, miſer, neceſſe eſt.
8. Non deerunt tamen hac in urbe forſan
9. Unus, vel duo, treſve, quatuorve,
10. Pellem rodere qui velint caninam.
11. Nos hac a ſcabie tenemus ungues.

Verſ. 2. *Gannitibus*. Probris, maledictis. Proprie vulpes gannire dicuntur.

3. 4. 5. Statuo de te penitus ſilere, ne tuum nomen olim in meis libellis legatur, & qualemcumque famam inde conſequaris.

10. 11. *Pellem rodere, &c.* Erunt fortaſſe, qui te viciſſim remordere, & tuam pellem caninam lacerare velint: ego a tam fœtido, & ſcabioſo animali tangendo abſtinere conſtitui. Scabies hoc in loco male accipitur a Radero, & aliis, pro maledicendi libidine.

LVI.

De ſuis hortis.

1. Jure tuo noſtris maneas licet hoſpes in hortis,

2. Si potes in nudo ponere membra ſolo.
3. Aut ſi portatur tecum tibi magna ſuppellex,
4. Nam mea jam digitum fuſtulit hoſpitibus.
5. Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos,
6. Putris, & abrupta faſcia reſte jacet.
7. Sit tamen hoſpitium nobis commune duobus:
8. Emi hortos: plus eſt: inſtrue tu; minus eſt.

Verſ. 1. 2. 3. Per me licebit utaris mea villa; ſi nuda humo contentus, aç domo vacua eſſe potes, aut ſi tecum tuam affers, ſupellectilem, eamque copioſam.

4. Mea ſuppellex jam victa eſt, & attrita ab aliis hoſpitibus. Gladiatores victi digitum attollebant, ut ſe victos faterentur. Vide Lib. Spect. Ep. 27. Digitum tollere eſt interdum, mancipem fieri, redimere aliquid, & licitari, ut patet ex Tullio, Lib. 1. in Verrem, n. 141.

5. Nulla culcita inſternitur lectis, ne inanis quidem, & pluma, tomentoque vacua.

6. *Faſcia*. Intellige funes reticulatos, quas vulgo cingula vocant, quibus tranſverſis pars ima lecti ſternitur, qui funes culcitam ſtramineam, aut plumeam ferunt: pro quibus interdum aſſeres adhibentur.

7. Sed conveniamus; communes ſint ambobus nobis horti, tu eos adorna ſupellectile, ſiquidem ego illos emi, quod majus eſt.

LVII.

In poetam ſe amantem.

1. Quid ſentis, inquis, de noſtris, Marce, libellis?
2. Sic me ſollicitus, Pontice, ſæpe rogas.
3. Admiror; ſtupeo; nihil eſt perfectius illis;
4. Ipſe tuo cedit Regulus ingenio.
5. Hoc ſentis? inquis, faciat tibi ſic bene Cæſar,
6. Sic Capitolinus Jupiter, imo tibi.

Verſ. 4. *Regulus*. Cauſidicus fuit eloquens, & clarus, de quo antea.

5. 6. An hoc ita ſentis, o Martialis? inquit Ponticus: opto, precorque, ut ob eam rem bene tibi Cæſar faciat, bene Jupiter, qui in Capitolio colitur. Ita te ament, ut tu de meis verſibus bene atque amice ſentis.

Imo tibi. Imo, inquit Martialis, tibi ſic faciant bene Cæſar, & Superi, ut ego bene ſentio de tuis verſibus. Atqui de illis peſſime Martialis ſentiebat, nec Ponticum, niſi ore tenus, laudaverat: itaque ſic male illi precatur. Simplicius ſed minus

nus argute ſic explicabis : *Imo tibi*. Tibi potius dent Superi, Sapere ac modeſte de tuis carminibus ſentire, tenuitatem tuam, & inſcitiam agnoſcere.

LVIII.

Mors vitæ Magiſtra.

1. Sextantes, Caliſte, duos infunde Falerni :
2. Tu ſuper æſtivas, Alcime, ſolve nives.
3. Pingueſcat nimio madidus mihi crinis amomo,
4. Laſſenturque roſis tempora ſutilibus.
5. Jam vicina jubent nos vivere Mauſolea,
6. Cum doceant ipſos poſſe perire Deos.

Verſ. 1. *Sextantes*. Adi Epig. 26. Lib. 1.

Calliſtus. Nomen eſt ſervi, ut Alcimus.

2. *Super*. Super vina : ſolve infunde ſolutas nives ſuper vina, ut refrigerentur ; aut aquam frigidam, e nivibus expreſſam vino affunde.

3. *Amomo*. Eſt amomum arbuſcula quædam odorem ſuaviſſimum ſpirans ; in Armenia naſcitur ; inde fiebant unguenta, quibus crines perfundebantur.

4. *Sutilibus*. Textilibus, nexis philyra. *Laſſentur*. Onerentur coronis roſeis.

5. 6. Videmus ſepulchra Deorum : ſic Auguſtum & Cæſares vocat, qui a Romanis inter Divos relati, pro more. Siquidem ergo ipſi Dii moriuntur, moriendum aliquando nobis homuncionibus erit : vivamus igitur dum licet. De Mauſoleis vide Lib. Spectac. Ep. 1. Potabat in eo loco Martialis, unde hæc ſepulchra ſpectabantur. Conſule pariter Ep. 44. Lib. 2.

LIX.

Adulatur Domitiano.

1. Aſtra polumq; dedit, quamvis obſtante noverca ;
2. Alcidæ Nemeæ terror, & Arcas aper ;
3. Et caſtigatum Libyæ ceroma palæſtræ ;
4. Et gravis in Siculo pulvere fuſus Eryx :
5. Sylvarumque tremor tacita qui fraude ſolebat
6. Ducere nec rectas Cacus in antra boves.
7. Iſta tuæ, Cæſar, quota pars ſpectatur arenæ ;
8. Dat majora novus prælia mane dies.
9. Quot graviora cadunt Nemeæo pondera monſtro ?
10. Quot tua Manalios collocat haſta ſues ?

11. Red-

11. Reddatur ſi pugna triplex paſtoris Iberi;
12. Eſt tibi, qui poſſit vincere Gerionem.
13. Sæpe licet Grajæ numeretur bellua Lernæ,
14. Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
15. Pro meritis cœlum tantis, Auguſte, dederunt
16. Alcide cito Di; ſed tibi ſero dabunt.

Verſ. 1. Ordo eſt. Aper Arcas, hoc eſt, Arcadius, & leo Nemæus, evexerunt Herculem ad aſtra, quamvis obſtaret Juno. De illis monſtris & Hercule plura vide in Libro Spect. & Lib. 4. Ep. 45. 48.

3. Et Anteus Afer, unctus ceromate, qui fuit caſtigatus, ideſt, victus ab eodem Hercule in palæſtra. Cæroma eſſe diximus, oleum pulveri & ceræ admiſtum, quo athletæ inungebantur: hic ponitur pro Antæo ita inuncto Ep. 4. Lib. 4.

Palæſtræ. Sumitur pro luctatione, & qualibet corporis exercitatione, vel pro ipſo loco luctationis.

4. *Eryx*. Veneris filius, immani mole & fortitudine, degebat in Sicilia; Herculem illuc ab Hiſpania venientem, provocavit ad cæſtuum certamen, ab eo victus demum, & cæſus eſt. Virgil. 5. Æneid.

6. *Cacus*. Hiſtoriam vide in Virgil. lib. 8. Ille vaccas Herculis *non rectas*, id eſt, cauda in ſpeluncam tractas, & inverſis, ne deprehenderetur furtum, veſtigiis, abduxit in ſuum antrum.

7. Iſta Herculis facinora quantula pars ſunt eorum, quæ in tua arena quotidie ſpectantur?

8. *Nonus*. Alius ex alio: vel, renaſcens.

9. *Pondera*. Immanes belluæ, majores leone Nemæo.

10. Quot apros illi Mænalio ſimiles aut majores, haſta unius e tuis venatoribus & gladiatoribus collocat, ideſt, abjicit humi, ac ſternit? De Mænalo Arcadiæ urbe, & monte mentio incidit in Libro Spectac. Epigr. 25.

11. 12. Si renovetur Herculis pugna cum Geryone, qui paſtor, ſive rex Hiſpaniæ fuit; habes qui illum poſſint vincere. Triplex pugna dicitur, quia ter vincendus Geryon erat, quippe tricorpor.

13. Quamvis rediret Hydra, eaque non una, tamen illa non eſſet comparanda cum crocodilis, qui ſunt in amphitheatro cæſi. De Lerna dictum in eodem Epigr. 25. Libri Spectac. Crocodili frequentes ſunt in Nili ripa.

16. *Sero*. Quia te diu ſoſpitem nobis ſervabunt.

LX.

Parcus ſalutator.

1. Sæpe ſalutatus, nunquam prior ipſe ſalutas:

2. Sic

2. Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

Verſ. 2. Salutatus a me ſæpius, non reſpondes præ arrogantia, mortuus videris: itaque non dicam tibi deinceps ſalve, aut ave, ſed vale, id quod mortuis dici ſolet, teque indignum arbitrator, qui in hominum numero cenſearis, multo minus amicorum. Vale igitur æternum, & morere.

LXI.

Hirundo lacerata.

1. Hibernos peterent ſolito cum more receſſus
2. Atthides, in nidis una remanſis avis.
3. Deprendere nefas ad tempora verna reverſæ,
4. Et profugam volucres diripuere ſuæ.
5. Sero dedit pœnas, diſcerpi noxia mater
6. Debuerat: ſed tunc cum laceravit Itym.

Verſ. 1. *Receſſus*. Loca remotiora, & calidiora.

2. *Attides*. Volucres Atticæ; hirundines. Progne quippe Pandiani Atticæ regis filia, in hirundinem verſa eſt.

3. Illam hirundinem, quæ ceteras non erat ſecuta, aliæ redeuntes vere novo, invenerunt, & quaſi piaculum feciſſet, ſpreviſſetque ſocias, lacerarunt.

6. *Itym*. Progne Itym filium cæſum marito ſuo Tereo, a quo ſuam ſororem Philomelam temeratam fuiſſe cognoverat, epulandum appoſuit. Ovid. 6. Metamorph.

LXII.

In rufos Lesbiæ crines.

1. Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, miſi,
2. Ut ſcires, quanto ſit tua flava magis.

Verſ. 1. *Arctoa gente*. Germania, quæ tota vergit ad ſeptentionalem. De voce *Arctos* diximus Ep. 14. lib. Spectac. Solebant Germani rufos alere, & laudare crines; Romanæ matronæ amabant nigros; meretrices, flavos: ridet igitur iſtam, cujus coma eſſet magis rufa, quam omnes Germanorum nativæ comæ.

LXIII.

Antonius Ciceronis percuſſor.

1. Antoni, Pharios nil objecture Pothino,

2. Et

2. Et levius tabula, quam Cicerone, nocens:
3. Quid gladium demens Romana ſtringis in ora?
4. Hoc admiſiſſet nec Catilina nefas.
6. Et tantis opibus vox tacet una tibi.
7. Quid proſunt ſacræ pretioſa ſilentia linguæ?
8. Incipient omnes pro Cicerone loqui.

Verſ. 1. O Antonii, qui nihil habes, quod objicere Pothino poſſis; qui Pothinum accuſare jure non potes, ſiquidem longe gravius illo peccaviſti. Pothinus Ptolemæi regis Ægypti famulus Pompejum Magnum occidit juſſu domini. Vide Lib. 3. Epig. 52.

2. *Tabula*. Proſcriptionis. Antonius inſtituto triumviratu multos cives proſcripſit, ideſt, neci deſtinavit, eorum nominibus in tabula publice propoſita ſcriptis, & addito pretro, quod percuſſori numeraretur. Sententia verſiculi eſt: Qui levius crimen admiſiſti tot cives proſcribendo, & interficiendo, quam unum Ciceronem necando.

3. *Romana*. Ciceronis, qui Romæ quaſi caput, & lingua fuit. Porro ultima ſyllaba hujus vocis *Romana* producitur ob duas conſonantes, quæ ſequuntur in voce *ſtringis*.

4. *Catilina*. Ille, Cicerone conſulatum gerente, in rempublicam conjuravit: ejus conjurationem extinxit idem Cicero, ſtrangulatis in carcere principibus conjurationis: ipſe Catilina, commiſſo contra ſenatus copias prælio, cæſus eſt.

5. *Corrumpitur*. Ut Ciceronem interficiat. Popilius Tullii percuſſor fuiſſe perhibetur, licet ab eodem Tullio in capitis cauſa defenſus.

6. Tanto pretio emiſti, ut Ciceronis vox ſileret tibi, hoc eſt, ne illa vox increparet tua ſcelera. Ea, inquam, vox, cujus ſilentium tibi uni utile, ceteris, quos defendebat, civibus damnoſum fuit.

7. Quid prodeſt, quod magno pretio emeris, ut fileret de te Cicero, ut periret, Omnes, tacente Cicerone, tua ſcelera, quæ tegere non potes; palam accuſabunt: ſic pro uno accuſatore, jam ſexcentos habebis: Vel omnes Ciceronem defendent, atque adeo multo plures defenſores mortuus reperiet, qui partes ipſius & cauſam contra te agant, quam vivus: unus pro ſe loquebatur, nunc omnes pro eo loquentur.

LXIV.

In decoctorem.

1. Infuſum ſibi nuper a patrono

2. Pic-

2. Plenum, Maxime, centies Syriſcus
3. In ſellariolis vagus popinis
4. Circa balnea quatuor peregit.
5. O quanta eſt gula, centies comeſſe!
6. Quanto major adhuc, nec accubare!

Verſ. 1. *Infuſum*. In crumenam fuſum, datum ab hero, a quo donatus fuerat libertate. Servi ab heris manumiſſi eos habebant in patronorum loco. Ordo eſt *Syriſcus* peregit, ideſt, dilapidavit, abſumpſit in popinis, plenum, ideſt, totum centies, ſibi a patrono infuſum.

2. *Plenum centies*. Integram ſummam ſeſtertiorum centies centenorum millium. Francicas videlicet libras 1009000. Rom. Scut. millia circiter ducenta viginti quinque.

3. *Sellariolis*. Sellariolæ popinæ dicebantur illæ, in quibus ad menſam non accumbebant, ut fiebat ab honeſtis civibus, & in juſto convivio; ſed in ſellulis ſedentes gulæ raptim indulgebant.

4. *Balnea quatuor*. Nempe Neronis, Grylli, Titi, Agrippæ, quæ in urbe tum erant celeberrima, & circa quæ viſebantur iſtæ viles popinæ.

6. *Accubare*. Ad menſam in lectulo accumbere.

LXV.

Æſtiva villa.

1. Humida qua gelidas ſummittit Trebula valles,
2. Et viridis Cancri menſibus alget ager;
3. Rura Cleonæo nunquam temerata leone.
4. Et domus Æolio ſemper amica Noto
5. Te, Fauſtine, vocant: longas his exige meſſes
6. Collibus, hibernum jam tibi Tibur erit.

Verſ. 1. 2. Qua valles ſunt humidæ prope Trebulam, ubi aer eſt frigidus, ipſo menſe Junio, ſole Cancrum tenente. Cancer ſignum eſt Zodiaci, numero quartum, cui cum ſol ſupponitur, maximi ſunt calores in plaga ſeptentrionali. Trebula eſt oppidulum in Sabinis, nunc *Monte Leone*.

3. *Temerata*. Numquam uſta caloribus, quos Leonis ſidus affert. Cleonæ urbs Peloponneſi erat, prope quam Hercules leonem interfecit, in ſidera poſt relatum. Lib. Spect. Ep. 5. & 25.

4. *Æolio*. Æolus rex ventorum. Virgil. 1. Æneid. Notus

tus est ventorum principum unus, in Italiam imbres frigidos advehens.

5. *Exige, &c.* Transige dies æstivos longiores, quibus frumenta demetuntur.

6. Hyemem exiges posthac Tibure, quæ urbs præ villa & agro Trebulano videtur esse calida, atque adeo hyemi traducendæ opportuna: licet Tibur ob frigidiorem auram laudetur. Tiburis facta mentio lib. 4. Ep. 45. 48.

LXVI.

Cur Theodoro non mittat sua carmina.

1. Non donem tibi cur meos libellos
2. Oranti toties, & exigenti,
3. Miraris, Theodore? magna causa est,
4. Dones tu mihi ne tuos libellos.

Vers. 4. *Tuos.* Qui sunt insulse, & inepte scripti.

LXVII.

Pompejorum sepulchra.

1. Pompejos juvenes Asia atque Europa, sed ipsum
2. Terra tegit Libyes, si tamen ulla tegit.
3. Quid mirum toto si spargitur orbe? jacere
4. Uno non poterat tanta ruina loco.

Vers. 1. Duos habuit Pompeius Magnus filios: Cn. Pompejum natu majorem, qui victus a Cæsare, obiit Mundæ in Hispania, quæ pars est Europæ: & Sext. Pompejum natu minorem, qui Mileti (est urbs Asiæ) ab Antonii militibus periit. *Ipsum.* Pompejum Magnum.

2. *Libyes.* Ægypti, in qua diu insepultus jacuit. Ideo addidit, *si tamen ulla tegit.*

3. Quid mirum si virorum tantorum ruina & funus Europam, Asiam & Africam occupat? Magnum Pompejorum nomen, magna gloria, magna quoque ruina, & orbe sparsa toto esse debuit.

LXVIII.

Jocus in adulteram.

1. Quæ legis causa nupsit tibi Lælia, Quincte,
2. Uxorem potes hanc dicere legitimam.

Vers. 1. Legitimæ uxores vocantur vulgo, castæ & pudicæ, quæ ducuntur a viro post matrimonium sanc-

ae

cte, & legitime contractum. Domitianus revocaverat legem a Julio Cæsare olim latam in adulteros, qua jubebantur adulteras ducere, ac eas habere pro uxoribus, & graves luere pœnas, ni facerent. Iste Quinctus, lege Julia cogente, sic Læliam duxerat, quam joco Martialis vocat legitimam uxorem.

LXIX.

Remedium adversus famem.

1. Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
2. Toxica ne possent sævà nocere sibi.
3. Tu quoque cavisti cœnando tam male semper,
4. Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

Vers. 1. Mithridates rex Ponti in Asia, quem Pompejus debellavit, cum timeret ne veneno clam dato periret, quotidie venenum bibere assueverat, adeo ut illi, consuetudine ipsa, innoxium evaserat. Tu quoq; esurienti consuetudine facies, ut fame perire non possis.

2. *Toxica.* Venena: qnasi taxica: taxus, arbor nocens; cujus umbra exitialis esse dicitur, ac mortifera.

LXX.

In assentatorem.

1. Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
2. Qui te ferre oleum dixit in auricula.

Vers. 2. Oleum symbolum est assentationis. Oleum igitur in auricula ferre merito dicitur, qui & adulator est, & adulatoribus gaudet: qui assentationes, in promptu semper habet, quibus alienas aures permulceat.

LXXI.

Libera, & frugalis cœna.

1. Si tristi domicœnio laboras,
2. Turani, potes esurire mecum:
3. Non deerunt tibi, si soles πρίπιν,
4. Viles cappadocæ, gravesque porri.
5. Divisis cybium latebit ovis:
6. Ponetur digitis tenendus unctis
7. Nigra coliculus virens patella,

8. Al-

8. Algentem modo, qui reliquit hortum:
9. Et pultem niveam premens botellus;
10. Et pallens faba cum rubente lardo.
11. Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
12. Marcentes tibi porrigentur uvæ,
13. Et nomen pyra quæ ferunt Sirorum,
14. Et quas docta Neapolis creavit
15. Lento caſtaneæ vapore toſtæ:
16. Vinum tu facies bonum bibendo.
17. Poſt hæc omnia forte ſi movebit
18. Bacchus, quam ſolet, eſuritionem,
19. Succurrent tibi nobiles olivæ
20. Piceni modo quas tulere rami,
21. Et fervens cicer, & tepens lupinus.
22. Parva eſt cœnula (quis poteſt negare)
23. Sed finges nihil, audieſve fictum,
24. Et vultu placidus tuo recumbes;
25. Nec craſſum dominus leget volumen.
26. Sed, quod non grave ſit nec inficetum,
27. Parvi tibia condyli ſonabit.
28. Hæc eſt cœnula, Claudiam ſequeris:
29. Quam nobis cupis eſſe tu priorem.

Verſ. 1.2. Si piget te domi tuæ ſolum, & triſtem cœnare, poteris cœnare mecum, ita parce tamen ac frugaliter, ut merito adhuc poſt cœnam eſurias.

3. *Si ſoles προπίνειν.* Si amas aliquid præguſtare ante cœnam, reperies legumina ad eam rem idonea, v. g. cappadocas (eſt genus lactucarum) cum porris, quorum odor eſt gravior, &c. Nil mirum, ſi dicatur προπίνειν de cibo, cùm vox πρόπομα dicatur de guſtu, qua voce eſca etiam ſignificatur: & verbum propinare, quod e græco factum eſt, de cibis etiam uſurpetur. Sic Terentius. *Hunc ego vobis co-medendum propino.* Poteſt tamen exponi cum Radero in Analectis, προπίνειν *præbibere.* Si ante cœnam amas bibere, ſeu præbibere, dabo legumina quædam, quæ tibi ſitim acuant.

5. *Cybium.* Eſt piſcis genus, cujus caro admiſcebatur ovis diviſis, ſive conciſis in fruſta: unde intritum quoddam fiebat, cybium etiam dictum.

6. *Unctis.* Propter oleum, quod infundebatur caulibus. Coliculus eſt braſſicæ pars tenerior: *nigra patella* eſt famoſa, vel parum nitida. Legunt nonnulli, *Uſtis*, quia coliculus ab foco, & igne recens.

9. Be-

9. *Botellus*. Genus eſt farciminis : apponebatur, ut fit hodieque, cum pultefacta e piſis, aut ex alica, quæ eſt farinæ purioris genus ; unde niveam vates vocat. Vide Epiſt. 31. Lib. 2.

11. *Secundæ*. In ſecundis menſis bellaria, & fructus apponebantur.

12. *Marcentes*. Maturæ, & rugoſæ, lividæ ; vel, ſiccatæ fumo, ſole, furno.

13. *Syrorum*. Pyra e Syria advecta.

15. *Vapore*. Igne calido, vel aqua. Toſtæ enim, aut elixæ apponuntur.

16. *Bibendo*. Quod vinum per ſe parum eſt bonum, ipſa ſiti bonum facies : ciborum quippe condimentum eſt fames : & ſitienti placet omne vinum.

17. Si poſt ejuſmodi dapes, adhuc appetentiam cibi faciet vinum, ut fit.

20. *Piceni*. Ager Picenus eſt in Umbria, Italiæ parte, olivis frequens. *La Marca d' Ancona*.

21. *Cicer*. Eſt genus piſi, quod frigebatur. Lupinus eſt genus leguminis.

23. *Finges* ..... Non fictis narrationibus & moleſtis condientur epulæ, ut in divitum accidit menſis, ubi convivæ omnia faciunt ac loquuntur ad gratiam, ad veritatem fere nihil.

24. *Tuo*. Non coacto, non alienam in gratiam, & voluntatem compoſito.

25. *Dominus*. Ego, cœnæ pater.

27. Tibia parvi condyli, eſt tibia exigui foraminis : tibia exiguo digito tangenda molliter, non toto, vel fortiori. Condylus enim eſt illa pars averſi digiti ; quæ extat, quæ contrahitur & explicatur, cum digitus aperitur & clauditur : itaque pro toto digito ſumitur. Suſpicatur Gruterus Condylum eſſe nomen hominis.

28. *Claudiam*. Invitabo etiam Claudiam, eam ſequeris ; imo cupis illam adeſſe priorem, quippe quam plus nobis diligas.

LXXII.

Veſtium oſtentator.

1. Undecies una ſurrexti, Zoile, cœna,
2. Et mutata tibi eſt ſyntheſis undecies :
3. Sudor inhæreret madida ne veſte retentus,
4. Et laxam tenuis læderet aura cutem.
5. Quare ego non ſudo ; qui tecum, Zoile, cœno?
6. Frigus enim magnum ſyntheſis una facit.

Verſ.

Verſ. 2. *Sintheſis*, quænam veſtis eſſet, explicui Ep. 38. lib. 2. Zoilus, ut oſtenderet plures ſibi eſſe veſtes ejuſmodi, fingebat ſe ſudare, & quaſi depoſiturus madidam ſudore ſyntheſim, aliâ ſumebat. Vis non ſudare? inquit Martialis: ne muta ſyntheſes, una contentus eſto, quali ego utor, non ſudabis, aut ſudare te ſimulabis, imo algebis.

4. 6. *Laxam*. Calor enim poros laxat, quos aura frigida contrahit ac lædit.

5. 6. Cur ego non ſudo? rogas? quia veſtem unam tantum habeo, eamque detritam.

LXXIII.

Liber immortalis.

1. Non totam mihi, ſi vacabis, horam
2. Dones, & licet imputes, Severe,
3. Dum noſtras legis exigiſque nugas.
4. Durum eſt perdere ferias: roganus,
5. Jacturam patiaris hanc, feraſque.
6. Quod ſi legeris ipſe cum diſerto
7. (Sed numquid ſumus improbi) Secundo,
8. Plus multo tibi debiturus hic eſt,
9. Quam debet domino ſuo, libellus.
10. Nam ſecurus erit, nec inquieta
11. Laſſi marmora Siſyphi videbit,
12. Quem cenſoria cum meo Severo
13. Docti lima momorderit Secundi.

Verſ. 1. 2. 3. Rogo te, o Severe, ſi tibi eſt otium, ſi vacat, da mihi horam, eamque ne integram quidem, ut mea epigrammata expendas: hoc beneficium tantum arbitrabor, ut facile paſſurus ſim, illud mihi a te imputari, & in meis rationibus numerari; quaſi rem magnam tibi deberem.

4. Satis intelligo durum tibi eſſe perdere otium his nugis lectitandis, tamen rogamus hoc animo æquo feras. *Ferias*. Fortaſſe Saturnaliorum, aut alias id genus.

7. *Improbi*. Importuni, odioſe petaces.

10. Non adibit inferos, ubi Siſyphus marmor, ſeu lapidem, urget ad faſtigium montis, unde ſemper lapis ultro relabitur. Æternum apud ſuperos florebit.

13. *Lima*. Pro examine, & judicio virorum doctorum uſurpatur ea vox. Cenſoria dicitur, quia cenſores id habebant muneris, ut mores civium emendarent, ac notarent.

Qui-

LXXIV.

Quinam diteſcant.

1. Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane,
2. Dantur opes nullis nunc, niſi divitibus.

LXXV.

In avarum.

1. Qu'd promittebas mihi millia, Gaure, ducenta,
2. Si dare non poteras, millia, Gaure, decem?
3. An potes, & non vis? rogo, non eſt turpius iſtud?
4. I, tibi diſpereas, Gaure, puſillus homo es.

Verſ. 1. Nuper mihi promittebas ultro, te mihi daturum ducenta millia! ſeſtert. Francicas libras 20000. ſcutatos Roman. admodum quatermille quingentos. Nunc petenti mihi decem millia, negas te dare poſſe. Libræ ſunt Gallicæ 1000. Romani vero nummi ſcutati ducenti vigintiquinque.

3. An potes quidem mihi dare iſta decem millia, ſed non vis dare, quia metuis ne non reddam; vel aliam ob cauſam? Eſto ſane, at cur pollicebaris? Nonne eſt turpius negare, cum promiſeris, quam nihil promittere?

4. *I, tibi, &c.* Male pereas. *Tibi* abundat hoc in loco, ut ſæpe alias, v.g. in adverbio, ecce tibi. Abi in malam rem cum tuis opibus, homo es illiberalis, anguſti, & puſilli animi. Libenter legerim cum Scriverio: *I, tibi diſperdas.* Hoc ſenſu: ſerva tibi tuos nummos, & eos diſperde, male perde, & conſume.

LXXVI.

Ἀντιπάθεια.

1. Inſequeris, fugio; fugis, inſequor; hæc mihi mens eſt:
2. Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Verſ. 2. *Velle tuum.* Helleniſmus eſt, pro, id quod vis. Quod arridet tibi, mihi diſplicet; quod tibi diſplicet, arridet mihi.

LXXVII.

Par pari.

1. Jam triſtis nucibus puer relictis.

2. Cla-

2. Clamoſo revocatur a magiſtro:
3. Et blando male proditus fritillo,
4. Arcana modo raptus e popina,
5. Ædilem rogat udus aleator.
6. Saturnalia tranſire tota;
7. Nec munuſcula parva, nec minora
8. Miſiſti mihi, Galla, quæ ſolebas.
9. Sane ſic abeat meus December.
10. Scis certe, puto, veſtra jam venire
11. Saturnalia Martias Kalendas:
12. Tunc reddam tibi, Galla, quod dediſti.

Verſ. v. 2. Abierunt Saturnalia, magiſtri revocant pueros ad ludum literarium, jubentque illos nuces, quibus luſitant, omittere.

3. Et aleator madidus, ſeu bene potus, qui in popina ludit aleam clam, nempe jam tranſactis Saturnalibus, ſono talorum in fritillo concuſſorum proditus, ac deprehenſus, rogat veniam ab Ædile. Alea Saturnalibus permiſſa, reliquis temporibus vetabatur. De Fritillo vide Lib. 4. Ep. 11.

9. *Meus*. Virorum feſtæ erant Saturnalia: Martialia vero, feſta mulierum; quæ tamen feminarum Saturnalia tertio poſt verſu vocat. Vide Horat. noſtrum lib. 3. Ode 7. Saturnalibus mittebant munera viris feminæ: Martialibus, viri feminis.

12. *Quod dediſti*. Nempe, nihil. Nihil dediſti; nihil dabo.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER SEXTUS.

EPIGRAMMA I.

Librum amico mittit.

1. SExtus mittitur hic tibi libellus,
2. In primis mihi chare Martialis.
3. Quem si terseris aure diligenti,
4. Audebit minus anxius tremensque
5. Magnas Cæsaris in manus venire.

Vers. 2. *Martialis*. Erat hic vatis nostri amicus, de quo sæpe antea.

3. *Terseris*. Purgaveris, emendaveris, eum audiendo diligenter: libri enim quasi nobiscum loquuntur, & auris est symbolum judicii, censuræque.

5. *Cæsaris*. Domitiani.

II.

Domitiani filio Genethliacum.

1. Nascere Dardanio promissum nomen Julo,
2. Vera Deum soboles, nascere magne puer:
3. Cui pater æternas post sæcula tradat habenas;
4. Quique regas orbem cum seniore senex.
5. Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
6. Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

Vers. 1. *Nascere*. Faustis ominibus in lucem editus sis. *Promissum*, *&c.* O Puer promisse a fatis Julo Æneæ filio, & a fatis destinate, ut illius gereres nomen.

Dardanio. A Dardano Æneæ ortus. III. Æn. vers. 168.

2. *Vera*, *&c.* Quia Domitiani filius, qui se Deum volebat appellari; tum, Romani Imperatores ab Vene-

re per Æneam oriundi, se Deorum genus vocitabant.

3. *Habenas*. Clavum Imperii, orbis regimen. *Æternas*. Ideſt, diu tractandas; ſive, æterni & immortalis imperii habenas.

6. *Phryxi*. Fuit Phryxus Athamantis filius, qui cum novercam Nephelen, feminam impotentiſſimam, ferre non poſſet, e paterna domo una cum Helle ſorore profugit: abduxere ſecum arietem eximium, aureo vellere, cujus in tergo, (ut Helleſpontum, anguſtum fretum, quod Europam ab Aſia ſeparat, trajicerent,) cum navis nulla ſuppeteret, ſederunt. Helle in mare decidit, & Helleſponto nomen dedit, Phryxus in Colchidem pervenit ad Æeten Medeæ patrem; ibi arietem Marti immolavit, ejuſque aureum vellus Æetæ tradidit; aries in ſidera relatus eſt.

Julia. Erat illa Tito genita, Domitiani fratre, paulo ante demortuo, & ipſi Domitiano patruo ſuo chariſſima. Non igitur Parcæ ſtamina, ut ſolent ceteris hominibus naſcentibus, e fatali colu ducent huic puero, ſed ipſa Julia Parcis omnibus nobilior, nebit: aurea ſtamina & felicia facta trahet, ac totum vellus aureum famoſi arietis, quo Phryxus olim mare trajecerat, impendet in eam rem.

III.

Roma emendata.

1. Cenſor maxime, principumque princeps,
2. Cum tot jam tibi debeat triumphos,
3. Tot naſcentia templa, tot renata,
4. Tot ſpectacula, tot deos, tot urbes;
5. Plus debet tibi Roma, quod pudica eſt.

Verſ. 1. *Cenſor*. Domitianus octavo ſuo conſulatu cenſoris perpetui munus ſibi ſumpſit anno Urbis C. 834. Chriſti, 83. ac leges de pudicitia novas condidit, antiquas inſtauravit, &c.

3. *Renata*. Reſtituta, reparata.

4. *Tot Deos*. Novis quibuſdam Diis templa condiderat, ſeu nova quadam appellatione inſignitis, ut Fortunæ reduci, Jovi cuſtodi, &c.

IV.

Nummos rogat.

1. Ruſtica mercatus multis ſum prædia nummis?
2. Mutua des centum, Cæciliane, rogo.

3. Nil

3. Nil mihi respondes? tacitum te dicere credo,
4. Non reddes: ideo, Cæciliane, rogo.

Vers. 2. *Centum*. Subaudi, sestertia, idest, libras Francicas 10000. Quænam sint prædia rustica, quænam urbana, dixi Ep. 24. lib. 3.

4. *Non reddes*. Verba sunt Cæciliani, secum id dicentis: o Martialis, non reddes, si tibi dedero.

Ideo rogo. Respondet Martialis. Quia nolo reddere, ideo peto, nempe ut des gratis. Rogant proprie, qui stipem, aut donum petunt; unde mendici rogatores vocantur: poscunt seu petunt, qui reddere aut possunt, aut volunt.

V.

Lex Julia de adulteris.

1. Julia lex populis ex quo, Faustine, renata est.
2. Atque intrare domos jussa pudicitia:
3. Aut minus, aut certe non plus, tricesima lux est,
4. Et nubit decimo jam Thelesina viro.
5. Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est,
6. Offendor mœcha simpliciore minus.

Vers. 1. *Julia lex*. Sic est appellata a C. Julio Cæsare Octaviano Augusto, & hujus legis capita refert eruditus Brissonius. Vocabatur autem de adulteriis, aut de pudicitia. Vid. Svet. c. 34. vitæ Augusti. Porro in ea lege sanciebatur, ut si mulier post adulterium commissum, alteri nuberet, non posset accusari de adulterio, nisi ejus adulter accusaretur ante, ac reus fieret. Itaque adulteræ relictis viris suis, statim alteri, interdum ipsi adultero, nubebant, ut effugerent pœnas sibi imminentes a maritis, qui operam sæpe ludebant in accusando adultero: ita ut nonnullæ intra mensem decies nuberent, ut hæc Thelesina.

Renata. Revocata, renovata. Quidam codices non habent hoc primum distichum.

5. 6. *Non nubit*. Pro legitima uxore haberi nequit: vera, & legitima est adultera. Præstaret ut simpliciter & candide se adulteram fateretur, nec abuteretur legis privilegio ad scelus tegendum, ejusque pœnam declinandam.

VI.

Conditio felix.

1. Prætores duo, quatuor tribuni,

2. Septem cauſidici, decem poetæ,
3. Cujuſdam modo nuptias petebant
4. A quodam ſene, non moratus ille
5. Præconi dedit Eulogo puellam.
6. Dignum quid fatuo, Severe, fecit?

Verſ. 1. *Prætores*. Prætor dicebatur ille magiſtratus, qui jus dicebat. Ep. 55. lib. 4. Tribuni alii erant urbani ſeu plebis; qui jura populi tuebantur: alii militares, qui certæ parti exercitus præerant. Epig. 55. lib. 3.

3. *Cujuſdam*. Puellæ. *Sene*: puellæ patre aut tutore.

6. Quid ille fecit dignum fatuo? Nonne ſapienter fecit? nonne jam præconis conditio eſt potior, quam omnium prætorum, tribunorum? &c. Legit Scriverius: *Dic: Numquid fatue, Severe, fecit?*

VII.

Eques e ſomno excitatus.

1. In Pompejano dormis, Lævine, theatro:
2. Et quereris ſi te ſuſcitat Oceanus?

Verſ. 1. *Dormis*. Ille fictus eques, ne ab Oceano deſignatore juberetur e 14. ordinibus exire, ſomnum ſimulabat. De ordine ſedendi in theatro dictum Ep. 23. lib. 5.

Pompejano. Erat illud theatrum in regione urbis nona, capiebatque octoginta hominum millia.

2. *Suſcitat*. Uſus in hoc verbo eſt: ſenſus enim eſſe poteſt: e ſomno te excitat: vel, ejicit te de ſedili, jubet ut ſurgas, abeaſque. Vide lib. 5. Ep. 8. 14.

VIII.

Argute nummos a Domitiano petit.

1. Pauca Jovem nuper cum millia forte rogarem;
2. Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
3. Templa quidem dedit ille Jovi; ſed millia nobis
4. Nulla dedit: pudet, heu, pauca rogaſſe Jovem.
5. At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,
6. Quam placido noſtras legerat ore preces!
7. Talis ſupplicibus tribuit diademata Dacis;
8. Et Capitolinas itque reditque vias.
9. Dic precor, o noſtri dic conſcia Virgo tonantis,
10. Si negat hoc vultu, quo ſolet ergo dare?

11. Sic

11. Sic ego : ſic breviter poſita mihi Gorgone Pallas ;
12. Quæ nondum data ſunt, ſtulte, negata puta?

Verſ. 1. *Pauca millia*. Seſtertiorum videlicet.

2. *Ille*. Domitianus (inquit Jupiter) tibi hos nummos dabit, qui templum mihi extruxit. Capitolium inſtauraverat, uti memoravimus Ep. 10. lib. 5.

4. *Pudet heu*. Pudore afficior, quod qui rem tantillam rogarem, a Jove repulſam tamen tulerim.

6. *Preces*. Libellum ſupplicem.

7. *Talis*. Ore tam placido, tam læto. De Dacis triumphavit Domitianus. Vide Ep. 52. hujus libri, & lib. 5. Ep. 3.

8. Talis eſt, cum per viam ſacram progreditur in capitolium, Jovi ſcilicet gratias acturus poſt relatum de hoſtibus triumphum.

9. *Virgo*. Pallas, quam Domitianus præcipue colebat, & quam, velut ejus arcanorum omnium conſciam, interrogat Martialis.

Noſtri Tonantis. Domitiani, qui Jupiter quaſi terreſtris & præſens eſt.

10. Si tam hilari vultu negat, quanto hilariore annuit?

11. *Gorgone*. Scuto, in quo erat pictum Meduſæ, unius e Gorgonibus, caput. Depoſuerat autem ſcutum Dea ne terrorem vati injiceret. De hoc ſcuto lege lib. VII. Ep. 1.

12. Si nondum dedit, non ideo negavit: tantum diſtulit, brevi dabit, confide.

I X.

Qui vult amari, amet.

1. Quod non ſit Pylades hoc tempore, non ſit Oreſtes
2. Miraris? Pylades; Marce, bibebat idem.
3. Nec melior panis, turduſve dabatur, Oreſti;
4. Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
5. Tu Lucrina voras, me paſcit aquoſa Peloris;
6. Non minus ingenua eſt mihi, Marce, gula.
7. Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia veſtit;
8. Vis te purpureum, Marce, ſagatus amem?
9. Ut præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem:
10. Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama:

Verſ. 1. *Pylades*. Filius fuit Strophii regis Phocenſium, Oreſtes vero filius Agamemnonis, & Clytemneſtræ, qui cum patrem ab Ægyſto matris adultero cæſum ultus eſſet, interfecta matre variis exinde periculis vexatus, in illis ſocium Pyladen ſemper habuit, qui tanto eum

amore complectebatur, ut pro illo emori non dubitaret; ac utriusque amicitia proponatur in specimen & exemplum.

2. *Idem*. Vinum: eodem utebatur vino, atque Orestes amicus.

5. *Lucrina*. Subaudi ostrea, quæ optima nascebantur in Lucrino lacu, de quo egimus Ep. 64. lib. 1.

Peloris. Est ostrei deterioris genus. Aquosam Peloridem vocat, quia succum & saporem habet elutum, & insulsum.

6. *Ingenua*. Delicata, erudita, ut ingenui esse solent: apta dignoscendis dapibus exquisitis, quibus homines lauti & ingenui fere vescuntur.

7. Te vestiunt lanæ purpureæ, tinctæ in urbe Tyro, quam Cadmus condidit: (Epig. 36. lib. 1.) ego vestior pingui & rudi sago, quod in Gallia conficitur. Sagum est militaris quædam pænula: sagatus, qui sagum gerit.

9. Ut similis sim Pyladi, similis sit amicus meus Oresti.

10. Amicitia non continetur verbis, salutationibus, & aliis id genus deliciis urbanitatis, sed opum ac rerum ceterarum communicatione.

X.

Empta cæsaries.

1. Jurat capillos esse, quos emit, suos,
2. Fabulla: numquid illa, Paulle, pejerat?

Vers. 2. An illa mentitur & pejerat? neutiquam: illos enim emit, & potest quisque, quod emit, suum dicere. Sic excusando accusat. Vide Ep. 18. Lib. 2.

XI.

De statua Julia.

1. Quis te Phidiaco formatam, Julia, cœlo,
2. Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
3. Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
4. Et placido fulget vivus in ore decor.
5. Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
6. Quem rapuit collo, parve Cupido tuo.
7. Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis;
8. A te Juno petat Cestos, & ipsa Venus.

Vers. 1. *Phidiaco cœlo*. Arte & manu Phidiæ, insignis statuarii. Cælum autem est scalprum seu stilus, quo lapides inciduntur.

Julia. De illa dictum supra,

pra, Epig. 2. Huic ſtatuam Domitianus poni juſſerat e marmore, habitu ac ritu Veneris ceſtum tenentis. Eſt porro ceſtus Veneris cingulum, ſeu faſcia quædã quæ hanc habere vim credebatur, ut is amore inſaniret, quem ea Venus percuſſiſſet.

2. Quis ab ipſa potius Pallade poetam eſſe neget?

3. Tam affabre facta eſt ſtatua e marmore, ut loqui videatur. *Candida Lygdos*, eſt marmor candidum, ex quo ſtatua conſtat, advectum e Lygdo, quæ pars eſt monti Tauri in Aſia, *reſpondet*, ideſt, videtur loqui & reſpondere in *imagine*, in ſtatua, *non tacita*, ſed quaſi ſpirante & vocali.

4. *Decor*. In vetuſtis aliquot libris legitur *liquor*: quæ vox notat ſplendorem quemdam lubricum, qui inſtar aquæ defluat & ſpargatur. Ita Claudianus dixit, in IV. Conſultu Honorii: *Clamys effluit auro*: ideſt, emittit aureum ſplendorem. Statius ſylv. 1. *Splendor ab alto defluus*. Turnebus mavult indicari hoc vocabulo, *liquor*, mollitudinem quamdam & teneritatem: ſic vocem ſæpe appellant poetæ liquidam, ideſt, mollem, teneram.

5. Manus Juliæ, in hac ſtatua, gerit, ludentis in ſpeciem, nodum ſeu ceſtum Veneris Acidaliæ. Venus ita vocatur ab Acidalio fonte Bœotiæ, illi ſacro.

8. Si Venus amari a Marte iterum velit, (lib. V. Ep. 7.) & Juno a Jove, cum quo ſæpe illam inimicitias exercere poetæ perhibent, petant deinceps ceſtum a te, o Julia, cujus in manu erit efficacior, quam ſi a Venere daretur.

XII.

Scriptor eximius.

1. Verſus ſcribere poſſe te diſertos
2. Affirmas, Laberi: quid ergo non vis?
3. Verſus ſcribere, qui poteſt diſertos,
4. Non ſcribat, Laberi: virum putabo.

Verſ. 4. Si ille non ſcribat, putabo eſſe magni & præſtantis animi virum, qui gloriam poſſit, & boni poetæ famam contemnere. Talem eſſe te non arbitror: imperitum potius credo, quem infamiæ metus deterreat.

XIII.

Sepulcrum formicæ.

1. Dum Phaethontea formica vagatur in umbra,
2. Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
3. Sic modo, quæ fuerat vita contempta manente

4. Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

V. 1. Dum formica vagatur sub umbra populi (sorores Phaetontis in arbores populos mutatas fuisse fabulis proditum est) incidit in guttam electri, quod ex istis arboribus manat, & in hoc viſco implicata mansit. Lege similia duo Ep. 25. & 47. in Libro 4.

XIV.

Cinnamus, Cinna.

1. Cinna, Cinname, te jubes vocari:
2. Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?
3. Tu si Furius ante dictus esses,
4. Fur ista ratione diceretis.

Vers. 1. Cinnarum olim apud Romanos illustris familia fuit. Ab ea ut oriundus videretur Cinnamus quidam tonsor, homo ignobilis, volebat se pro Cinnamo Cinnam, detracta una syllaba, vocitari.

2. *Barbarismus.* Est locutio barbara. De illo Cinnamo est epigramma in Lib. 7. ordine 53.

XV.

Consolatio de patris obitu.

1. Sancta Salonini terris requiescit iberis,
2. Qua melior Stygias non videt umbra domos.
3. Sed lugere nefas: nam qui te, Prisce, reliquit,
4. Vivit qua voluit vivere parte magis.

Vers. 1. *Iberis.* Hispanis, ab Ibero fluvio, *Ebro.* Saloninus in Hispania tumulatus est.

3. *Prisce.* Filium Saloni- ni fuisse apparet, vel amicum.

4. *Qua parte.* Nempe in te superstite. Adhuc in te vivit: non totus est mortuus.

XVI.

Ineptus causidicus.

1. Non de vi, neque cæde, nec veneno,
2. Sed lis est mihi de tribus capellis:
3. Vicini queror has abesse furto.
4. Hoc judex sibi postulat probari:
5. Tu Canas, Mithridaticumque bellum;
6. Et perjuria Punici furoris,

7. Et

7. Et Syllas, Marioſque, Mucioſque
8. Magna voce ſonas, manuque tota.
9. Jam dic, Poſthume, de tribus capellis.

Verſ. 3. Queror illas mihi a vicino ſubreptas.

5. *Cannas*. Cannæ, oppidulum eſt Apuliæ, ubi Romani magna clade affecti ab Annibale fuerunt circa annum ab U. C. 540.

Mithridaticum. Mithridates Rex Ponti (eſt Aſiæ regio) gravia cum Romanis bella geſſit. Vide orationem Ciceronis pro lege Manilia. Illum penitus debellavit Pompejus anno U. C. 691.

6. *Punici furoris*. Pœni ſive Carthaginenſes erant perfidi ac fœdifragi: tria bella cum Romanis maxime geſſerunt, de quibus diximus Lib. 2. Epigr. 2.

7. *Syllas*. L. Corn. Sylla bellum civile contra Marium geſſit circa annum U. C. 660. Marium in Africa fugere compulit, qui Romam paulo poſt rediens urbem cædibus complevit, & Syllam ex Aſia Mithridatico bello revertentem pertimeſcens, voluntaria crapula periit: Sylla rerum potius dictatorem ſe creari curavit, ac ſubinde ſponte abdicata dictatura, pediculari morbo confectus eſt Puteolis prope Neapolim.

Mucios. Mucius Scævola, inter ceteros Mucios illuſtris fuit. Laudatur Ep. 22. Lib. 1.

XVII.

Qui cito dat, bis dat.

1. Mutua te centum ſeſtertia, Phœbe, rogavi:
2. Cum mihi dixiſſes: exigis ergo nihil?
3. Inquiris, dubitas, cunctaris; meque diebus
4. Teque decem crucias: jam, rogo, Phœbe, nega

V. 1. 2. Cum aliquando mihi ultro dixiſſes, Phœbe (nomen eſt aliquod fictum) o Martialis, nihilne tandem a nobis petis? ſenties me amicum, & liberalem ſi quid exigas: ego rogavi te mutua centum ſeſtertia: tu continuo cœpiſti inquirere, nempe quando vellem illa dari, & alia id genus a me petere, dubitare, tergiverſari, &c.

Centum ſeſtertia. Nummi ſunt Francici 10000.

4. *Nega* Aperte nega, noli, te amplius, meque macerare; ac vexare, quærendo varias negandi cauſas.

XVIII.

Male togatus.

1. Nil laſcivius eſt Chariſiano,
2. Saturnalibus ambulat togatus.

Verſ. 1. 2. Senatores, & equites Saturnalibus togam deponebant, ac ſumebant ſyntheſes, de quibus antea dictum: Cariſianus pauper cum ſyntheſim non haberet, retinebat togam; poeta ridens hoc adſcribit laſciviæ, ideſt, arrogantiæ, & putidæ elegantiæ, quaſi ille cives ſuos, & morem publicum contemneret.

XIX.

Cauta fortitudo.

1. Marcelline, boni ſoboles ſincera parentis,
2. Horrida Parrhaſio quem tegit Urſa jugo:
3. Ille vetus pro te patriuſque quod optat amicus
4. Accipe, & hæc memori pectore vota tene:
5. Cauta ſit ut virtus, nec te temerarius ardor
6. In medios enſes ſævaque tela ferat.
7. Bella velint, Martemque ferum rationis egentes:
8. Tu potes & patriæ miles, & eſſe decus.

Verſ. 1. *Sincera*. Vera genuina. *Parentis*. Marcellinum hunc ſæpe celebrat, virum bello bonum, qui tunc in oris ſeptentrionalibus militabat. Eſt enim urſa ſignum ſeptentrionale, prope Plauſtrum, ſeu currum Bootæ, quod jugum hic appellat (lib. Spectac. 14.) Mulierem Arcadiam, Calliſto dictam, in urſam cæleſtem mutatam ſuiſſe, Poetæ finxerunt. Arcadia autem, Græciæ regio, Parrhaſia olim eſt appellata.

3. *Ille*. De ſe loquitur ipſe Martialis, ac ſe vocat patrium, ideſt, patris Marcellini amicum. Accipe igitur quid optem, quid te monitum velim.

7. Senſus eſt: Homines imprudentes, ſapientia, & bonis artibus deſtituti, temere in mortem, ac ferrum ruant; tu potes patriæ eſſe propugnator in bello, ac *miles* pro illa moriendo: & idem ipſe potes patriæ eſſe *decus*, pro illa vivendo, & eam pacis, ac bonarum artium ornamentis illuſtrando: itaque vitæ, & ſaluti conſule, quæ non minorem patriæ gloriam, & utilitatem afferet, quam mors tua.

XX.

In avaros parentes.

1. Bis vicine Nepos (nam tu quoque proxima Florę
2. Incolis, & veteres tu quoque Fice ias)
3. Eſt tibi, quæ patria ſignatur imagine vultus,
4. Teſtis maternæ nata pudicitiæ:

5. Tu

5. Tu tamen annoſo nimium ne parce Falerno.
6. Et potius plenos ære relinque cados.
7. Sit pia, ſit locuples; ſed potet filia muſtum.
8. Amphora cum domina, nunc nova, fiat anus,
9. Cæcuba non ſolos vindemia nutriat orbos:
10. Poſſunt & patres vivere, crede mihi.

Verſ. 1. *Cis vicine*. Qui æ les meis vicinas, & in urbe, & ruri habes, in urbe, prope templum Floræ, cui proxima loca, ut ego, tenes; ruri, in pago Ficeliis; fuit ille in via Nomentana, ſic dictus a copia ficorum arborum.

3. 4. Habes filiam tibi ſimillimam: quæ ſimilitudo ſignificat eſſe illam ex te genitam: atque adeo eſſe tibi uxorem pudicam *Laudantur ſimili prole puerperæ*: Horat. l. 4.

6. *Ære*. Pecunia. Nummos tuos filiæ relinque, non vina: hæc bibe, & genio indulge illos natæ ſerva.

7. *Muſtum*. Vinum recens, & hornum.

8. Tua filia condat ipſa ſibi vinum, & ſervet illud in amphoris, quæ nunc novæ ſunt, & recentes, ſed cum ipſa, illarum domina, fiant vetulæ, & ſeneſcant.

9. 10. Vinum generoſum, & nobile, quale in Cæcubo Campaniæ monte colligitur, (Lib. 2. Ep. 4.) non tantum ab iis bibendum eſt, qui liberis carent, ſed ab iis etiam qui habent. Non debent parentes parce, ac duriter vivere in gratiam liberorum. *Vivere*. Genio indulgere.

XXI.

Epitaphium.

1. Libertus Melioris ille notus,
2. Tota qui cecidit dolente Roma,
3. Chari deliciæ breves patroni,
4. Hoc ſub marmore Glaucias humatus
5. Juncto Flaminiæ jacet ſepulcro;
6. Caſtus moribus, innocens pudore,
7. Velox ingenio, decore felix;
8. Bis ſenis modo meſſibus peractis
9. Vix unum puer applicabat annum.
10. Qui fles talia, nil fles viator.

Verſ. 1. *Melioris*. Nomen eſt divitis Romani, ac nobilis. Libertus eſt ſervus donatus libertate.

3. *Patroni*. Servi heros a quibus donati fuiſſent liber-

tate, in patronorum loco habebant.

5. *Juncto*. Vicino. Propter vias ponebantur ſepulcra. De via Flaminia dictũ ep. 51. l. 4.

9. *Applicabat*. Addebat. Decimum tertium annum nondum expleverat.

10. *Talia*. Glaucię mortem. *Nilfleas*. Eſto ſemper felix.

XXII.

Quæ chara, non diuturna.

1. Non de plebe domus; nec avaræ verna cataſtæ,
2. Sed domini ſancto dignus amore puer:
3. Munera cum poſſet nondum ſentire patroni,
4. Glaucia libertus jam Melioris erat.
5. Moribus hoc formæq; datum: quis blandior illo?
6. Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
7. Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus:
8. Quidquid ames, cupias non placuiſſe nimis.

Verſ. 1. *&c.* Glaucia non erat de grege, ac turba domeſticorum ſervorũ, qui vulgo male nati, & corpore, & animo ſunt; non erat verna, (Lib. 1. Ep. 36.) quàlis proponitur ab avaris venditoribus venalium ſervorum, in cataſta; quæ machina erat lignea, inſtar caveæ, in qua mancipia vẽdẽda proſtabant.

2. Vide ſuperius Epigr.

3. 4. Ea ætate, qua nondum poterat manumiſſionis ſuæ beneficium intelligere, ſcilicet annum duodecimum vix egreſſus, jam libertate donatus erat.

5. *Hoc*. Libertas.

6. *Apollineo*. Appollinis intonſa cæſaries, & forma laudatur.

7. *Immodicis*. Inſigni aliqua dote præſtantibus.

XXIII.

Gratia tarda ingrata.

1. Sex ſeſtertia ſi ſtatim dediſſes,
2. Cum dixti mihi; ſume, tolle, dono;
3. Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
4. At nunc cum dederis diu moratus,
5. Poſt ſeptem puto, vel novem Kalendas,
6. Vis dicam tibi veriora veris?
7. Sex ſeſtertia, Pæte, perdidiſti.

Verſ. 1. Si mihi ſtatim dediſſes ſex ſeſtertia, quando illa mihi promiſiſti, cum dixiſti, ſume, do illa tibi: deberem

berem ibi tantas gratias, quanta ſi dediſſes ducenta. Sex ſeſtertia valent libras Gallicas 600. Rom. ſcutatos circiter 135.

5. *Kalendas*. Menſes. Kalendæ ſunt prima dies cujuſque menſis. Lib. 4. Epig. 54.

7. *Perdidiſti*. Quia beneficium iſta mora corrupiſti: neque tibi quidquam debere me puto pro munere tam tardo, tanta mora redempto.

XXIV.

Otho Catone major.

1. Cum dubitaret adhuc belli cilis Enyo,
2. Forſitan, & poſſet vincere mollis Otho;
3. Damnavit multo ſtaturum ſanguine Martem,
4. Et fodit certa pectora nuda manu.
5. Sit Cato, dum vivit, ſane vel Cæſare major:
6. Dum moritur, numquid major Othone fuit?

V. 1. *&c.* Cum Enyo, ſive belli civilis exitus eſſet adhuc in dubio poſitus, cum adhuc Otho poſſet vincere, cum nondum ejus res, & fortuna eſſet deſperata, ipſe condemnavit bellum, quod tam cruentum patriæ futurum videret, ac ſe ferro confodit. *Enyo*. Vide lib. 4. Ep. 54.

2. *Otho*. Romanus fuit Imperator octavus. Adi Svetonium in ejus vita.

3. *Staturum*. Conſtaturum. Res magno ſtare dicitur, quæ grandi pretio emitur.

5. 6. Eſto ſane fuerit major, & laudabilior ipſo Cæſare Cato dum vitam duxit, & impendit in ſalutem reipublicæ: at in ipſa morte, dum ſe ipſe interfecit; an non ipſo inferior Othone fuit? Certe fuit: Otho enim rebus adhuc integris ſibi manus attulit; Cato, perditis, ac deſperatis. Ille odio belli civilis; hic vitæ tædio, & victoris metu. Cornel. Tacitus de Othone: *Alii diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquit*.

XXV.

In moleſtum cauſidicum.

1. Septem clepſydras magna tibi voce petenti
2. Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.
3. At tu multa diu dicis, vitreiſque tepentem
4. Ampullis potas ſemiſupinus aquam.
5. Ut tandem ſaties vocemque, ſitimque, rogamus
6. Jam de clepſydra, Cæciliane, bibas.

Verſ. 1.

Vers. 1 ..... Arbiter cujuſdam litis, invitus, quia tuam in dicendo prolixitatem norat, tibi totas ſeptem horas ad perorandam cauſam, ut petebas, conceſſit; tu ad ſatietatem dicis, & identidem ad reficiendam vocem potas aquam tepidam: deſine tandem aliquando loqui, & de ipſa clepſydra, quæ ſpatium temporis tibi conceſſi metitur, bibe, ut, ea citius exhauſta, demum finias.

Clepſydras. Clepſydra vaſculum erat perſimile horologiis noſtris pulvereis, ſeu arenariis: in eo aqua includebatur, quæ guttatim per anguſtum foramen extiliens, tempus metiebatur unaquæque vulgo horam integram continebat. Itaque ſeptem clepſydræ ſunt horæ ſeptem. Nomen græcum eſt a verbo, κλέπτειν, abſcondere, furari, & ὕδωρ aqua, in eo quippe vaſculo latebat aqua, & furtim exſudabat. Porro ſex horæ ex lege concedebantur accuſatori, novem reo. Iſte cauſidicus addi ſibi horam unam petierat. Vide Plinii Ep. 9. Lib. 4. & Raderum in ſuis Analectis.

Arbiter. Vulgo eſt judex ab utraque parte contendentium electus, qui litem amice componat.

4. *Ampullis*. Phialis. Cum oratores diu dicebant, ſolebant, rejecto in tergum capite, aquam tepentem potare ad fovendam vocem.

XXVI.

Vota pro pueri incolumitate.

1. Aſpicis ut parvus, nec adhuc trieteride plena,
2. Regulus auditum laudat & ipſe patrem;
3. Maternoſque ſinus viſo genitore relinquat,
4. Et patrias laudes ſentiat eſſe ſuas.
5. Jam clamor, centumque viri, denſumque coronę
6. Vulgus, & infanti Julia tecta placent.
7. Acris equi ſoboles magno ſic pulvere gaudet,
8. Sic vitulus molli prælia fronte cupit.
9. Di, ſervate, precor, matri ſua vota, patrique;
10. Audiat ut natum Regulus, illa duos.

Vtrſ. 1. *Nec adhuc, &c.* Nondum triennis. Trieteris eſt annorum trium ſpatium. Τρεῖς, tres, τρία, tria; ἔτος annus.

2. *Auditum*. Erat quippe inſignis cauſidicus; *Et ipſe*. Cum ceteris applaudentibus.

5. *Clamor*. Forenſis. *Centumviri*. Subſellia Centumviralia & judicia. Erant Romæ tribus quinq; ac triginta; terni judices e ſingulis tri-

tribubus eligebantur, ad certas cauſas dijudicandas, v.g. uſucapionum, tutelarum, nexorum, &c. de quibus Cicero agit l. 1. de Oratore. Judices illi Centumviri dicebantur, quamvis eſſent centũ, & quinque. *Corona*. Populi judicum ſubſellia circumſtantis.

6. *Julia tecta*. Intelligitur domus, ſeu baſilica Julii Cæſaris, in quam Centumviri conveniebant, ad exercenda judicia.

9. *Sua vota*. Filium incolumem, id quod unice cupiunt, ac precantur.

10. *Audiat*. Aliquando cauſas agentem. *Duos*. Filium, & maritum.

XXVII.

Poeta raucus, & declamans.

1. Qui recitat lana fauces, & colla revinctus,
2. Hic ſe poſſe loqui, poſſe tacere negat.

Verſ. 1. *Lana*. Focali, & pannis ad fovendum guttur adhibitis. Ep. 33. Lib. 4.

2. *Hic*. Significat ſe loqui non poſſe, quia raucus: non poſſe tacere, quia gloriæ cupidus, & oſtentator eſt. Si enim tacere vellet, facile eſſet raucedinem excuſare.

XXVIII.

Laus Thermarum.

1. Etruſci niſi thermulis lavaris,
2. Illotus morieris, Oppiane.
3. Nullæ ſic tibi blandientur undæ:
4. Nec fontes Aponi rudes puellis,
5. Non mollis Sinueſſa, fervidique
6. Fluctus Paſſeris, aut ſuperbus Anxur,
7. Non Phœbi vada, principeſque Bajæ.
8. Nuſquam tam nitidum micat ſerenum:
9. Lux ipſa eſt ibi longior, dieſque
10. Nullo tardius à loco recedit.
11. Illic Taygeti virent metalla,
12. Et certant vario decore ſaxa,
13. Quæ Phryx, & Lybis altus cecidit.
14. Siccos pinguis onyx anhelat æſtus,
15. Et flamma tenui calent Ophytæ.
16. Ritus ſi placeant tibi Laconum,
17. Contentus potes arido vapore,

18. Cru-

18. Cruda Virgine, Marciave mergi:
19. Quæ tam candida, tam ſerena lucet,
20. Ut nullas ibi ſuſpiceris undas,
21. Et credas vacuam nitere Lygdon.
22. Non attendis, & aure me ſupina
23. Jam dudum quaſi negligenter audis.
24. Illotus morieris, Oppiane.

Verſ. 1.2. Niſi utaris thermis Etruſcis, nullis lavari aliis aquis, ita ut morbum ſanes, poteris. Accipi hoc poteſt quaſi dictum jocoſe, & hyperbolice: numquam bene lotus erit, licet utaris aliis balneis, niſi laveris balnei Etruſci: in his tantum vere lavantur homines, non in aliis. Exponi etiam poteſt ita, ut reprehendantur illuvies, & agreſtis inſulſitas iſtius Oppiani, qui lautus, & politus fieri non poſſet ullis balneis niſi Etruſci, quaſi illæ balneæ hominem illotum, & omni rure inficetiorem, lautum, & nitidum poſſent facere. *Etruſci*. Quis ille fuerit dicetur commodius Epigr. 58.

Blandientur. Erunt utiles.

4. *Aponi*. Fons Aponus. *Abano*, eſt Patavio vicinus: in eo non lavabant feminæ, ſed ſoli viri, & aquæ mulieribus noxiæ eſſe dicebantur: hinc rudes puellis, ideſt incognitæ, intactæ, dicuntur.

5. *Sinueſſa*. Urbs Campaniæ Italæ maritima, ad radices montis Maſſici, thermis ſuis celebrata. Mollis vocatur ob amœnitatem cœli, & ſalubritatem aquarum. In ejus deſtructæ loco eſt oppidum incolis dictum *Rocca di Mondragone*, inter oſtia Liris, & Vulturni.

6. *Paſſeris*. Eſt locus ejuſdem Campaniæ, ubi aquæ itidem ſalubres, ut Anxure, de quo dictum Ep. 1. lib. 7.

7. *Phœbi vada*. Littus & oppidum Cumanum, in quo templum Apollinis nobile, de quo Virgilius Lib. 6.

Principes. Ideſt, quarum aquæ principatum obtinent inter ſalubres aquas. Lib. 1. Ep. 51.

9. *Dieſque*. Et nullus eſt Italiæ locus, ubi dies tardius deſinat, quia ſemper eſt purum, & innube cælum.

11. *Illic*. Viſuntur in balneis Etruſci marmora erutа e Taygeto. Taygetus eſt mons Laconiæ in Peloponneſo, nunc dictus *Portes*: prope Spartam, & Amyclas. Marmora pretioſa in eo efodiuntur, quæ vates metalla vocat per catachreſin. De thermis dixi lib. Spect. Ep. 2.

12. 13. *Vario decore*. Pulchra colorum varietate.

Saxa. Marmora exciſa in Phrygia, quæ purpureî coloris erant; & in Libya, Africæ parte, quæ flavi.

Altius cecidit. Ex intimis & altiſſimis montium viſceribus ſecuit, effodit.

14. *Onyx*: Lapis pretioſus, aut marmoris genus, quo fortaſſe parietes erant in-

erus-

cruſtati, aut ex quo facta vaſcula unguentaria, quorum uſus in thermis: ſenſus eſt, ipſum Onychem calore thermarum ſudare, & quaſi anhelare æſtum, ideſt, æſtum indicare velut anhelando & ſudando. *Siccos*. Non humidos, & graves.

15. *Ophitæ*. Ophites genus eſt marmoris: a maculis quibus ſerpentium pellem variam imitatur, nomen habet: ὄφις, ſerpens.

16. *Ritus, &c.* Si tibi Lacedæmoniorum conſuetudo placet, qui ſudabant in cellulis quibuſdam clauſis (qualia ſunt Germanorum hypocauſta) aqua calida ad ſudorem provocandum non adhibita, tum corpus frigida lavabant: poteris iſtud facere in iiſdem Etruſci thermis, & contentus eſſe arido vapore, qualis eſt aer calidus ejuſmodi cellularum: tum lavari aqua virgine cruda, ideſt, valde gelida. Erat in urbe fons, ſive aqua, Virgo dicta proprio nomine, de qua mentio facta l. 5. ep. 20.

18. *Marcia*. Ancus Marcius, rex quartus Rom. & poſtea Q. Marcius prætor aquam in urbem invexere Marciam ideo nuncupatam. Eſt ille Aquæductus ad ſeptentrionem Urbis. Vide l. 9. Ep. 15.

19. *Quæ*. Quæ aqua Virgo, aut Marcia, tam pura eſt in iſtis thermis, ut vix aquam in vaſis putes ullam eſſe, ac vaſa ingentia e Lygdino facta marmore (de quo ſupra Ep. 11.) vacua credas.

22. *Supinæ*. Geſtus eſt contemnentium.

XXIX.

Otium valetudini amicum.

1. Dum tibi felices indulgent, Caſtrice, Bajæ,
2. Canaque ſulphureis Nympha natatur aquis;
3. Me Nomentanei confirmant otia ruris,
4. Et caſa jugeribus non oneroſa ſuis.
5. Hic mihi Bajani ſoles, molliſque Lucrinus:
6. Hic veſtræ mihi ſunt, Caſtrice, divitiæ,
7. Quondam laudatas quocumque libebat ad undas
8. Currere, nec longas pertimuiſſe vias:
9. Nunc Urbi vicina juvant, facileſque receſſus;
10. Et ſatis eſt, pigro ſi licet eſſe mihi.

Verſ. 1. 2. Dum aquæ Bajanæ omnes ſuas tibi delicias largiuntur liberaliter; dum natare amas in aquis, ob admiſtum ſulphur albicantibus: ego valetudinem recupero, & confirmo in mea villa Nomentana, ubi Bajas, & Lucrinum lacum lib. 1. Ep. 54. reperio.

2. *Nympha*. Aqua. Præerant enim aquis Nymphæ.

Adde

Adde quod aquam ipſam veteres nympham vocabant, quam poſtea dixere, una littera mutata, lympham.

4. Domuncula non major quam quæ ali poſſit e fructibus vicinorum jugerum, & prædiorum. Vel: mihi non oneroſa, non moleſta propter ampla latifundia, quæ coli, & nitida eſſe, niſi magnis ſumptibus, & onere magno, nequeunt.

6. *Divitiæ*. Lautitiæ Bajarum, & luxus.

7. 8. &c. Olim ſatis habebam virium, ut aquas ob ſalubritatem laudatas, ubicumque forent, quantumcumque eſſent disjunctæ, adirem, & amœna iſta loca frequentarē: nunc facile careo illis deliciis, nihilque aliud præter honeſtam quietem, ac otium deſidero. Pro omnibus deliciis eſt, nihil agere. Vel: ſatis habeo, ſi nullo alio quam inertiæ morbo, laborem.

XXX.

In ſcurram male olentem.

1. Feſtive credis, Calliodore, jocari;
2. Et ſolum multo permaduiſſe ſale.
3. Omnibus arrides; dicteria dicis in omnes:
4. Sic te convivam poſſe placere putas.
5. At ſi ego non belle, ſed vere dixero quiddam;
6. Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

Verſ. 2. Et putas te ſolum eſſe madidum, imbutum ſalibus, ac leporibus.

5. At ego, ſi vere dicam, etſi non admodum tibi jucunde, *quiddam*, nempe te os habere ſpurcum, & grave olens, nemo tibi propinabit, nemo convivam volet. Qui propinabant alii aliis, ex eodem vulgo bibebant ſcypho.

XXXI.

Auriga male ſtrenuus.

1. Vapulat aſſiduo Veneti quadriga flagello.
2. Nec currit; magnam rem, Catiane, facit.

Verſ. 1. Aurigæ cujuſdam Veneti, hoc eſt, e factione Veneta, currus, & equi continuis verberibus ab eo percutiuntur, nec tamen celerius currunt. Aurigam enim vero ſtrenuum, & peritum. Ironia. Vel: non temere id auriga facit: Vult Domitiano placere, hanc metam conſequetur.

Veneti, &c. Romani maxime delectabantur certaminibus currulibus: genera vero quædam ſeu factiones aurigarum numerabantur præcipue

pue quatuor, suis quæque coloribus distinctæ, Factio Venetorum; qui cæruleum ferebant, erat cœlo, & mari sacra; Prasinorum, qui viridem; terræ, seu veri, & floribus dicata. Russatorum, qui igneum, Marti, & Igni consecrata; denique Albo-rum, qui album viridi mistum colorem gerebant. Veneta factio erat invisa Domitiano: cui forte vates hic, ut alibi sæpe, adulatur.

XXXII.

Ad fontem, ut sit salubris.

1. Nympha, meo Stellæ quæ fonte domestica puro
2. Laberis, & domini gemmea tecta subis:
3. Sive Numæ conjux Triviæ te misit ab antro;
4. Sive Camœnarum de grege nona venis:
5. Exolvit votis hac se tibi virgini porca
6. Marcus, furtivam quod bibit æger aquam.
7. Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis
8. Da secura tui; sit mihi sana sitis.

Vers. 1. 2. O Nympha, quæ præsides fonti domestico amici mei Stellæ, quæque in ejus ornatissimam domum subis. *Gemmea*. Nitida, elegantia.

3. Sive Ægeria, conjux Numæ, te misit ab antro Dianæ Aricinæ. In valle prope Ariciam, *la Riccia*, urbem olim Latii, ubi Diana colebatur, rivus erat seu fons, unde ista Stellæ aqua manare dicitur a Martiale.

4. Prope portam Capenam erant aquæductus ingentes, nec procul ædes Camœnarum seu Musarum, e quibus una forsan esse Nympha istius fontis dicitur.

5. E fonte Stellæ Martialis ægrotans aquam suffuratus erat, clam biberat; mox timens ne illa noceret sibi, promisit fontis numini, sacrificaturum se porcam nondum fœtam, idque facit, & voto se solvit.

7. *Meo crimine*. Furto, sive aqua furtim ex alieno fonte hausta. Placata sacrificio, quod pro meo crimine obtuli, pœnam debitam indulge, ac remitte.

Gaudia. Usum aquæ tuæ, vel; fac ut impune lætet meo furto.

8. *Sit mihi sana sitis*. Aqua illa, quam sitiens bibi, non officiat sanitati. Vel; quando sitiam, possim bibere ita, ut aqua valetudini non incommodet. Vel: possim sine ullo periculo sitire. Sive bibam, sive non bibam, utrumque impune faciam. In vulgatis inscriptionibus huius epigrammatis, vocatur hæc Nympha, hinc fons, Janthis, quam vocem ex duabus Græcis ἴον, viola, & ἄνθος flos, videtur finxisse Martialis in gratiam uxoris Stellæ, quæ Violantilla vocabatur, cujus nomen accommodare fonti voluit.

Diser-

XXXIII.

Diserta cœna.

1. Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata;
2. Non tu, Pomponi; cœna diserta tua est.

Vers. 1. *Sophos*. Græca vox est, σοφῶς, sapienter, belle. Ea Latini, cum applaudebant, cum acclamabant, utebantur. Iste Pomponius cum a se factos versus amicis recitare vellet, invitarat ad cœnam: illi bonum hospitem & poetam pessimum fictis laudibus prosecuti erant: Ridet hominem Martialis.

Togata. Civium Rom. vestis toga vulgo erat.

XXXIV.

Conviva non vocatus.

1. Quod convivaris sine me tam sæpe, Luperce,
2. Inveni, nocem qua ratione tibi.
3. Irascar, licet usque voces, mittasque, rogesque.
4. Quid facies? inquis: quid faciam? veniam.

Vers. 3. 4. *Irascar*. Ulciscar te, quod me non invites, & quamvis voces me deinceps semel, iterum, tertio ..... expectabat Lupercus dum Martialis diceret se non venturum, quod homini avaro gratissimum accidisset; contrarium facere respondet.

XXXV.

Tonsoris Epitaphium.

1. Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
2. Pantagathus, domini cura dolorque sui,
3. Vix tangente vagos ferro resecare capillos
4. Doctus, & hirsutas excoluisse genas.
5. Sis licet, ut debes, tellus placata, levisque;
6. Artificis levior non potes esse manu.

Vers. 3. 4. *Doctus*. Peritus capillos vagos, & nimios tondere, genas pilosas radere ita molliter, ut vix tangi ferro viderentur.

5. *Sis licet, &c.* O tellus, licet, fas est, ut sis illi levis, ac minime onerosa. Legitur vul-

vulgo, etsi mendose? *sis licet inde sibi levis*. Ubi vocem *sibi* positam volunt pro *illi*: ita enim loquuntur aliquando Latini more Græcorum, ut pronomen possessivum pro demonstrativo ponant. De hac formula bene mortuis precandi, *sit illi terra levis*, Vide Librum V. Ep. 35.

6. Quamtumlibet levis fueris, non eris levior, quam erat ipsius tonsoris manus, dum tonderet.

XXXVI.

In medicum imperitum.

1. Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit, & idem
2. Inventus mane est mortuus Andragoras.
3. Tam subitæ mortis causam, Faustine, requiris?
4. In somnis medicum viderat Hermocratem.

Vers. 4. Adeo infeliciter suos ægrotos tractat Hermocrates, ut eum vel in somnis vidisse satis fuerit Andragoræ ad mortem obeundam.

XXXVII.

Bene olere, nihil olere.

1. Quod semper casiaque, cinnamoque,
2. Et nido niger alitis superbæ,
3. Fragras plumbea Nicerotiana;
4. Rides, nos, Coracine, nil olentes:
5. Malo, quam bene olere, nil olere.

V. 1. *Casia*. Casia & cinnamum, sive cinnamomū, sunt odorati frutices, unde unguēta & odores conficiebantur.

2. Et delibutus unguentis quæ conficiuntur ex odoratis fruticibus, & floribus quibus phœnis moriturus nidum suum extruit.

3. Redoles unguentis Nicerotis (erat ille Niceros myropola celebris) quæ asservantur in vasculis plumbeis. In plūbo, ut docet Plin. l. 13. c. 2. commodius coquuntur unguenta, & servantur.

5. Homo enim impurus, & olidus, unguentis emendare & compescere gravitatem odoris nativi debet: illis non eget homo purus, & nullo fœtore inquinatus.

XXXVIII.

In Calvum.

1. Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,

2. Et

2. Et tegitur pictis ſordida calva comis.
3. Tonſorem capiti non eſt adhibere neceſſum:
4. Reddere te melius ſpongia, Phœbe, poteſt:

Verſ. 1. *Unguento*. Calvi ſolebant aream nudi capitis oleo odorato ac pigmento inungere, & capillos in calva ſic delibuta pingere; qui capilli non egebant novacula, qua tonderentur; ſed ſpongia, qua delerentur.

XXXIX.

Vota pro amici reditu.

1. Cernere Parrhaſios dum te juvat, Aule, Triones
2. Cominus, & Getici ſidera pigra poli:
3. O quam pene tibi Stygias ego raptus ad undas,
4. Elyſiæ vidi nubila fuſca plagæ!
5. Quamvis laſſa tuos quærebant lumina vultus,
6. Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
7. Si mihi lanificæ ducunt non pulla ſorores
8. Stamina, nec ſurdos vox habet iſta Deos;
9. Soſpite me ſoſpes Latias reveheris ad urbes.
10. Et referes pili præmia clarus eques.

Verſ. 1. Dum tu, o Aule Pudens (erat ille, vir bello clarus, amicus Martialis) in Sarmatia, & plagis ſeptentionalibus bello diſtineris; ego pene confectus morbo perii. De voce *Parrhaſius* vide ſupra Epig. 19.

Triones. Ita vocatur ſignum cœleſte, quod alio nomine appellant Plauſtrum, ſive urſam minorem, de qua dixi l. Spect. Ep. 14. & lib. 4. Ep. 3. compoſitum e ſtellis ſeptem, quarum anteriores ſpeciem boum plauſtrum trahentium exhibent boves autem a ruſticis apud Latinos veteres, vocabantur triones, quaſi terriones, id eſt, agrum terrentes & ſcindentes aratro. Hinc toti ſigno inditum nomen, ut Septentrio, ſeu ſeptemtriones diceretur. Eodem nomine appellatur etiam Urſa major, quia ſeptem clariores ſtellas habet, inter 27. e quibus conſtat. Hinc Virgilius *geminos triones* vocat.

2. *Getici*. Getæ populi Daciæ erant, Scythis vicini, ubi nunc fere ſunt Moldavi.

Elyſiæ. Elyſii campi erant apud poetas, inferorum regio quædam amenior, piis & probis hominibus deſtinata. *Fuſcæ*. Omnia enim ſunt in infernis nigra.

5. Oculi mei, licet morbo gravati, te nihilominus requirebant.

7. Si parcæ nondum trafiunt

fiunt mihi nigra ſtamina. Morituris nigra, victuris alba fila nere dicebantur Parcæ ſupra, lib. 4. Ep. 42. 60.

8. Si cœlites vocem hanc meam, & concepta pro te vota audiunt.

9. Vivam ad illud uſque tempus, quo in Patriam redibis.

10. Creaberis primus Centurio, & ornamentis equeſtribus donaberis. Statim atque primipilatu aliquis donabatur, fiebat eques non titulo tantum, ſed equeſtri etiam cenſu. De Primipilo Vide Lib. 1. Ep. 76.

XL.

In oſtentatorem.

1. Et dolet, & queritur, ſibi non contingere frigus
2. Propter ſexcentas Baccara gauſapinas:
3. Optat, & obſcuras luces, ventoſque, niveſque:
4. Odit & hibernos, ſi tepuere, dies.
5. Quid fecere mali noſtræ tibi, ſæve, lacernæ,
6. Tollere de ſcapulis quas levis aura poteſt?
7. Quanto ſimplicius, quanto eſt humanius illud
8. Menſe vel Auguſto ſumere gauſapinas?

Verſ. 1. 2. Baccara, propterea, quod vult oſtentare ſexcentas, quas domi ſervat, gauſapinas, dolet hyemem non adeſſe, odit calidos dies. Erat Gauſapina veſtis villoſa, & craſſa penula, quæ geſtabatur hyeme, & ab illis oſtentatoribus ſæpe mutabatur.

5. 6. Quid noſtræ lacernæ, ſive, quid nos lacernis induti, fecimus tibi mali, o homo crudelis, quid in te peccavimus, ut nobis optes hyemem, quæ profecto nobis non poteſt non eſſe incommoda, qui lacernis adeo levibus utimur, ut eas ventus excutere ab humeris noſtris queat?

Lacernæ. Lib. 2. Ep. 26.

7. Quanto ſimplicius ad teſtandam omnibus oſtentationem tuam faceres, ſi menſe Auguſto fumeres tuas gauſapinas? omnes enim ſtatim intelligerent, quod id conſilio faceres. Sed eſſet hoc ipſum humanius, quia non optares, & votis tuis velut accerſeres hyemem nobis leviter veſtitis valde incommodam.

XLI.

Victurus liber.

1. Rem factam Pompillus habet, Fauſtine; legetur
2. Et nomen toto ſparget in orbe ſuum:
3. Sic leve flavorum valeat genus Uſipiorum,

4. Quiſ-

4. Quiſquis, & Auſonium non amat imperium
5. Ingenioſa tamen Pompilli ſcripta feruntur;
6. Sed famæ non eſt hoc, mihi crede, ſatis.
7. Quam multi tineas paſcunt, blattaſque diſerti
8. Et redimunt ſoli carmina docta coci!
9. Neſcio quid plus eſt, quod donet ſæcula chartis,
10. Victurus genium debet habere liber.

V. 1. *&c.* Pompillus voti eſt compos, legetur illius liber, auctoriſque fama orbe toto ſpargetur: ac ni eſt ita, valeat ac floreat Uſipiorum natio, & quicumque Romani nominis hoſtis eſt. Hoc totum ironice eſt accipiendum. Uſipii ſunt populi Germaniæ ad Rhenum prope Lupiam fluv. in Vveſtphalia; vel, ut alii malunt, in Belgio, ubi nunc eſt comitatus Zutphaniæ. *Leves* appellantur, quia defecerant a Romanis: *Flavi*, quia erant Germanorum flavæ, ut plurimum, comæ. De locutione iſta, *rem factam habere*, conſule Epig. 26. Lib. 1.

5. *Ingenioſa*. At enim, inquiet aliquis, nonne confiteris eſſe ingenioſum librum Pompilli? Fateor, inquit Martialis, ſed hoc ſatis non eſt.

8. *Redimunt*. Emunt, ad involvendos v. g. piſciculos, &c.

9. *Sæcula*. Immortalitatem.

10. *Genium*. Numinis boni favorem. Debet propitio Genio natus eſſe: habere neſcio quid quod placeat, &c. Genius erat Deus, quaſi lætitiæ dator; ac fortunæ ſingulorum, felicitatiſque velut arbiter. Eo irato nihil ſuccedebat.

XLII.

Magna laus, invidis diſplicere.

1. Laudat, amat, cantat noſtros mea Roma libellos:
2. Meque ſinus omnes, me manus omnis habet.
3. Ecce rubet quidam, pallet, ſtupet, oſcitat, odit.
4. Hoc volo: nunc nobis carmina noſtra placent.

Verſ. 2. *Sinus*. In ſinu aliquid ferre, eſt, amare: magni pendere.

2. *Quidam*. Invidus. *Pallet*. Livor pallidos facit.

Oſcitat. Quaſi faſtidiret.

Hoc volo. Bene habet: iſtud perplacet, nunc ſcio bona eſſe mea carmina, quippe quæ invidis & malis diſpliceant.

XLIII.

In haredipetam.

1. Amiſit pater unicum Silanus.

2. Ceſ-

2. Ceſſas mittere munera, Oppiane;
3. Heu crudele nefas; malæque Parcæ!
4. Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Verſ. 1. *Utinam*. Filium. Itaque jam orbus eſt, & dives: o Oppiane, quid moraris eum muneribus devincire, ut te ſuum hæredem ſcribat? o Parcæ, factum crudeliter a vobis eſt! unicum enim patri miſero filium abſtuliſtis, & ipſum patrem tanquam mortuum cadaver, hæredipetis, & vulturibus vorandum objeciſtis.

XLIV.

Vera lacrima.

1. Scis te captari; ſcis hunc, qui captat, avarum;
2. Et ſcis qui captat, quid, Mariane, velit:
3. Tu tamen hunc tabulis hæredem, ſtulte, ſupremis
4. Scribis, & eſſe tuo vis, furioſe, loco.
5. Munera magna tamen miſit, ſed miſit in hamo:
6. Et piſcatorem piſcis amare poteſt?
7. Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
8. Si cupis, ut ploret, des, Mariane, nihil.

Verſ. 1. *Captari*, Muneribus doloſis tuam hæreditatem, & mortem petit.

7. Sunt qui ſic legant, & interpungant. *Hiccine? deflebit vero mea fata dolore*. An hunc ita culpas, Martialis? hiccine eſt quem ſic accuſas Ille vero dignus eſt hæreditate mea: novi hominis memorem animum, & pium, me mortuum flebit ex animo.

8. *Des nihil*. Tunc enim deceptus vere flebit.

XLV.

In obtrectatorem, & invidum.

1. Cum ſis nec rigida Fabiorum gente creatus,
2. Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
3. Hirſuta peperit rubicunda ſub ilice conjux;
4. Sed patris ad ſpeculum tonſi, matriſque togatæ
5. Filius, & ſponſam poſſit te ſponſa vocare.
6. Emendare meos, quos novit fama, libellos.
7. Et tibi permittis felices carpere nugas:
8. Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere totâ
9. Non aſpernantur proceres urbiſque forique:

10. Quas; & perpetui dignantur scrinia Sili,
11. Et repetit toties facundo Regulus ore;
12. Quique videt propius magni certamina circi
13. Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ:
14. Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum
15. Non dedignatus bis terque revolvere Cæsar.
16. Sed tibi plus mentis, tibi cor, limante Minerva,
17. Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.
18. Ne valeam, si non multo sapit altius illud
19. Quod cum panticibus laxis, & cum pede grandi,
20. Et rubro pulmone vetus, nasisque timendum,
21. Omnia crudelis lanius per compita portat.
22. Audes præterea, quos nullus noverit, in me
23. Scribere versiculos, miseras, & perdere chartas:
24. At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
25. Vivet, & hærebit, totoque legetur in orbe;
26. Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.
27. Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
28. Fumantem vivi nasum tentaveris ursi:
29. Sit placidus licet, & lambat digitosq; manusq;
30. Si dolor, & bilis, si justa coegerit ira,
31. Ursus erit: vacua dentes in pelle fatiges,
32. Et tacitam quæras, quam possis rodere, carnem.

Vers. 1. *Rigida*. Bellicosa, severa. Fabiorum gens, ideſt, familia & domus, illustris Romæ fuit: ex ea cum trecenti contra Vejentes pugnarent, una die omnes cæsi sunt, præter unum.

2. Cum non sis similis filio M. Curii, qui cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, in rusticana villa, & vita consumpsit extremum ætatis. Cic. de senect. *Rubicunda*. Berusta solibus & æstu.

4. Sed patris effœminati filius, *Togatæ*. Adulteræ. Vide Lib. 2. Epig. 33.

5. *Sponsam &c.* Cum sis adeo pexus & comptus, ut mulieri propior, quam viro sis.

6. *Nugas*. Ludicra epigrammata.

10. Quas Silius Italicus, poeta nobilis, lib. 4. Epigr. 11. & perpetua fama victurus, dignatur in suis scriniis servare. *Scrinia*, lib. 1. Ep. 3.

11. *Regulus* Patronus percelebris. Supra, Ep. 26.

12. Et quas laudat clarissimus orator Palfurius Sura, qui ædes habet in Aventino monte, unde propius spectat certamina & ludos Circenses,

ſes, quia prope abeſt Circus ab ejus domo. In vertice Aventini erat Dianæ templum: nunc ædes Divæ Sabinæ dicata, unde monti nomen, *Di Santa Sabina*.

Circi. Lege lib. Spect. Ep. 26. Tres erant Romæ Circi: Circus maximus inter Palatinum & Aventinum: Circus Flaminius, qui etiam dictus eſt Apollinaris; & Circus Neronis, in Vaticano.

16. Sed tibi videlicet judicium eſt acrius, Palladis artium bonarum præſidis ope ac beneficio, & mens ſanior quam Cæſari, Regulo &c.

Limante. Poliente Pallade, acuente illud tuum judicium & cor.

17. *Athenæ*. Ubi artes omnes florebant.

18. Diſpeream, ni plus ſapit cor pecudis mortuæ putridum, quam tuum: ni ſanius eſt jecur, ac pernæ rancidæ, & pantices (inteſtina ſunt, cum adipe & omaſo) ac pulmo jam corruptus & fœtens, quem naſi omnes ob fœtorem fugiunt, & alia id genus, quæ lanii portant per compita.

22. *Noverit*. Legerit.

23. *Perdere*. Quia nemo eas volvet:

24. At ſi quid ego juſta bile & iracundia incitatus in te ſcripſero, illud vivet, ac celebrabitur; & ſtigmata, ſeu notas infamiæ, quæ tibi a me, ut ferro candenti, in fronte inurentur, nullus Cinnamus (erat ille tonſor famoſus) delebit.

27. Noli irritare urſum iratum, ideſt, me laceſſere, ulturum ſcilicet ac remorſurum. Iræ ſedem vulgo ponunt in naſo, quam prodit flatus vehementior & calidior ex eo erumpens. Urſus autem animal iracundum.

29. *Placidus*. Cicur.

31. *Urſus erit, &c.* Redibit ad ingenium: nativum furorem reſumet.

Vacua pelle. Tomento farta & ſtramine: vel, mortua, & animæ vacua.

32. Quære aliud, quem tuis maledictis carpas; qui nec ſentire tuam obtrectationem, nec ulciſci queat.

XLVI.

Epigrammata longiora.

1. Hexametris epigramma facis, ſcio dicere Tuccam.
2. Tucca, ſolet fieri: denique, Tucca, licet.
3. Sed tamen hoc longum eſt: ſolet hoc quoque Tucca, licetque:
4. Si breviora probas, diſticha ſola legas.
5. Conveniat nobis: ut fas epigrammata longa
6. Sit tranſire tibi; ſcribere, Tucca, mihi.

Verſ. 1. Ordo verborum eſt, Scio Tuccam, invidum &

criticum quemdam, dicere & objicere mihi, quod longa epigrammata (quale est superius) versibus hexameteris scribam.

2. O Tucca, respondeo id fieri solere, tum etiam licere.

3. 4. At enim sunt ista epigrammata longiora: sed longiuscula licet facere: quæ si tibi displicent, ea solum legas, quæ duobus versibus continentur.

5. Ita inter nos, quæso, conveniat, ita litem componamus, ut mihi fas sit longa scribere epigrammata; tibi illa transire, & non legere.

XLVII.

Epitaphium Eutychi pueri.

1. Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino,
2. Najades, & luctus sentiat ipsa Thetis.
3. Inter Bajanas raptus puer occidit undas
4. Eutychis, ille tuum? Castrice, dulce latus.
5. Hic tibi curarum socius, blandumque levamen:
6. Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.

Vers. 1. *Lucrino*. Vide lib. 1. Ep. 54. Najades, Deæ fontium præsides. De Baiis actum Ep. 51. ejusd. lib. 1.

4. *Latus*. Tuus comes, amicus, sodalis. Quia stipare latus solent amici, & deductores.

6. *Alexis*. Domino charus puer: ut Alexis Virgilio, qui mentionem de eo facit in 2. Ecloga. *Vatis*. Castrici.

LXVIII.

Valere vivere est.

1. Sexagesima, Martiane, messis
2. Acta est, & puto, jam secunda Cottæ,
3. Nec se tædia lectuli calentis
4. Expertum meminit die vel uno.
5. At nostri bene computentur anni,
6. Et, quantum tetricæ tulere febres,
7. Aut languor gravis, aut mali dolores,
8. A vita meliore separentur;
9. Infantes sumus, & senes videmur.
10. Ætatem Priamique, Nestorisque
11. Longum qui putat esse, Martiane,
12. Multum decipiturque falliturque:
13. Non est vivere, sed valere, vita.

Vers. 1.

Verſ. 1.2.3. *&c.* Cotta jam ſexageſimum, & ſecundum, ut puto, annum, o Martiane, confecit, neque adhuc vel uno die ægrotavit. At ſi numerentur anni noſtri, atque ſeparentur ab aliis dies illi, quibus febre, vel alia vexati ſuimus ægritudine, videbimur infantes, & recens nati, quamvis jam ob canos videamur ſenes, diuque vixerimus. Errat, qui longam vitam putat eam, quæ Priami vel Neſtoris numeret annos; ea longa eſt, quæ multum habet valetudinis, ac ſanitatis: hæc dos eſt vitæ potiſſima, & ipſa porior vita.

3. *Calentis*. In quo æger calet febri.

10. *Neſtoris*. Vixiſſe tres ætates dicitur: Priamus quoq; ad ſummam pervenit ſenectutem. Hic rex Trojæ; ille dux Græcorũ prudentiſſimus.

XLIX.

In furem.

1. Fur notæ nimium rapacitatis
2. Compilare Cilix volebat hortum:
3. Ingenti ſed erat, Fabulle, in horto
4. Præter marmorem nihil Priapum;
5. Dum non vult vacua manu redire;
6. Ipſum ſurripuit Cilix Priapum.

V. 2. *Compilare*. Spoliare. *Cilix*. Nomen eſt proprium: alias gentile, Ciliciæ prov. Aſiæ minoris.

4. *Priapum*. Erat ille hortorum Deus cuſtos: qui tunc non modo hortum, ſed neſe ipſe quidem potuit cuſtodire. Deum hunc ridet, Horat. Sat. 8. Lib. 1.

L.

Ficti dentes.

1. Medio recumbit imus qui lecto,
2. Calvam trifilem ſemitactus unguento,
3. Foditque tonſis ora laxa lentiſcis;
4. Mentitur, Eſculane: non habet dentes.

V. 1. *Medio &c.* In tricliniis vulgo tres lecti erant: in ſingulis terni convivæ, ut plurimum, quorum ſummus ille dicebatur, qui ad lecti caput accubabat: medius, qui in medio lecto, eratque locus honoratiſſimus: imus, qui poſt medium jacebat:

2. Qui habet caput calvum, diſcretum tamen pictis, & fluentibus pingui unguento tribus, aut quatuor pilis, inſtar filorum. Supra. Ep. 38. *Semitactus*. ἡμίχειρος, leviter tactus, ac delibutus: nam

tangere oleo, tangere unguento, dixerunt optimi scriptores Cato, Varro, Propertius. Legunt nonnulli *femitatus*, quasi sulcatum esset unguento, & exaratum caput; sed vereor, ut ista vox latina sit.

3. *Fodit*. Purgat, fodicat. *Lentiscis*. Dentiscalpiis e ramulis acutis lentisci, (arbuscula quædam est) factis.

Non habet. Aut nullos habet, aut emptos. Recalvastrum, & edentulum deridet senem.

LI.

Venefica munera.

1. Cum mittis turdumve mihi, quadramve placentæ,
2. Sive femur leporis, sive quid his, simile;
3. Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis:
4. Has ego nec mittam, Pontia; sed nec edam

Vers. 1. *Quadram*. Partem quartam; frustum.

3. *Buccellas*. Proprie buccella seu buccea, est particula cibi, vel panis: quantum capere bucca potest.

4. *Mittam*. Amicis: sunt enim veneno infectæ.

LII.

Epitaphium Fusci.

1. Ille sacri lateris custos, Martisque togati,
2. Credita cui summi castra fuere ducis;
3. Hic situs est Fuscus: licet hoc Fortuna fateri;
4. Non timet hostiles jam lapis iste minas.
5. Grande jugum domita Dacus cervice recepit,
6. Et famulum victrix possidet umbra nemus.

Vers. 1. *Ille &c.* Fuerat Cornelius Fuscus præfectus prætorii, custos corporis Domitiani. Vide Tacitum lib. 2. & 3. hist.

Martis togati. Domitiani, qui licet in urbe sit, ac togatus, vincit tamen hostes per suos duces, ac Mars Romanorum est veluti domesticus, ac urbanus. Possunt etiam per Martem togatum intelligi milites Prætorianæ cohortis, quæ ad Imperatoris palatium excubabat, quorum Fuscus præfectus fuit.

2. Cui Domitianus castra sua, & exercitum contra Dacos commiserat. Ab iis Fuscus postea cæsus est: victi tamen subinde Daci, ac de illis Domitianus triumphavit.

3. *Licet hoc, &c.* Possumus jam impune, o Fortuna, eladem istam conteri, quam abunde compensavit nostra de Dacis victoria. Fusci tumulus eorum vim, & crudelita-

lítatem non reformidat, & victrix ejus umbra placide conquiescit in hoc nemore quod olim Dacorum, nunc Romanorum est, nunc Romanis servit. Pars magna victoriæ, vel cladis solatium censebatur, si cadavera, & sepulchra mortuorum non essent in hostium potestate, ob id nunc vates gratulatur. Daci quinam essent dixi Ep. 23. lib. 1. & Ep. 2. lib. 2.

LIII.

Pauper superbus.

1. Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus;
2. Tam juvenis, quam nec Parthenopæus erat;
3. Tam fortis, quam nec, cum vinceret, Artemidorus;
4. Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?
5. Rideris, multoque magis traduceris Afer,
6. Quam nudus medio si spatiere foro.
7. Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno,
8. Quæque vehit simílem bellua nigra Libyn.
9. Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
10. Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Vers. 1. *Irus*. Mendicus, apud Homerum, & consequentes deinde poetas decantatus.

2. *Tam juvenis*. Tam ætate florenti, quam Parthenopæus, imo etiam illo junior. Is fuit Antiopæ filius, floruit in bello Thebano, & ab Æschylo laudatur in sua *Septem ad Thebas*. Et a Papinio, Lib. 4. Thebaidos.

3. *Artemidorus*. Pugil fuit egregius, Galbæ, Vitelliique temporibus, patria Trallianus, qui, ut narrat Pausanias in Eliacis Lib. 2. cum in certaminibus Olympicis admodum adolescens parum feliciter pugnasset ob ætatis imbecillitatem, confirmatis postea viribus, cum Smyrnæi publicos edirent ludos, in arenam descendit, & eodem die non solum eos a quibus antea in Olympicis victus fuerat, verum etiam adolescentes alios, ac viros omnium valentissimos, pancratio superavit. Hinc vocem illam explicabis, *cum vinceret*.

4. Quid opus est te ferri in lectica hexaphoro (Lib. 2. Ep. 59.) & onerare sex servos? Frequentes servi e Cappadocia, minoris Asiæ regione, mittebantur.

5. *Traduceris*. Haberis ludibrio. Lege lib. Spect. Ep. 4. lib. 1. 47.

6. *Spatiere*. Ambules.

7. 8. Non aliter ac tu, ridetur ille natus, quem joco vocamus Atlantem, quando per urbem vectamur illo suo exiguo mulo, qui illi par est,

& æque pumilus: aut quando aliquis Afer portatur ab elephante, cui est similis, nempe fuscus, subniger. Cinnus est parvus mulus, teste Plinio l. 8. c. 48. & Aristotele de hist. anim. Lib. 6. c. 24. Libs, sive Libys, idem est, ac Africanus.

9. Invidiosa, &c. Quæris cur tantum tibi apud omnes invidiam conciliet hæc tua lectica? nempe cum sis vivus cadaver, & indignus qui lucem intuearis, non debes hexaphoro gestari, sed feretro, & vili sandapala. Habes epigramma simile num. 59. Epig. 54.

LIV.

Vinum venenum.

1. Potor nobilis, Aule, lumine uno
2. Luscus Phryx erat, alteroque lippus:
3. Huic Heras medicus, bibas caveto;
4. Vinum si biberis, nihil videbis.
5. Ridens Phryx, oculo, valebis, inquit.
6. Misceri sibi protinus deunces,
7. Sed crebros jubet: exitum requiris?
8. Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Vers. 1. Ordo est. Phryx quidem, egregius potor, erat oculo uno luscus, & lippus altero.

3. *Heras.* Nomen medici tunc celebris: legitur etiam Eros, utraque vox græca Ἥρως, Ἔρως.

4. *Nihil videbis.* Oculos perdes.

5. At Phryx ridens, oculum suum sic est allocutus, o mi ocule, vale, nullus esto, pereas sane. Lib. 2. 67.

6. *Deunces.* Explicui hanc vocem lib. 1. Ep. 26.

8. Vinum hoc Phrygi aliud nihil, quam vinum fuit, & quidem suave: at ejus oculo fuit venenum, & pestiferum, quia oculos eo, tanquam veneno, est extinctus.

LV.

Male fortunatus.

1. Tristis, & felix: sciat hoc Fortuna caveto:
2. Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

V. 2. Ingratum. Qui sua beneficia animo iniquo accipias: lætum te ac hilarem in rebus bonis, ac lætis facito.

Roma-

LVI.

Romanæ roſæ.

1. Ut nova dona tibi, Cæſar, Nilotica tellus
2. Miſerat hibernas ambitioſa roſas:
3. Navita deriſit Pharios Memphiticus hortos,
4. Urbis ut intravit limina prima tuæ.
5. Tantus veris honor, & odore gratia Floræ,
6. Tantaque Pæſtani gloria ruris erat,
7. Sic quacumq; vagus greſſumq; oculoſque ferebat,
8. Sutilibus ſertis omnes rubebat iter.
9. At tu Romanæ juſſus jam cedere brumę,
10. Mitte tuas meſſes; accipe, Nile, roſas.

Verſ. 1. 2. Ægyptus tibi, o Cæſar, miſerat roſas hibernas, ut mira quædam, & inſolita munera, eas ambitioſe, quaſi magnum aliquid, venditans. *Nilotica*. Nilus Ægypti fluv. notiſſimus.

3. 4. Sed Ægyptii nautæ, cum Romam venerunt, cœperunt ſuam Ægyptum, ejuſque hortos, & roſas contemnere. Pharus, quid eſſet expoſui Epigr. 13. lib. 1. Quid Memphis, lib. Spect. Epigr. 1.

5. Tot videbant Ægyptii, vel media in hyeme, flores & roſas Romæ. Flora erat hortorum, & florum Dea.

6. Tanta erat roſarum copia ex agro Pæſtano (Lib. 4. Ep. 48.) advectarum.

8. *Sutilibus*. Iter ſe nexis, & conſutis. Legitur etiam, *textilibus*.

9. *Juſſus cedere, &c.* Coactus fateri roſas, vel in ipſa bruma, eſſe Romæ plures, ac præſtantiores, quam in Ægypto, ubi æſtas aſſidua.

10. Contentus eſto nobis frumentum mittere, roſis tuis carere poſſumus, imo tibi noſtras mittere.

LVII.

Mendicat eleganter.

1. Quidam me modo, Rufe, diligenter
2. Inſpectum, velut emptor, aut laniſta,
3. Cum vultu digitoque ſubnotaſſet,
4. Tune es, tune, ait, ille Martialis,
5. Cujus nequitias jocoſque novit
6. Aurem qui modo non habet Batavam?
7. Subriſi modice, levique notu
8. Me, quem dixerat eſſe, non negavi.

9. Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
10. Reſpondi: quia ſum malus poeta.
11. Hoc ne ſæpius accidat poetæ,
12. Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas,

Verſ. 2. *Velut emptor*. Quaſi vellet emere mancipium aliquod. Qui emebant ſervos; eos diligenter inſpiciebant, ne quid lateret vitii: item laniſtæ, qui gladiatores emebant, ut eos alerent domi, exercerentque ad mutuam lanienam.

3. *Subnotaſſet*. Cum me, vultu admirantis in ſpeciem compoſito, & producto digito, commonſtraſſet.

5. *Nequitias*. Epigrammata ludicra, & improba.

6. Modo ille jocari paulum amet, ac ſciat. Auris Batava in hoc loco eſt, rudis jocorum, & imperita. Nempe rigidi, & bellicoſi erant Batavi, atque adeo minime iſtarum amantes nugarum. Nunc inter illos multi ſunt politioribus litteris in primis exculti.

9. *Lacernas*. De hac voce dictum Ep. 26. l. 2. & 2. lib. 4.

11. Ne quis mihi paupertatem exprobret, ac ſterilem poeſim objiciat.

LVIII.

Principis clementia.

1. Quantum ſollicito fortuna parentis Etruſco,
2. Tantum; ſumme ducum, debet uterque tibi.
3. Nam tu miſſa tua revocaſti fulmina dextra.
4. Hos cuperem mores ignibus eſſe Jovis.
5. Si tua ſit ſummo, Cæſar; natura Tonanti,
6. Utetur toto fulmine rara manus.
7. Muneris hoc utrumque tui teſtatur Etruſcus,
8. Eſſe quod & comiti contingit, & reduci.

Verſ. 1. Quantum Etruſcus pater debet filio ſuo, qui parenti fortunam, & calamitatem in meliorem ſtatum mutavit: tantum uterque, pater nempe, & filius, tibi debet, o Cæſar, qui preces filii audiveris, & patrem ab exilio revocaveris.

Sollicito. De patris exilio & calamitate. *Fortuna*: Sors, reſtitutio ab exilio.

Etruſco. Etruſcus pater, ſive Hetruſcus, primum Tiberii Cæſar libertus fuit, deinde Caligulam minus faventem expertus, ab eo pulſus aulo; mox tamen revocatus eſt, & in ejus comitatu profectus ad Germanicam expeditionem: ſub aliis deinde Cæſaribus varia fortuna uſus, ad magnos honores, & majores opes evaſit: annos demum 80. natus, a Domitiano juſſus exulare, filium habuit comitem

tem exilii voluntarium, sed ejus opera revocatus, non ita multo post decessit. Hunc laudat egregio carmine Statius l. 3. Sylvarum.

3. *Fulmina*. Exilii decretum.

6. Jupiter numquam, aut raro fulmina vibraret tota vi, tota manu. Esset in reos mitior.

7. 8. Etruscus filius utrumque hoc beneficium a te acceptum confitetur, & quod non ægre tuleris ipsum patri comitem sponte in exilium ire; & quod cum patre redire ab exilio jusseris.

LIX.

Sanus non sanus.

1. Octaphoro sanus portatur, Avite, Philippus:
2. Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Vers. 1. *Octaphoro*. Octaphorus erat lectica, quam servi octo ferebant, ea utebantur interdum ægroti, ut mollius gestarentur.

2. Jocus est in voce *sanus*: iste, sano licet corpore, licet valens, ac robustus, tamen octaphoro vehitur: an credis eum esse sanum? Id si credis, insanis ipse: ægrotat certe, non corpore, at animo, propter arrogantiam, & amorem deliciarum.

LX.

Epitaphium.

1. Editur heu! sextus sine te mihi, Rufe Camoni,
2. Nec te lectorem sperat, amice, liber.
3. Impia Cappadocum tellus, & numine lævo
4. Visa tibi, cineres reddit, & ossa patri.
5. Funde tuo lacrymas orbata Bononia Rufo:
6. Et resonet tota planctus in Æmilia.
7. Heu qualis pietas! heu quam brevis occidit ætas,
8. Viderat Alphei præmia quinque modo.
9. Pectore tu memori nostros evolvere lusus;
10. Tu solitus totos, Rufe, tenere jocos.
11. Accipe cum fletu mœsti breve carmen amici,
12. Atque hæc absentis thura fuisse puta.

Vers. 1. O Rufe Camoni, hunc sextum librum edidi, te absente.

3. 4. Rufus Camonius in Cappadocia decessit; ejusq; cineres Romam ad ipsius patrem sunt reportati.

4. *Numine lævo*. Quia adiit

sti adversis, iratisque superis, nempe in ea moriturus.

5. *Bononia*. Urbs Italiæ in Æmilia seu Longobardia: cis Padum: *Bologna*.

8. Vixerat per quinque tantum Olympiades, ideſt annos 20. ad Olympiam (quæ olim etiam Pisa dicta est) urbem Græciæ in Peloponneso: celebrabantur clarissima certamina ad fluvium Alpheum, quarto quoque anno ineunte; quod spatium propterea Olympias vocatum est. Vide Ep. 35. lib. 4.

12. Accipe hæc carmina loco thuris, quod in tuo funere superius adolevissem, si adfuissem.

LXI.

Vinum nivibus temperatum.

1. Setinum, dominæque nives, densique trientes.
2. Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
3. Stultus, & ingratus, nec tanto munere dignus,
4. Qui mavult hæres divitis esse Midæ.
5. Possideat Libycas messes, Hermumq; Tagumque,
6. Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.

Vers. 1. *Setinum*. Subaudi *Vinum*. Setia Campaniæ est oppidum, *Sezza*.

Dominæ. Quæ inter cæteras mensarum delicias veluti principatum obtinetis, quia vinum refrigeratis.

Densi. Crebri. De triente vide Ep. 26. lib. 1.

3. Est ille profecto insanus, & ingratus pro acceptis Fortunæ munere opibus, qui esse similis Midæ, & ejus esse hæres, ideſt, esse æque dives mavult, quam vina bona bibere.

5. Quicumque mihi invidet, ille sane Africæ messes, aureas Hermi, ac Tagi fluviorum arenas possideat: sed aquam calidam ipse bibat, mihi vinũ, & nives relinquat. Hermus nunc *Sarabat*, est, in Asia minori, devolvitur in Pactolum, & vicinos Smyrnæ campos alluit. Tagus in Hispania. *Tajo*. Ambo aureis arenis inclyti.

LXII.

Emax precatio.

1. Di tibi dent, & tu, Cæsar, quæcumque mereris:
2. Di mihi dent, & tu, quæ volo, si merui.

LXIII.

Damnosa familiaritas.

1. Mane salutavi vero te nomine casu;

2. Nec

2. Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
3. Quanti libertas conſtet mihi tanta, requiris?
4. Centum quadrantes abſtulit illa mihi.

Verſ. 1. Mane te tuo nomine ſalutavi, idque caſu, non dedita opera, te Cæcilianum appellavi, non dominum meum, ut patronos appellare ſolent clientes.

3. At caro iſta mihi ſalutandi libertas, & familiaritas conſtitit: nam abſtuliſti mihi ſtatim ſportulam, quam antea dare conſueveras.

4. De centum illis quadrantibus, & ſportula vide Ep. 51. lib. 1. & 6. lib. 3.

LXIV.

Vinum patere congruens.

1. Cælatus tibi cum ſit, Ammiane,
2. Serpens in patera Myronis arte;
3. Vaticana bibis: bibis venenum.

Verſ. 1. Siquidem habes pateram, in qua cælatus eſt ſerpens, & bibis vinum Vaticanum (quod erat peſſimum) certe venenum bibis, & cum iſto ſerpente tuum vinum congruit, ita ut ſerpens cælatum extra, indicare videatur toxicum intra latens.

2. *Myronis.* Erat ſculptor egregius de quo Plin. multa.

3. *Vaticana.* Mons Vaticanus, *il Vaticano*, prope Romam erat, nunc in ipſa Roma: in eo condita eſt admirabilis Baſilica S. Petri. In agro vicino colligebatur vinum deterrimum.

LXV.

Mulier unguentis delibuta.

1. Tam male Thais olet, quam non fullonis avari
2. Teſta vetus, media ſed modo fracta via:
3. Pullus abortivo nec cum putreſcit in ovo;
4. Amphora corrupto nec vitiata garo.
5. Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
6. Depoſita quoties balnea veſte petit;
7. Piſlothro viret, aut acida latet oblita creta:
8. Aut tegitur pingui terque quaterque faba.
9. Cum bene ſe tutam per fraudes mille putavit,
10. Omnia cum fecit, Thaida Thais olet.

V. 1. Pejus olet Thais, quam teſta, in qua fullones urinam

ad

ad expurgandas veſtes utilem, excipiunt; cum recentiſſime eſt fracta illa teſta, & in vicum projecta.

3. Ova vetera, maxime ſi per aliquot dies illis gallina incubuerit, ſunt odoris graviſſimi.

4. *Garo*, Eſt garum liquamen quoddam, & muriæ ſaliæ genus, factum ex inteſtinis piſciculorum, putridis, & ſale maceratis.

5. Ut odorem ſuum tetrum, alieno ſuavi permutet ac obruat.

7. Pſilothro utitur, quoties petit balnea; aut apponit affatim ori pigmentum confectum e creta aceto diluta. Eſt pſilothrum unguenti odorati genus, quo cutis lævigatur & politur detractis pilis; a verbo græco ψιλόω: nudo, pilis ſpoliato. *Viret*, quia juveniem quamdam ori viriditatem conciliat.

Acida creta. Creta aceto diluta.

8. Farina e fabis expreſſa, vultum totum tegit, oblinitq;

9. *Tutam*. A fœtore. Bene olentem.

10. Quidquid agat, male ſemper olet.

LXVI.

Splendidus alienis opibus.

1. Ponuntur ſemper chryſendeta Calpetano,
2. Sive foris, ſeu cum cœnat in urbe domi.
3. Sic etiam in ſtabulo ſemper, ſic cœnat in agro.
4. Non habet ergo aliud? non habet imo ſuum.

Verſ. 1. *Ponuntur*. In menſa apponuntur. *Chryſendeta*. Explicui Ep. 36. lib. 2.

3. *Stabulo*. Diverſorio, publico hoſpitio: ſic vocatur, quia ibi ſtatur de via. *Sic*. Cum iſtis poculis. *Agro*. Villa.

4. Nonne habet alia vaſa? aliam ſupellectilem? Imo non habet aliam ſuam, alienam habet. Nihil habet, quod ſuum ſit, adeo eſt pauper; ſi quid habet, aut commodatum ſumpſit ab aliis, aut furto ipſe ſuſtulit.

LXVII.

Vis exempli.

1. Non miror, quod potat aquam tua Baſſa, Catulle?
2. Miror quod Baſſi filia potat aquam.

Verſ. 1. *Tua*. Filia: quæ ſobrium patrem imitatur.

2. *Baſſi*. Ebrii parentis. Imitamur autem facilius exempla deteriora, quare magis mirandum eſt, ebrii hominis filiam non eſſe ebriam, quam ſobrii parentis prolem eſſe ſobriam.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER SEPTIMUS.

EPIGRAMMA I.

Lorica Domitiani.

1. ACcipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
2. Ipſa Meduſææ quem timet ira comæ:
3. Dum vacat hæc, Cæſar, poteris lorica vocari;
4. Pectore cum ſacro ſederit, ægis erit.

Verſ. 1. O Cæſar, qui ad bellum Sarmaticum es profecturus ſume thoracem qualem Minerva gerit, e crudo & rigido confectum ferro.

2. Quem vel ipſa ægis Minervæ, horrida & terribilis ob Meduſæ caput in ea ſculptum, ac iratis ſerpentibus hirſutum, timeat. Qui terribilior eſt Ægide Minervæ. Alii ſic leguntur hunc verſum: *Ipſa Meduſææ quo tumet irâ comâ.* Nempe; quo in thorace cernitur Meduſæ caput iratis ac tumentibus anguibus, inſtar comarum, hirſutum. Alii ſic: *Ipſa Meduſææ, quem timet irâ Deæ.* Eſt adeo terribilis thorax, ut ipſa Pallas irata hunc formidare poſſit.

Meduſææ. Meduſa fuit una e Gorgonibus, cujus crines aureo prius colore inſignes, Minerva ipſi infenſa mutavit in colubros, quibus ea vis ſineſſet, ut quicumque illos aſpiceret, in lapidem verteretur. Perſeus accepto Palladis ſcuto, ubi repercuſſos in ſplendido ære colubros impune aſpiceret, Meduſæ caput abſcidit. Illud Minerva, aut illius effigiem, poſtmodum ſuo thoraci, vel clypeo inſeruit.

3. Quando loricam hanc non geſtabis; dum illa, te a bellis vacante, veluti ceſſabit, ac feriabitur, lorica vocari poterit, & mortalis thorax: quando illam indues, tunc Ægis vocabitur; & Jovis, aut Palladis thorax.

4. *Ægis.* Erat Deorum, vel lorica, vel clypeus, maxime Jovis, & Minervæ.

væ. Id nominis illi factum est, ex eo quod narrent poetæ, hunc thoracem, sive clypeum tectum fuisse pelle Amaltheæ capræ, a qua Jupiter nutritus est: vox enim græca αἴγις pellem caprinam significat. Innuit Martialis hoc epigrammate Domitianum esse Deum non inferiorem Jove, aut Minerva.

II.

Vota pro Domitiani reditu.

1. Invia Sarmaticis Domini lorica sagittis,
2. Et Martis Getico tergore fida magis:
3. Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus
4. Texuit innumeri lubricus unguis apri:
5. Felix sorte tua! sacrum cui tangere pectus
6. Fas erit, & nostri mente calere Dei.
7. I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
8. Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Vers. 1. O lorica Domitiani, quam nullæ Sarmatarum sagittæ pervadere poterunt ac perrumpere. Sarmatæ populi Europæ ad Septentrionem, nunc Poloni, Moschi, &c.

2. *Tergore*. Lorica, quæ olim e tergore, & corio pecudum fiebat. Dicitur Mars loricam habere Geticam, quia Getæ, populi barbari ad septentrionalem Europæ plagam (pag. 302.) sunt admodum bellicosi. Sensus est: qua indutus Cæsar tutior erit, quam si gereret Martis ipsius loricam.

3. 4. Quæ est texta, & conserta e squamis æneis, aprorum ungues imitantibus; vel ex ipsismet aprugnis ungulis, veris ac nativis, atque adeo tuta est contra ictus lanceæ vel acutissimæ. Ætoli enim, teste Plinio, lanceas invenere: adde, quod celebris ille Meleager, qui telis aprum interemit, Ætolus fuit. Vide ep. 14. Libri Spect.

8. Victis hostibus, Cæsarem urbi cito restitue triumphantem, & toga palmata indutum. Vestis palmata triumphantium erat propria: sic dicta est a ramis palmarum in ea intextis, sive pictis: toga gestabatur a civibus in urbe; ut in acie sagum a militibus; paludamentum ab Imperatoribus.

Ad

III.

Ad malum Poetam.

1. Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
2. Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

IV.

Vates pallidus.

1. Esset, Castrice, cum mali coloris,
2. Versus scribere cœpit Oppianus.

Vers. 1. Oppianus pallebat morbo: putavit oblatam sibi esse commodam occasionem colligendæ famæ: cœpit versus facere, ut e studio, & labore pallere crederetur. Vel putavit satis esse, ut poeta fieret, si esset pallidus. Vide Horatium in Arte Poetica, sub finem.

V.

Ad Domitianum, ut in urbem redeat.

1. Si desiderium, Cæsar, populique, patrumque
2. Respicis, & Latiæ gaudia vera togæ;
3. Redde Deum votis poscentibus: invidet hosti
4. Roma suo, veniat laurea multa licet:
5. Terrarum dominum propius videt ille, tuoque
6. Terretur vultu barbarus, & fruitur.

Vers. 3. *Deum*. Te: sic enim se appellari edicto sanxit.

Invidet hosti. Qui te præsente fruitur.

4. *Laurea*. Corona e laurea, signum victoriæ: litteræ laureatæ, de quibus vide sequens Ep. Quamvis de tuis victoriis felices, & crebri nuncii Romam afferantur.

VI.

Ad eumdem.

1. Ecquid Hyperboreis ad nos conversus ab oris
2. Ausonias Cæsar jam parat ire vias?
3. Certus abest auctor, sed vox hoc nunciat omnis:
4. Credo tibi: verum dicere, Fama, soles.
5. Publica victrices testantur gaudia chartæ:
6. Martia laurigera cuspide pila virent.
7. Rursus, io, magnos clamat tibi Roma triumphos,
8. Invictusque tua, Cæsar, in urbe sonas.

9. Sed

9. Sed jam lætitiæ quo ſit fiducia major,
10. Sarmaticæ laurus nuncius ipſe veni.

Verſ. 1. Ergone tandem Cæſar in Italia a ſeptentrione revertitur? De voce *Hyperboreus* Vide Ep. 3. l. 4.

2. *Auſonias*. Italas, Auſon, vel Auſonius, Italiæ rex priſcus fuit.

4. O fama, credo tibi, redire Domitianum: vox enim publica & fama ſolet vera eſſe.

5. *Chartæ*. Illigatæ lauro litteræ, quas duces, reportata victoria, mittere ſolebant ad ſenatum.

6. *Pila*. Jacula brevia, Romanis uſitata. Illa poſt victoriam partam, lauro implicabantur.

8. *Sonas*. Diceris, prædicaris.

VII.

Domitiani abſentis deſiderium.

1. Hiberna quamvis Arctos, & rudis Peuce,
2. Et ungularum pulſibus calens Iſter,
3. Fractuſque cornu jam ter improbe Rhenus,
3. Teneat domantem regna perfidæ gentis
5. Te ſumme mundi rector, & parens orbis:
6. Abeſſe noſtris non tamen potes votis.
7. Illic & oculis, & animis ſumus, Cæſar:
8. Adeoque mentes omnium tenes unus,
9. Ut ipſa magni turba neſciat circi.
10. Utrumne currat Paſſerinus, an Tigris.

Verſ. 1. *Arctos*. Vide Librum Spectac. Ep. 14.

Peuce. Inſula eſt, in Iſtri oſtio: *Rudis*, Barbara, inculta.

2. *Iſter*. Fluvius idem prope fontem. Danubius; prope oſtia, Iſter vocatur. Calere dicitur ungularum equiparum pulſibus, quia gelu conſtrictus equos tranſeuntes impune admittit. Sic a Virgilio fervere via dicitur, in qua multi ultro citroque commeant: calor quippe in motu maxime eſt. pag. 231.

3. *Cornu*. Dantur fluviis taurorum cornua, ob ſtrepitum fluctuum, qui mugitum taurorum imitatur. Ob eam rem Achelous fluvius, in taurum ſe ipſe dicitur convertiſſe, ut cum Hercule dimicaret, a quo victus & uno cornu truncatus eſt. Rhenus dicitur hic ter exutus cornibus, ob triplicem Domitiani victoriam de Germanis.

7. *Illic*. Ibi, ubi es.

8. Ita te unum cogitamus, licet abſentem, ac videmus, ut cum Paſſerinus & Ti-


image
not
available

X.

Aliena curans, ſua negligens.

1. In lucem cœnat Sertorius: Ole, quid ad te?
2. Cum liceat tota ſtertere nocte tibi.
3. Septingenta Tito debet Lupus; Ole, quid ad te?
4. Aſſem ne dederis, crediderisve Lupo.
5. Illud diſſimulas ad te quod pertinet, Ole,
6. Quodque magis curæ convenit eſſe tuæ:
7. Pro togula debes; hoc ad te pertinet, Ole;
8. Quadrantem nemo jam tibi credit: & hoc.
9. Uxor mœcha tibi eſt: hoc ad te pertinet, Ole;
10. Poſcit jam dotem filia grandis: & hoc.
11. Dicere quindecies poteram, quod pertinet ad te:
12. Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

Verſ. 1. Cœnam uſque in lucem protrahit: nocte tota pergrœcatur.

3. *Septingenta*. Subaudi ſeſtertia, ideſt, libras Turon. 70000.

4. Cave tu tantum, ne quidquam credas Lupo, ſcilicet malo debitori, ne quid illi des: noli eſſe ſollicitus, an alius ei det, creditve.

7. *Debes*. Nempe nummos.

8. *Quadrantem*. Quartam aſſis partem. Pap. 248.

12. Quemadmodum ad te nihil pertinet, quid agant alii, ſic ad me nihil ſpectat quid agas tu; vereorque ne illum meum mihi reponas, *Quid ad te?*

XI.

Verſus archetypi.

1. Cogis me calamo, manuque noſtra
2. Emendare meos, Pudens, libellos:
3. O quam me nimium probas, amaſque,
4. Qui vis archetypas habere nugas!

Verſ. 1. Poſtulas a me meos libellos, ſed mea manu emendatos, ut illos nempe in tuis ſcriniis ſerves: deamo te, ac demiror, qui rem tantillam, quales ſunt mei verſus, tanti facias, ut velis eorum primarium exemplar domi habere. Eſt archetypum primum rei exemplum, primum opus, ad cujus ſimilitudinem fiunt alia, ἀρχὴ, initium: τύπος, typus, forma, exemplar.

Liber

XII.

Liber innoxius.

1. Sic me fronte legat Dominus, Fauſtine, ſerena,
2. Excipiatque meos qua ſolet aure jocos:
3. Ut mea, nec juſte quos odit, pagina lædit,
4. Et mihi de nullo fama rubore placet.
5. Quid prodeſt? cupiant cum quidam noſtra videri
6. Si qua Lycambeo ſanguine tela madent:
7. Vipereumque vomant noſtro ſub nomine virus,
8. Qui Phœbi radios ferre diemque negant.
9. Ludimus innocui, ſcis hoc bene: juro potentis
10. Per Genium famæ, Caſtaliumque gregem,
11. Perque tuas aures, magni mihi numinis inſtar
12. Lector, inhumana liber ab invidia.

Verſ. 1. *Dominus*. Cæſar.

3. Sic me libenter a Domitiano legi velim, ut lædo neminem in meis ſcriptis, ne illos quidem, in quos odio juſto ſum incenſus.

4. Nec placet mihi fama quæſita ex aliquo epigrammate, quod alicui ruborem & pudorem afferat.

5. Quid hoc mihi tamen prodeſt, quod vel inimicis temperem, ſi nihilominus quidam mihi attribuunt, & pro noſtris venditant carmina nonnulla maledica, qualia edita olim fuere in Lycāben? Archilochus poeta græcus lyricus inſignis fuit: huic Lycambes Neobulen filiam cum deſpondiſſet, eamdē mutato conſilio alteri nuptſi dedit. Iratus Archilochus tam amaros in Lycāben jambos ſcripſit, ut ille ſibi laqueo vitam eripuerit.

8. Qui non audent ſuum nomen prodere, qui lucem oderunt: atque adeo ſub meo nomine ſua maledicta pervulgant.

10. *Genium Famæ*. Per illum Deum, qui famæ præſidet, qui eruditorum laudi conſulit. Lege lib. 6. Ep. 41.

11. Et per tuas aures, quibus benigne me audis, o lector candide, & ab omni invidia disjuncte, qui mihi inſtar magni Apollinis, & Muſarum es, cujus favore pluris facio, quam omnes Muſas.

XIII.

In mulierem formæ ſtudioſam.

1. Dum Tiburtinis albeſcere ſolibus audit
2. Antiqui dentis fuſca Lycoris ebur

3. Ve-

3. Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
4. Aura valet? parvo tempore nigra redit.

Verſ. 1. 2. Ordo eſt. Dum Lycoris fuſca, audit Tiburtino ſole, & cœlo fieri album ebur, etſi vetus, & nigrum, eo acceſſit. Sed nigra rediit, quæ nigra venerat. *Antiqui dentis ebur.* Ebur eſt dens elephantinus.

3. *Herculeos*. Pagina 36. 209. 212.

XIV.

Munera bis utilia.

1. Æra domi non ſunt: ſupereſt hoc, Regule, ſolum
2. Ut tua vendamus munera: numquid emis?

Verſ. 1. Nulla mihi domi eſt pecunia: ſunt multa, quæ a te accepi munera; cogor ea vēdere, ut nempe ex iis venditis conficiam nummos. Num vis ea emere? Expectat nempe vates, dum Regulus dicat, parce hoc facere, retine mea munera: do illam tibi, quam ex iis venditis redigeres, pecuniam: hanc habe, cum muneribus.

XV.

Suos libellos, amico mittit.

1. Ruris bibliotheca delicati,
2. Vicinam videt unde lector urbem?
3. Inter carmina ſanctiora ſi quis
4. Laſcivæ fuerit locus Thaliæ,
5. Hos nido licet inſeras vel imo
6. Septem quos tibi mittimus libellos,
7. Auctoris calamo ſui notatos:
8. Hæc illis pretium facit litura.
9. At tu munere dedicata parvo,
10. Quæ cantaberis orbe nota toto,
11. Pignus pectoris hoc mei tuere,
12. Juli bibliotheca Martialis.

Verſ. 1. *Ruris*. Villulæ elegantis. Illam fuſe deſcribit Lib. 4. Ep. 52.

2. *Vicinam*. Erat enim iſta villa in Janiculo, qui colliculus imminet Romæ.

2. *Sanctiora*. Severiora, graviora. Pag. 234.

4. *Thaliæ*. Uni e Muſis, quæ jocis, & ludicris verſibus gaudet: θάλλω, *floreo*.

5. *Nido*. Loculo, ſcrinio.

7. *Notatos*. Scriptos a me, & emendatos, atque adeo non carentes lituris.

8. Li-

8. Litturæ bona carmina commendant, quia indicant esse emendata, & scripta diligenter.

9. *Dedicata*. Donata, consecrata.

11. *Pectoris*. Amoris.

XVI.

Antiqua in pretio.

1. Fragmentum quod vile putas, & inutile lignum.
2. Hæc fuit ignoti prima carina maris.
3. Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
4. Frangere, nec Scythici tristior ira freti,
5. Sæcula vicerunt: sed quamvis cesserit annis,
6. Sanctior est salva parva tabella rate.

Vers. 1. Quod vides navis fragmentum, ac putas vile esse lignum, est carina, seu trabs infima navis Argus, quæ Argo fuit prima ratis commissa mari adhuc ignoto, & intentato.

3. Quam navim procellæ ac tempestates gravissimæ excitatæ ad insulas Cyaneas non potuerũt frangere, hanc vicit vetustas. Cyaneæ, sunt insulæ duæ, seu potius scopuli, ad os Bosphori Thracii prope Pontum Euxinum, quem in sequenti versu Scythicum appellat fretum. Dictæ sunt etiam a veteribus Symplegades, Planetæ, Syndromades, quod eminus intuentibus videntur moveri loco, & in se incurrere: ab incolis vocantur *Jarcazes*.

5. *Sed, &c.* Quamvis sæculis, & vetustate fracta ratis & victa sit: hac tamen unica, quæ supereſt, tabula exigua, & trabs, propter antiquitatem est venerabilior, quam ipsa tota fuerit olim Argo salva, & recens: imo quam alia quælibet ratis integra. De Argo navi, & Argonautis dixi pag. 174.

XVII.

In gulosum.

1. Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra:
2. Rectam vocatus cum cucurrit ad cœnam,
3. Quam tot diebus noctibusque captavit;
4. Ter posçit apri glandulas, quater lumbum,
5. Et utramque coxam leporis, & duos armos:
6. Nec erubescit pejerare de turbo,
7. Et ostreorum rapere lividos ciros.
8. Dulci placenta sordidam linit mappam:
9. Illic & uvæ collocantur ollares,

10. Et


image
not
available

convivarum positi cœnant & vile potant vinum. Vel: lagenam, quam habet paratam ad pedes, optimo vino implet.

19. *Ducentas scalas*. Per ducentos gradus, quia prope tegulas habitat.

XVIII.

De natali die Lucani.

1. Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus,
2. Lucanum populis, & tibi, Polla, dedit,
3. Heu! Nero crudelis, nullaque invisior umbra:
4. Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

Vers. 2. *Polla*. Uxor Lucani fuit.

3. Crudelem te, Nero, qui hunc mori jusseris. Nulla umbra, nullius cæde, majorem tibi invidiam concitasti. Natus est Lucanus Cordubæ in Hispania. Cum ipsi Nero invideret ob famam ingenii, & eruditionis; sentiens hoc Lucanus de tollendo ipso Nerone conjuravit: re detecta, morte mulctatus est. Pag. 66.

4. Alludens Martialis indicat Neronis vocem, qui cum plurimos egregios cives impune de medio sustulisset, ajebat se nescisse hactenus, quantum Imperatori liceret. Utinam, inquit Martialis, tibi tantum poetam interficere non licuisset.

XIX.

De eodem.

1. Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
2. Lux redit; Aonidum turba favete sacris.
3. Hæc meruit, cum te terris, Lucane, dedisset,
4. Mistus Castaliæ Bætis ut esset aquæ.

Vers. 2. *Aonidum turba*. Musæ vocantur Aonides ab Aonia regione Bæotiæ, ubi maxime colebantur.

Sacris. Sacrificio in Lucani honorem faciendo.

4. Metuit ista dies, Lucani videlicet natalis, ut Bætis, (Hispaniæ flumen, Andalusiam, in qua est Corduba Lucani patria, perfluens, nunc *Guadalquivir*,) jungeretur cum aqua fontis Castalii, eodemque honore celebraretur. Fons Castalius est in Phocide ad radices Parnassi montis. Musis sacer.

XX.

De eodem.

1. Phœbe veni, sed quantus eras cum bella canenti

2. Ipſe dares Latiæ plectra ſecunda lyræ.
3. Quid tanta pro luce precer? tu, Polla, maritum
4. Sæpe colas, & ſe ſentiat ipſe coli.

Verſ. 1. *Veni*. Ad ſacra, pro colendo natali die Lucani celebranda.

Bella. Civilia inter Cæſarem, & Pompejum.

Canenti. Lucano. Scripſit verſibus hiſtoriam belli civilis. Legitur in quibuſdam codicibus *tonanti*: quæ vox indicat ſtylum Lucani inflatum, ac ſæpe fragoris plus quam dignitatis habentem.

2. *Secunda &c.* Cum ipſi ſecundam a Virgilio carminis Latini palmam concederes; cum unum illi Virgilium anteferres. Plectrum eſt pectem ſeu inſtrumentum quo fila lyræ feriuntur: πλῆττω percutio.

4. *Colas*. Mariti memoriam ſacris anniverſariis ſæpe recolas, & renoves, atque adeo vivas diu, & ipſe ſe a te coli, ubi eſt, ſentiat, & hac ſuaviſſima voluptate poſt obitum perfruatur.

XXI.

In obtrectatorem.

1. Cum Juvenale meo, quæ me committere tentas,
2. Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
3. Te fingente nefas, Pyladen odiſſet Oreſtes:
4. Theſea Pirithoi deſtituiſſet amor.
5. Tu Siculos fratres, & majus nomen Atridas,
6. Et Ledæ poteras diſſociare genus.
7. Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor auſis;
8. Ut facias illud, quod mala lingua facis.

Verſ. 1. *Committere*. Quaſi pugnaturum componere: committi enim, & componi proprie dicuntur gladiatores certaturi. Quæ diſſidii cauſas inter nos, & inimicitiarum ſeris, quæ noſtram conaris amicitiam diſcindere.

3. *Fingente nefas*. Criminante: odia inter amicos excitante fictis criminibus.

Pyladen. Vide Lib. 6. Ep. 9.

4. *Theſea*. Vid. lib. 10. ep. 11.

5. *Siculos fratres*. Nominatur illi a Strabone Lib. VI. Anphinomus, & Anapias, qui ob mutuum amorem tota Sicilia fuere celeberrimi.

Atridas. Agamemnonem & Menelaum Atrei regis Mycenarum filios. *Majus nomen*. Illuſtriores Siculis iſtis fratribus.

6. *Ledæ genus*. Caſtorem, & Pollucem. Lib. 5. Ep. 38.

8. *Ut facias &c.* Nempe ut pergas maledicere. Quid enim maledicentia odioſum hominibus magis, & inviſum?

Acu-

XXII.

Acuta epigrammata.

1. Dulcia cum tantum ſcribas epigrammata ſemper,
2. Et ceruſſata candidiora cute;
3. Nullaque mica ſalis, nec amari fellis in illis
4. Gutta ſit; o demens, vis tamen illa legi.
5. Nec cibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti;
6. Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.
7. Infanti melimela dato, fatuaſque mariſcas,
8. Nam mihi, quæ novit pungere, Chia ſapit.

Verſ. 2. *Ceruſſata.* Ceruſſa pigmentum eſt eximii candoris, quo feminæ os oblinunt 3. *Salis.* Ad oblectandum. *Fellis.* Ad pungendum. 5. Non delectat cibus, niſi addatur aliquid acidum, quo guſtus acuatur, 6. *Gelaſinus.* Ita vocantur rugæ, quibus inter ridendum frons ſulcatur: Gelaſini etiam dicuntur illi dentes anteriores, qui ridendo nudantur. Denique eſt geſtus omnis, qui editur a ridente: γέλως, riſus. 7. *Melimela.* Sic vocantur poma dulcia, & quaſi mellita: μέλι, mel; μῆλον pomum. Mariſcæ ſunt ficus inſulſæ, & languidi ſaporis, fatuæ idcirco hic dictæ. 8. *Chia.* Ficus advecta ex inſula Chio, (eſt illa in Ægeo mari, nunc *Scio*,) quæ multum ſalis, & acuti ſaporis habet.

XXIII.

Libro patronum quærit

1. Apollinarem conveni meum Scazon,
2. Et ſi vacabit (ne moleſtus accedas:)
3. Hoc qualecumque, cujus aliqua pars ipſe eſt,
4. Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures.
5. Si te receptum fronte videris tota,
6. Noto rogabis ut favore ſuſtentet.
7. Quanto mearum ſcis amore nugarum
8. Flagret: nec ipſe plus amare te poſſum.
9. Contra malignos eſſe ſi cupis tutus,
10. Apollinarem conveni meum Scazon.

Verſ. 2. Si erit otioſus, nolo enim moleſtum te illi eſſe; eſſes autem, ſi feria occupatione diſtrictum adires.

3. *Hoc &c.* Hunc libellum, cujus pars aliqua ipse est, siquidem ejus nomen in eo legitur, in hoc scilicet epigrammate, vel quia ipse librum emendaverat.

4. Illius aures imbuant hoc meum carmen. Videtur esse hypallage, pro *Carmen aures imbuat*, idest, impleat: auribus avidis, & attentis hauriatur. Sic animus dicitur imbui opinione, doctrina.

5. Si te videris ab eo accipi fronte penitus exporrecta, & hilari, eum rogabis, ut solito favore tueri te pergat.

XXIV.

Aper dono missus.

1. Thuscæ glandis aper populator, & ilice multa
2. Jam piger, Ætolæ fama secunda feræ,
3. Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,
4. Præda jaces nostris invidiosa focis.
5. Pinguescant madido læti nidore Penates,
6. Flagret & exciso festa culina jugo.
7. Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
8. Addet & arcano mista Falerna garo.
9. Ad dominum redeas, noster te non capit ignis,
10. Conturbator aper: vilius esurio.

Vers. 1. *Thuscæ, &c.* Qui glande silvarum Thusciæ pastus es. In Thuscia, *la Toscana*, Italiæ parte, apri erant præstantes.

2. *Piger*. Ob adipem & saginam.

Ætolæ &c. Proximus Ætolo illi apro, quem Meleager occidit. Vide Lib. Spect. Ep. 14. Omnium ferocissimus secundum aprum Ætolum.

3. *Intravit*. Intrante & adacto per medium corpus venabulo, interfecit.

Dexter. Martialis amicus quidam.

4. *Invidiosa*. Quæ mihi aliorum accerses invidiam; invidebitur enim mihi, penes quę regiæ istæ sint dapes. Nobis onerosa, & gravis.

5. Age igitur, tam opimus cibus, ut par est, torreatur, & mei Penates (erant Dii domestici, quorum simulacra prostabant ad focum) rudes, inculti, nec lautis id genus obsoniis assueti, fumo istius apri madeant, ac pinguescant. Fuligo & nidor pingue quiddam, & unctum habent.

6. *Jugo*. Lignis e montis jugo excisis.

8. *De garo*. Vide Lib. VI. Ep. 65. *Arcano*. Clam infuso. De vino Falerno dictum supra.

9. Non capit te angusta mea culina, egentior sum, quam, ut te condiam pro dignitate.

10. *Con-*

10. *Conturbator*. Quasi decoctor, qui faceres ut ego conturbare cogerer, & omnes meas fortunas unum in obsonium conferre.

Vilius esurio. Fames mea placari potest, ac solet, viliori cibo, & minoris impensæ.

XXV.

Lectorem qualem velit.

1. Sic Tiburtinæ crescat tibi sylva Dianæ,
2. Et properet cæsum sæpe redire nemus:
3. Nec Tarteſſiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
4. Cedat, & immodici dent bona musta lacus:
5. Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
6. Excolat & geminas plurima palma fores:
7. Otia dum medius præstat tibi parva December,
8. Exige, sed certa, quos legis, aure, jocos.
9. Scire libet verum: res est hæc ardua; sed tu
10. Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

Vers. 1. Precor, optoque ut sylva cæsa, quam prope Tibur habes, (de Tibure actum pag. 36. 209. 212.) cito revirescat; ut Pallas tua, idest, olivæ tuæ (Pallas enim oleæ inventrix) non cedant trapetis Tarteſſiacis, hoc est, tantum olei copiam tibi reddant, quantam exprimunt e suis oleis trapeto, seu prælo & molæ subjectis Hispani prope oppidum Tarteſſum. Hæc, inquam, precor tibi omnia, ea lege, & conditione, ut meum libellum evolvas, expendasque.

Tarteſſiacis. Tarteſſus fuit olim oppidum Hispaniæ Bæticæ, ad oram maritimam; prope fretum Gaditanum, & vocabatur *Tariffa*, cum illud a Mauris Hispani receperunt, nunc est dirutum. Sunt qui Tartassum velint esse urbem primariam Gaudium insulæ, nunc *Calix*, & *Cadix*.

4. *Lacus*. Sunt ingentia vasa, & dolia, quæ liquorem a trapetis expressum excipiunt.

5. *Mirentur*. Te dicentem & causas agentem. Erat ille orator bonus. Fora Romæ plurima erant. Lege pag. 31. 75. *Palatia*. Aula, Imperator, aulici.

6. Palmæ præfigebantur januis cautidicorum, qui vicissent causam.

7. *Medius December*. Tunc enim agebantur Saturnalia, & silebat forum.

8. *Exige*. Examina, excute. *Certa aure*. Certo & sagaci judicio.

9. 10. Pervelim veritatem ex te rescire: aperi mihi candide, & vere quid sentias de meis

meis epigrammatis, & jocis. Scio rem esse arduam. Potest hoc ipsum exponi quasi: a Fusco diceretur. Rem magnam petis, o Martialis: veritas odium parit. Sic est, (reponit Martialis) tu tamen potes id mihi dicere, quod tibi velles dici, si ipse quempiam rogares, quid de aliqua causa a te perorata sentiret: dic mihi quod tibi dici velles; id est, lauda me, ut velles laudari.

XXVI.

Villa sterilis.

1. Rauce cortis aves, & ova matrum,
2. Et flavas medio vapore Chias.
3. Et fœtum querulæ rudem capellæ,
4. Nec jam frigoribus pares olivas,
5. Et canum gelidis olus pruinis
6. De nostro tibi rure missa credis?
7. O quam, Regule, diligenter erras!
8. Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
9. Quidquid villicus Umber, aut colonus,
10. Aut rus marmore tertio notatum,
11. Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt;
12. Id tota mihi nascitur Suburra.

Vers. 1. *Aves.* Gallinas, columbas, anates &c. quæ in rustica strepitant corte. *Matrum.* Gallinarum.

2. Et ficus Chias (de quibus Ep. 21.) mediocri ac temperato cœlore, vel, meridiano sole, siccatas. 3. Hœdum.

4. Et olivas jam frigore contractas, ac sei ferendo non pares.

7. *Diligenter.* Quasi dedita opera, & dissimulans ruris mei notam sterilitatem.

9. *Umber.* Umbria, pars Italiæ ad mare Adriaticum, nunc vocatur *il Ducato di Spoleto.*

10. *Marmore.* Lapide. Ad singulos mille passus lapis in via publica erigebatur, quo in lapide locorum intervalla, & leucæ notabantur. pag. 36.

11. *Tusci, Tusculi.* Subaudi, coloni, clientes. Tusculum urbs alias Latii, nunc Campaniæ Romanæ; *Frascati.* Tuscia, Italiæ pars, *la Toscana.*

12. Id omne in urbe, in vico Suburra, emo. De Suburra notam habes in Epig. 15. Lib. 2.

XXVII.

Laudat currendi exercitationem.

1. Attice, facundæ renovas qui nomina gentis,

2. Nec

2. Nec finis ingentem conticuisse domum:
1. Te pia Cecropiæ comitatur turba Minervæ,
4. Te secreta quies, te sophos omnis amat.
5. At juvenes alios fracta colit aure magister,
5. Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
7. Non pila, non follis, non te paganica thermis
8. Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
9. Vara nec injecto ceromate brachia tendis,
10. Non harpasta vagus pulverulenta rapis:
11. Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
12. Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
13. Per varias artes, omnis quibus area fervit,
14. Ludere, cum liceat currere, pigritia est.

Vers. 1. *Atticæ*. Erat e stirpe Pomponii Attici, cujus extat vita apud Cornelium Nepotem.

2. Qui non finis, ut laus Atticorum in tua domo conticescat: qui gloriam & famam eruditionis a majoribus partam, egregie sustines.

3. Semper habes in tuo comitatu Athenienses philosophos. Cecrops fuit rex primus Athenienium. Minerva litterarum præses.

4. Colunt, amantque te, qui ab omni ambitione, & negotiis remoti, otium sectantur. Te sophi, ideſt, sapientes omnes ambiunt. Sophos, græca terminatio, pro sophus; σοφὸς, sapiens, philosophus.

5. At alios juvenes, tui videlicet dissimiles, magister aliquis, qui fractas & contusas plagis aures habet, excolit, docetque illos pugilatum, sive artem athleticam. Pugiles, cum inter se luctantur, fere caput, aureſque adversariorum petunt. Voces illæ *fracta aures*, possunt referri ad aures juvenum crebro exercentis magistri pulsu, vel præceptis, contritas.

6. Spoliat illos unctor opibus quas non meretur. In palæstris præsto erant servi, qui corpora sudore diffluentia fricarent, ungerentque; unctores & aliptæ dicebantur, ac plurimam a pugilibus pecuniam corradebant, homines vilissimi.

7. *Paganica*. Erat pila quædam, pluma vel tomento farta, quam nudis manibus rustici pulsare in pagis solebant, unde illi nomen paganicæ. Pag. 190.

8. *Præparat*. Antequam in thermis corpora lavarent, quod paulo ante cœnam. factitabant, aliqua exercitatione utebantur, maxime pilla pulsanda, folle, &c.

Nudi stipitis. Aliud exercitationis genus. Pali defigebantur in terram, ita ut sex pedibus extarent humo: hos cominus fudibus, ideſt

baculis ligneis; eminus, talis & jaculis, tanquam si veri hostes fuissent, petebant. *Ictus hebes*. Quia non ferro sed ligno, sive ligneis gladiis & telis, lignum & stipitem lacessebant, hostis veri simulacrum.

9. Non injicis, non allinis tuis brachiis ceroma, ut lucteris. Qui luctabantur, variis ideſt, diversis, contortis, divaricatis brachiis dejicere se nitebantur; cumque nudi fere pugnarent, oleo quodam crasso (ceroma vocabatur, de quo vide Lib. IV. Ep. 4.) corpus inungebant.

10. *Harpasta*. Vide Lib. 4. Epig. 14.

11. 12. Sed te tantum exercet curſus, ad aquam *Virginem* (de illa dictum l. 5. Ep. 20.) vel ad porticum Europæ (de qua vid. Ep. 12. l. 2.) ubi Jupiter pingitur mutatus in taurum, & vehens Europam regis Sidoniorum filiam.

13. Cum alicui liceat currere, ille si malit variis artibus quibus area, ideſt Campus Martius, & palæstræ fervent, ludere, dicendus piger est: pigritia mera est usurpare alios ludos; sola currendi exercitatio plena est alacritatis, & utilitatis, ac ceteris est merito præferenda. Vulgo legitur: *Omnis quibus areæ servit*: lego, fervit a fervo, fervis, quo poetæ utuntur pro, ferveo, ferves.

XXVIII.

Male concinnus.

1. Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
2. Candidior prima sit tibi, Cinna, nive:
3. Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
4. Collige, Cinna, togam; calceus, ecce perit.

V. 3. Merito reprehendit Cinnam, qui majorem calceorum, quam togæ rationem haberet, vel, qui inquinaret, perderetque calceos, ut togam male ostentaret; ac longo fluentem syrmate per cœnam traheret.

XXIX.

A malis aliquid boni fieri potest.

1. Quo possit fieri modo, Severe,
2. Ut vir pessimus omnium Charinus
3. Unam rem bene fecerit, requiris?
4. Dicam, sed cito. Quid Nerone pejus?
5. Quid thermis melius Neronianis?
6. Non deest protinus ecce de malignis,

7. Qui

7. Qui ſic rancidulo loquatur ore:
8. Ecquid tu Domini Deique noſtri
9. Præfers muneribus Neronianas?
10. Thermas præfero balneis Charini.

Vtrſ. 2. Unam rem. Thermas populo utiles.

4. Dicam. Reſpondet exemplo. Nero fuit peſſimus, optimas tamen thermas extruxit. Quid eſſent Thermæ explicui Pag. 5.

6. Video non defuturos quoſdam ex invidis, & malignis, qui omnia in pejorem partem interpretantur, qui me accuſant quaſi præferam Neronis thermas operibus publicis a Domitiano in uſum, & gratiam populi extractis: ego vero id non ago: præfero tantum Neronianas thermas balneis Charini hominis impuri, & obſcuri, Domitiani munera colo, & venereor. Ille ſe Deum vocari, ut jam dixi, juſſerat.

XXX.

Domus dives, pauper dominus.

1. Cum pluvias madidumq; Jovem perferre negaret,
2. Et rudis hibernis villa nataret aquis;
3. Plurima, quæ poſſet ſubitos defendere nimbos,
4. Muneribus venit tegula miſſa tuis.
5. Horridus, ecce, ſonat Boreæ ſtridore December;
6. Stella, tegis villam, non tegis agricolam.

V. 1. &c. Cum mea villa rudi, & agreſti opere ſtructa undique perplueret, miſiſti ad me tegulas, quibus pluviam arcerem; tecta eſt & ſecura nunc villa; ſed ego nudi adhuc ſumus, nos tege.

Agricolam. Villæ dominũ, qui agrum, & domum colit.

XXXI.

Naſus homicida.

1. Noſti mortiferum quæſtoris, Caſtrice, ſignum?
2. Eſt operę pretium diſcere theta novum.
3. Exprimeret quoties rorantem frigore naſum,
4. Lethalem juguli juſſerat eſſe notam.
5. Turpis ab inviſo pendebat ſtiria naſo,
6. Cum ſtaret madida fauce December atrox

7. Collegæ tenuere manus; quid plura requiris?
8. Emungi misero, Castrice, non licuit.

Vers. 1. 2. Quæstor quidam, homo crudelis & in proscriptionibus, tempore, ut ajunt, Vitelli, versatus, cum aliquem vellet interfici, hoc dabat lictoribus suis signum, ut nasum sibi emungeret. Is cum versaretur per hyemem inter amicos aliquando, ac nasus illi muco & stiria gravis esset, manum naso admovit, quasi emuncturus. Qui astabant, ferale signum veriti, eum prohibuerunt, atque adeo mucosum & fœde stillantem nasum circumferre coactus est, vetitusq; nasum sibi abstergere, qui jugulum aliis præcidebat. Sententia primi hujus dicti hic est: o Castrice, numquid audivisti de signo, quo utebatur quæstor ad homines condemnandos? juvat novam hanc hominum morti addicendorum significationem, & quasi Theta, tibi narrare.

Quæstoris. Quæstores apud Romanos alii dicti sunt *Capitales*; earum erat in parricidia, perduellionem, & alia crimina inquirere: abrogati sunt anno U. C. 465. & eorum munus Trium viris Capitalibus demandatum. Alii *Ærarii*, sive *Urbani*; præerant ærario, curabant vectigalia, &c. Alii *Militares*: annonam, & stipendia exercitui suppeditabant, manubias recipiebant, &c. Alii deniq; *Provinciales*: Vectigalia, tributa, portoria, frumenta, colligebant, &c. Quæstura primus ad honores aliós gradus erat: eam capiebat nemo nisi annos circiter 28. natus, & nisi stipendia per annos decem fecisset *i*

Theta. In Græcia, judices reum condemnaturi, litteram Θ in tabellis scribebant, quia prima litt. est vocis Θανάτος, mors. Apud Latinos adhibebatur condemnandis reis littera C. absolvendis A.

4. *Juguli*. Feriendi, secandi; hominis necandi.

6. Cum pluvius December malas tusses faucibus, & epiphoras importaret.

7. *Collegæ*. Alii quæstores: collegæ vocantur, qui eumdem gerunt magistratum, aut munus.

XXXII.

Servi monstrorum similes.

1. Tantus es, & talis nostri, Polypheme, Severi,
2. Ut te mirari possit & ipse Cyclops.
3. Sed nec Scylla minor: quod si fera monstra duorum
4. Junxeris, alterius fiet uterque timor.

Severus, Martialis amicus, servum habebat miræ magnitudinis, quem idcirco Polyphemum vocaverat: eidem

eidem erat ancilla æque procera, & mire deformis, eam Scyllam vocitabat. Affirmat vates, si jungantur ambo, & opponantur, alterum alteri metuendum, & horridum fore, ita ut non aliis tantum & ignotis, sed sibi ipsis terrori esse possint. De Polyphemo dictum pag. 203. Scylla vero fuit monstrum in mari Siculo, Charybdi oppositum: Virg. III. Æneidos.

Vers. 1. Polypheme, mancipium amici mei Severi, tam inusitatæ magnitudinis ac deformitatis es, ut movere admirationem vero Cyclopi Polyphemo possis.

3. *Minor*. Minus procera, & deformis. *Monstra duorum*. Id quod ambo habent portentosum & horribile: procritatem ac deformitatem.

XXXIII.

Morbus ex ficto verus.

1. Discursus varios, vagumque mane,
2. Et fastus, & ave potentiorum,
3. Cum perferre patique jam negaret,
4. Cœpit fingere Cælius podagram:
5. Quam dum vult nimis approbare veram,
6. Et sanas linit obligatque plantas,
7. Inceditque gradu laborioso;
8. (Quantum cura potest, & ars doloris)
9. Desit fingere Cælius podagram.

Vers. 1. *Vagum mane*. Salutationes matutinas, cum clientes patronos salutaturi vagantur per totam urbem.

5. Dum contendit probare omnibus vere se podagra laborare.

7. *Laborioso*. Difficili, molesto, lento & cespitante.

8. *Ars doloris*. Industria in fingendo scite, quem vere non habeas, morbo ac dolore.

9. Reipsa podagra laboravit; ita ut non esset opus fingere: didicit podagra laborare. *Desit*. Desiit.

XXXIV.

Filii pietas in patris funere.

1. Hic jacet ille senex Augusta notus in aula,
2. Pectore non humili passus utrumque Deum:
3. Natorum pietas sanctis quem conjugis umbris
4. Miscuit: Elysium possidet umbra nemus.
5. Occidit illa prior viridi fraudata juventa.

6. Hic prope ter senas vixit Olympiadas.
7. Sed festinatis raptum tibi credidit annis,
8. Aspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

Vers. 1. *Senex.* Etruscus. Ep. 58. lib. 6.

2. *Utrumque Deum.* Faventem & iratum Jovem, properam & adversam Fortunam forti animo passus. Quidam explicant hoc de Caligula, vel de Nerone & Claudio Imperatoribus, & quos Romani in Deos retulerant pro more, sub quibus ita se gesserat ut magnas opes colligeret, ac invidiam effugeret. Alii de uno, eodemque Domitiano, qui iratus Etrusco ejecit in exilium; postea placatus revocavit.

4. Pro *umbra*. Legunt nonnulli *ambo*, in accusandi nēpe casu. Elysii campi ambos nunc habent: objerunt ambo.

6. *Ter senas*: Annos 72. Quid esset Olympias explicui p. 201. Epig. 25. Lib. 4. Licet sit spatium annorum quatuor, eam tamen aliquando poetæ pro quinquennio & Romano lustro accipiunt. Atque ita vixerit Etruscus annos fere 90. quod Statius asserit, ut dixi lib. 6. ep. 58.

7. Sed quisquis tuas, o Etrusce fili, de patris obitu lacrymas vidit, is eum non senectute summa, sed juvenem, & immatura morte raptum putet; adeo pie illum luges.

XXXV.

Mundi civis.

1. Cosmicos esse tibi, Semproni Tucca, videris:
2. Cosmica, Semproni, tam mala, quam bona sunt.

Vers. 2. *Cosmicos.* Græca vox est, a κόσμος mundus. Stoici affectabant hanc appellationem, ut Cosmici, hoc est, mundi cives dicerentur, erat enim hoc eorum effatum. *Omne solum forti patria est.* Tucca, Socraticus videri volens, se Cosmicum jactabat: bene est, inquit vates, cives te mundi esse dicis, at in mundo multa bona, mala itidem multa, imo plura sunt; multi sunt in tanta orbis civitate cives pessimi. Vide ne unus istorum sis.

XXXV.

Amico poetæ mittit carmina.

1. Muneribus cupiat si quis contendere tecum;
2. Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
3. Nos tenues in utroque sumus, vincique parati:

4. Inde

4. Inde ſopor nobis, & placet alta quies.
5. Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
6. Alcinoo nullum poma dediſſe putas?

Verſ. 1. 2. Ita dives es, ut nemo tecum audeat certare muneribus; ita doctus, ut nemo contendere carminibus. Itaque ſi quis velit te provocare muneribus, aut verſibus, utrumque temere faciet, ac irrito conatu.

4. Hinc fit ut quieſcam, & dormire malim, quam laborare verſibus tibi mittendis.

5. Cur igitur præter conſuetudinem hæc tibi mitto carmina?

6. Alcinous rex Phæacum in inſula Corcyra (*Corfù*) inter Italiam & Epirum ſita, hortos habuiſſe dicitur cultiſſimos, & pomis omnibus refertos. Ad eum tamen miſſa ſunt aliquando ab amicis poma, inquit Martialis, & quidem iis quibus abundabat, deteriora, quæ ille bonam in partem accepit; ſic tibi homini erudito inerudita mitto carmina.

XXXVII.

Aut dandum, aut cito negandum.

1. Primum eſt, ut præſtes, ſi quid te, Cinna, rogabo;
2. Illud deinde ſequens, ut cito, Cinna, neges.
3. Diligo præſtantem; non odi, Cinna, negantem:
4. Sed tu nec præſtas; nec cito, Cinna, negas.

XXXVIII.

Amicus fidelis.

1. Maximus ille tuus, Ovidi; Cæſonius hic eſt:
2. Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
3. Hunc Nero damnavit, ſed tu damnare Neronem
4. Auſus es, & profugi, non tua, fata ſequi.
5. Æquora per Scyllæ magnus comes exulis iſti;
6. Qui modo nolueras conſulis ire comes;
7. Si victura meis mandantur nomina chartis,
8. Et fas eſt cineri me ſupereſſe meo:
9. Audiet hoc præſens, venturaque turba; fuiſſe
10. Illi te, Senecæ quod fuit ille ſuo.

Verſ. 1. Maximus Cæſonius, vir conſularis, a Nerone damnatus, & in exilium pulſus, habuit voluntarium exilii comitem Ovidium quemdam, non illum

illum poetam vulgo notum, ſed amicum Martialis, ad quem hi verſiculi, cum imagine cerea Cæſonii in exilio mortui, videntur a vate noſtro miſſi. *Hic eſt*. In ea ſcilicet effigie cerea, quam ad te mitto: vel quam tu ad me mittis.

3. *Damnare Neronem*. Quaſi rem injuſtam faceret, Cæſonium pellendo in exilium.

4. *Non tua fata*. Quia tu damnatus exilio non eras.

Profugi. Cæſonii fugientis, exulis; eum comitando.

5. *Æquora per Scyllæ*. Per mare Siculum, ubi Scylla & Charybdis, duæ voragines famoſæ. *Iſti*. Iviſti.

6. Cæſonius poſt conſulatum, in Africam fuerat miſſus, ut illi præeſſet, eum ſecutus non erat Ovidius, at exulantem ſecutus eſt. Amicus nimirum certus in re incerta, & afflicta fortuna cernitur.

7. 8. Si eorum nomina quos meis verſibus mando, victura ſunt, & apud poſteros celebranda: ſi mea fama mihi mortuo ſuperſtes erit.

9. 10. Prædicabo talem erga illum fuiſſe, qualis ille fuerat erga ſuum amicum Senecam: te eamdem erga Cæſonium fidem adhibuiſſe in tuenda amicitia, quam ipſe Cæſonius erga Senecam adhibuerat: ut enim Cæſonius damnatum Senecam, & a Claudio Imperatore in Corſicam relegatum eſt ſecutus; ita ut Cæſonium exulem comitatus es. *Seneca*. Lib. 1. Ep. 53. IV. 32.

XXXIX.

— *Romanus Pylades.*

1. Facundi Senecæ potens amicus,
2. Charo proximus aut prior Sereno,
3. Hic eſt maximus ille, quem frequenti
4. Felix littera pagina ſalutat.
5. Hunc tu per Siculas ſecutus undas,
6. O nullis Ovidi tacende linguis,
7. Spreviſti Domini fruentis iras.
8. Miretur Pyladen ſuum vetuſtas,
9. Hæſit qui comes exuli parentis:
10. Quis diſcrimina comparet duorum?
11. Hæſiſti comes exuli Neronis.

Verſ. 1. Ordo eſt. Hic eſt, in hac imagine expreſſus, (vide ſuperius Epigr.) ille Maximus Cæſonius, amicus Senecæ, quem Seneca aut proxime poſt Serenum ſibi chariſſimum, aut illo etiam magis amavit.

3. *Quem frequenti*, &c. Ad quem maximum tot epiſto-

ſtolas ſcripſit Seneca.

7. *Domini*. Neronis.

8. *Pyladen*. Vide Epig. 9. Lib. 6.

9. *Exuli parentis*. Oreſti, a parente ſua pulſo. Oreſtes cum audiviſſet Clytemneſtram Ægiſtho adultero ſeipſam, ac regnum ſuum dedidiſſe, matrem timens, ac Deos conſulturus, domo profugit: mox tamen reverſus matrem, & adulterum interemit.

10. 11. Quis par fuiſſe dicat periculum amborum, Pyladis nempe, ac tuum? vel, Oreſtis, ac Cæſonii. Oreſtes a matre pellebatur, Cæſonius a Nerone immaniſſimo tyranno: Pylades nihil habebat a Clytemneſtra metuendum; tu merito metuebas, ne in te quoque ſæviret Nero. Itaque Pyladen longo intervallo ſuperaſti.

XL.

Munus utile ſit.

1. Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,
2. Mæonioque cupis doctius ore loqui;
3. Excrucias multis pariter me, teque diebus;
4. Et tua de noſtro, Priſce, Thalia placet.
5. Divitibus poteris Muſas, elegoſque ſonantes
6. Mittere: pauperibus munera pexa dato.

Verſ. 1. 2. Promiſiſti aliquid mihi muneris, quod ut exores, cogitas illi jungere carmina elegantia ipſis Homericis præſtantiora: Homerus Mæonius vocatus eſt, vel a patre Mæone, vel a patria Lydia, in Aſia minori, quæ dicta quoque fuit Mæonia.

3. 4. Tu mihi, ac tibi incommodus es: maceras te condendis verſibus; defraudas me tuis muneribus. Placet tibi tua Muſa, de noſtro incommodo: verſus cum tua voluptate magna facis, ſed cum meo detrimento, & impendio; interim enim tuis muneribus non fruor. Mallem ſtatim mitteres munera, carmina omitteres. Sic Terentius ait: *Olet de meo*, id eſt, meis ſumptibus, & impenſis unguenta comparat.

5. 6. Serva tua iſta munera ornata, & carmina divitibus; at pauperibus, qualis ego ſum, de munera utilia: mitte illis non verſus, & bona verba, ſed bonas, & bene pexas veſtes. Ea vox *pexus* pro lauto, & compto ſumitur, & præcipue in re veſtiaria uſurpatur. *Exegis*. Pag. 151.

XLI.

Valetudinem amico reſtitutam gratulatur.

1. Doctorum Licini celeberrime Sura virorum,
2. Cujus priſca graves lingua reduxit avos:

3. Red-

3. Redderis, heu! quanto fatorum munere nobis,
4. Guſtata Lethes pene remiſſus acqua!
5. Perdiderant jam vota metum, ſecuraque flebat
6. Triſtitia, & lacrymis jamque peractus eras.
7. Non tulit invidiam taciti regnator Averni;
8. Et raptas fatis reddidit ipſe colos.
9. Scis igitur quantas hominum mors falſa querelas
10. Moverit, & frueris poſteritate tua.
11. Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe:
12. Perdiderit nullum vita reverſa diem.

Verſ. 1. Licinius Sura vir fuit eloquentiſſimus & eruditiſſimus.

2. Qui antiqua & germana eloquentia tua, revocas & repræſentas nobis priſcos illos oratores, majores noſtros.

4. *Lethes*. Lethe fluvius eſt inferorum, cujus aqua, eorum omnium, quæ quis apud ſuperos egiſſet, oblivionem afferebat: λήθη, oblivio. Ordo verborum eſt iſte: remiſſus & redonatus nobis aqua Lethes propemodum guſtata: hoc eſt, inſtanti morti ereptus.

5. 6. Jam vota faciebamus pro tua incolumitate ſine metu eam non impetrandi, ut ſine ſpe impetrandi, quia conclamata videbatur, ac deplorata. Secura triſtitia vocatur, quæ nihil habet quod perdat, jam enim perditus, & ut ait poſtea, *peractus*, ideſt, conclamatus ac depoſitus omnium lacrymis Licinius plorabatur. *Jamque*, pro *jam*, ponitur, ut *dumque*, pro *dum*. Lib. 9. Ep. 46. X. 44.

7. Non potuit Pluto Silentum & Umbrarum rex, ferre convicia, quibus obruendum ſe videbat, ſi te damnaret letho, itaque colos jam ereptas Fatis, ideſt hoc in loco, Parcis, quæ Fatorum juſſu vitæ noſtræ ſpatium metiuntur, ipſis reddidit, ac longiorem tibi vitam, ut nerent, imperavit.

9. *Falſa*. Falſo vulgata.

10. *Frueris*, &c. Frueris vivus ea gloria, quam olim mortuus apud poſteros conſequuturus es.

12. *Perdiderit*. Auctor tibi ſum, ut nullum vitæ tibi reſtitutæ diem perdas, ſed omnes bene colloces, & genio indulgeas.

XLII.

Cœna ambulatoria.

1. Cum menſas habeat fere trecentas,
2. Pro menſis habet Annius miniſtros:
3. Tranſcurrunt gabatæ, volantque lances.

4. Has

4. Has vobis epulas habete lauti,
5. Nos offendimur ambulante cœna.

Verſ. 1. Annius licet menſas plures habeat: in iis tamen cibos convivis nullos ſtabiles apponit, ſed jubet eos offerri a miniſtris tranſcurrentibus, qui ſic prætervolant, ut non dent ſpatium ac moram dapes accipiendi.

3. *Gabatæ*. Genus eſt lancis concavæ. *Lances*. Vaſa eſcaria lariora.

4. *Lauti*. Divites, qui oculos ferculorum quaſi ſcena gaudetis paſcere: nos tenujores aliud quærimus.

XLIII.

Dona ruſticana.

1. Parva ſuburbani munuſcula mittimus horti;
2. Faucibus ova tuis; poma, Severe, gulæ.

Verſ. 2. *Faucibus*. Ova enim raucis vel exulceratis faucibus medentur: poma, famem acuunt.

XLIV.

Liber vivus.

1. Mercari noſtras ſi te piget, Urbice, nugas;
2. Et laſciva tamen carmina noſſe libet:
3. Pompejum quæras (& noſti forſitan) Auctum,
4. Ultoris prima Martis in æde ſedet.
5. Jure madens, varioque togæ limatus in uſu,
6. Non lector meus hic, Urbice, ſed liber eſt.
7. Sic tenet abſentis noſtros cantatque libellos;
8. Ut pereat chartis littera nulla meis.
9. Denique, ſi vellet, poterat ſcripſiſſe videri;
10. Sed famæ mavult ille favere meæ.
11. Hunc licet a decima (nec enim ſatis ante vocabit)
12. Sollicites: capiet cœnula parva duos.
13. Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille ſonabit;
14. Et cum, jam ſatis eſt; dixeris: ille leget.

Verſ. 1. 2. Si non vis emere mea epigrammata, & cupis tamen cognoſcere qualia ſint, indicabo tibi hominem, qui ea memoriter omnia tenet, a quo illa audire poſſis.

3. Quære Pompejum Auctum,

baculis ligneis; eminus, talis & jaculis, tanquam si veri hostes fuissent, petebant. *Ictus hebes*. Quia non ferro sed ligno, sive ligneis gladiis & telis, lignum & stipitem lacessebant, hostis veri simulacrum.

9. Non injicis, non allinis tuis brachiis ceroma, ut lucteris. Qui luctabantur, variis ideſt, diversis, contortis, divaricatis brachiis dejicere se nitebantur; cumque nudi tere pugnarent, oleo quodam crasso (ceroma vocabatur, de quo vide Lib. IV. Ep. 4.) corpus inungebant.

10. *Harpasta*. Vide Lib. 4. Epig. 14.

11. 12. Sed te tantum exercet curſu, ad aquam Virginem (de illa dictum l. 5. Ep. 20.) vel ad porticum Europæ (de qua vid. Ep. 12. l. 2.) ubi Jupiter pingitur mutatus in taurum, & vehens Europam regis Sidoniorum filiam.

13. Cum alicui liceat currere, ille si malit variis artibus quibus area, ideſt Campus Martius, & palæstræ fervent, ludere, dicendus piger est: pigritia mera est usurpare alios ludos; sola currendi exercitatio plena est alacritatis, & utilitatis, ac ceteris est merito præferenda. Vulgo legitur: *Omnis quibus area servit*: lego, fervit a fervo, fervis, quo poetæ utuntur pro, ferveo, ferves.

XXVIII.

Male concinnus.

1. Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
2. Candidior prima sit tibi, Cinna, nive:
3. Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
4. Collige, Cinna, togam; calceus, ecce perit.

V. 3. Merito reprehendit Cinnam, qui majorem calceorum, quam togæ rationem haberet, vel, qui inquinaret, perderetque calceos, ut togam male ostentaret; ac longo fluentem syrmate per cœnam traheret.

XXIX.

A malis aliquid boni fieri potest.

1. Quo possit fieri modo, Severe,
2. Ut vir pessimus omnium Charinus
3. Unam rem bene fecerit, requiris?
4. Dicam, sed cito. Quid Nerone pejus?
5. Quid thermis melius Neronianis?
6. Non deest protinus ecce de malignis,

7. Qui

7. Qui ſic rancidulo loquatur ore:
8. Ecquid tu Domini Deique noſtri
9. Præfers muneribus Neronianas?
10. Thermas præfero balneis Charini.

Vtrſ. 3. Unam rem. Thermas populo utiles.

4. *Dicam.* Reſpondet exemplo. Nero fuit peſſimus, optimas tamen thermas extruxit. Quid eſſent Thermæ explicui Pag. 5.

6. Video non defuturos quoſdam ex invidis, & malignis, qui omnia in pejorem partem interpretantur, qui me accuſant quaſi præferam Neronis thermas operibus publicis a Domitiano in uſum, & gratiam populi extractis: ego vero id non ago: præfero tantum Neronianas thermas balneis Charini hominis impuri, & obſcuri, Domitiani munera colo, & venereor. Ille ſe Deum vocari, ut jam dixi, juſſerat.

XXX.

Domus dives, pauper dominus.

1. Cum pluvias madidumq; Jovem perferre negaret,
2. Et rudis hibernis villa nataret aquis;
3. Plurima, quæ poſſet ſubitos defendere nimbos,
4. Muneribus venit tegula miſſa tuis.
5. Horridus, ecce, ſonat Boreæ ſtridore December;
6. Stella, tegis villam, non tegis agricolam.

V. 1. &c. Cum mea villa rudi, & agreſti opere ſtructa undique perplueret, miſiſti ad me tegulas, quibus pluviam arcerem; tecta eſt & ſecura nunc villa; ſed ego ejus dominus, & mei coloni, nudi adhuc ſumus, nos tege.

Agricolam. Villæ dominũ, qui agrum, & domum colit.

XXXI.

Naſus homicida.

1. Noſti mortiferum quæſtoris, Caſtrice, ſignum?
2. Eſt operę pretium diſcere theta novum.
3. Exprimeret quoties rorantem frigore naſum,
4. Lethalem juguli juſſerat eſſe notam.
5. Turpis ab inviſo pendebat ſtiria naſo,
6. Cum ſtaret madida fauce December atrox

7. Collegæ tenuere manus; quid plura requiris?
8. Emungi misero, Castrice, non licuit.

Vers. 1. 2. Quæstor quidam, homo crudelis & in proscriptionibus, tempore, ut ajunt, Vitelli, versatus, cum aliquem vellet interfici, hoc dabat lictoribus suis signum, ut nasum sibi emungeret. Is cum versaretur per hyemem inter amicos aliquando, ac nasus illi muco & stiria gravis esset, manum naso admovit, quasi emuncturus. Qui astabant, ferale signum veriti, eum prohibuerunt, atque adeo mucosum & fœde stillantem nasum circumferre coactus est, vetituſq; nasum sibi abstergere, qui jugulum aliis præcidebat. Sententia primi hujus dictici est: o Castrice, numquid audivisti de signo, quo utebatur quæstor ad homines condemnandos? juvat novam hanc hominum morti addicendorum significationē, & quasi Theta, tibi narrare.

Quæstoris. Quæstores apud Romanos alii dicti sunt *Capitales*; earum erat in parricidia, perduellionem, & alia crimina inquirere: abrogati sunt anno U. C. 465. & eorū munus Trium viris Capitalibus demandatum. Alii *Ærarii*, sive *Urbani*; præerant ærario, curabant vectigalia, &c. Alii *Militares*: annonam, & stipendia exercitui suppeditabant, manubias recipiebant, &c. Alii deniq; *Provinciales*: Vectigalia, tributa, portoria, frumenta, colligebant, &c. Quæstura primus ad honores aliōs gradus erat: eam capiebat nemo nisi annos circiter 28. natus, & nisi stipendia per annos decem fecisset *i*

Theta. In Græcia, judices reum condemnaturi, litteram Θ in tabellis scribebant, quia prima litt. est vocis Θανάτος, mors. Apud Latinos adhibebatur condemnandis reis littera C. absolvendis A.

4. *Juguli*. Feriendi, secandi; hominis necandi.

6. Cum pluvius December malas tusses faucibus, & epiphoras importaret.

7. *Collegæ*. Alii quæstores: collegæ vocantur, qui eumdem gerunt magistratum, aut munus.

XXXII.

Servi monstrorum similes.

1. Tantus es, & talis nostri, Polypheme, Severi,
2. Ut te mirari possit & ipse Cyclops.
3. Sed nec Scylla minor: quod si fera monstra duorum
4. Junxeris, alterius fiet uterque timor.

Severus, Martialis amicus, servum habebat miræ magnitudinis, quem idcirco Polyphemum vocaverat:

eidem

eidem erat ancilla æque procera, & mire deformis, eam Scyllam vocitabat. Affirmat vates, si jungantur ambo, & opponantur, alterum alteri metuendum, & horridum fore, ita ut non aliis tantum & ignotis, sed sibi ipsis terrori esse possint. De Polyphemo dictum pag. 203. Scylla vero fuit monstrum in mari Siculo, Charybdi oppositum: Virg. III. Æneidos.

Vers. 1. Polypheme, mancipium amici mei Severi, tam inusitatæ magnitudinis ac deformitatis es, ut movere admirationem vero Cyclopi Polyphemo possis.

3. *Minor*. Minus procera, & deformis. *Monstra duorum*. Id quod ambo habent portentosum & horribile: procritatem ac deformitatem.

XXXIII.

Morbus ex ficto verus.

1. Discursus varios, vagumque mane,
2. Et fastus, & ave potentiorum,
3. Cum perferre patique jam negaret,
4. Cœpit fingere Cælius podagram:
5. Quam dum vult nimis approbare veram,
6. Et sanas linit obligatque plantas,
7. Inceditque gradu laborioso;
8. (Quantum cura potest, & ars doloris)
9. Desit fingere Cælius podagram.

Vers. 1. *Vagum mane*. Salutationes matutinas, cum clientes patronos salutaturi vagantur per totam urbem.

5. Dum contendit probare omnibus vere se podagra laborare.

7. *Laborioso*. Difficili, molesto, lento & cespitante.

8. *Ars doloris*. Industria in fingendo scite, quem vere non habeas, morbo ac dolore.

9. Reipsa podagra laboravit; ita ut non esset opus fingere: didicit podagra laborare. *Desit*. Desiit.

XXXIV.

Filii pietas in patris funere.

1. Hic jacet ille senex Augusta notus in aula,
2. Pectore non humili passus utrumque Deum:
3. Natorum pietas sanctis quem conjugis umbris
4. Miscuit: Elysium possidet umbra nemus.
5. Occidit illa prior viridi fraudata juventa.

6. Hic prope ter ſenas vixit Olympiadas.
7. Sed feſtinatis raptum tibi credidit annis,
8. Aſpexit lacrymas quiſquis, Etruſce, tuas.

Verſ. 1. *Senex.* Etruſcus. Ep. 58. lib. 6.

2. *Utrumque Deum.* Paventem & iratum Jovem, proſperam & adverſam Fortunam forti animo paſſus. Quidam explicant hoc de Caligula, vel de Nerone & Claudio Imperatoribus, & quos Romani in Deos retulerant pro more, ſub quibus ita ſe geſſerat ut magnas opes colligeret, ac invidiam effugeret. Alii de uno, eodemque Domitiano, qui iratus Etruſcum ejecit in exilium; poſtea placatus revocavit.

4. Pro *umbra*. Legunt nonnulli *ambo*, in accuſandi nēpe caſu. Elyſii campi ambos nunc habent: objerunt ambo.

6. *Ter ſenas*: Annos 72. Quid eſſet Olympias explicui p. 201. Epig. 25. Lib. 4. Licet ſit ſpatium annorum quatuor, eam tamen aliquando poetæ pro quinquennio & Romano luſtro accipiunt. Atque ita vixerit Etruſcus annos fere 90. quod Statius aſſerit, ut dixi lib. 6. ep. 58.

7. Sed quiſquis tuas, o Etruſce fili, de patris obitu lacrymas vidit, is eum non ſenectute ſumma, ſed juvenem, & immatura morte raptum putet; adeo pie illum luges.

XXXV.

Mundi civis.

1. Coſmicos eſſe tibi, Semproni Tucca, videris:
2. Coſmica, Semproni, tam mala, quam bona ſunt.

Verſ. 2. *Coſmicos.* Græca vox eſt, a κόσμος mundus. Stoici affectabant hanc appellationem, ut Coſmici, hoc eſt, mundi cives dicerentur, erat enim hoc eorum effatum. *Omne ſolum forti patria eſt.* Tucca, Socraticus videri volens, ſe Coſmicum jactabat: bene eſt, inquit vates, cives te mundi eſſe dicis, at in mundo multa bona, mala item multa, imo plura ſunt; multi ſunt in tanta orbis civitate cives peſſimi. Vide ne unus iſtorum ſis.

XXXV.

Amico poetæ mittit carmina.

1. Muneribus cupiat ſi quis contendere tecum;
2. Audeat hic etiam, Caſtrice, carminibus.
3. Nos tenues in utroque ſumus, vincique parati:

4. Inde

4. Inde ſopor nobis, & placet alta quies.
5. Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
6. Alcinoo nullum poma dediſſe putas?

Verſ. 1. 2. Ita dives es, ut nemo tecum audeat certare muneribus; ita doctus, ut nemo contendere carminibus. Itaque ſi quis velit te provocare muneribus, aut verſibus, utrumque temere faciet, ac irrito conatu.

4. Hinc fit ut quieſcam, & dormire malim, quam laborare verſibus tibi mittendis.

5. Cur igitur præter conſuetudinem hæc tibi mitto carmina?

6. Alcinous rex Phæacum in inſula Corcyra (*Corfù*) inter Italiam & Epirum ſita, hortos habuiſſe dicitur cultiſſimos, & pomis omnibus refertos. Ad eum tamen miſſa ſunt aliquando ab amicis poma, inquit Martialis, & quidem iis quibus abundabat, deteriora, quæ ille bonam in partem accepit: ſic tibi homini erudito inerudita mitto carmina.

XXXVII.

Aut dandum, aut cito negandum.

1. Primum eſt, ut præſtes, ſi quid te, Cinna, rogabo;
2. Illud deinde ſequens, ut cito, Cinna, neges.
3. Diligo præſtantem; non odi, Cinna, negantem:
4. Sed tu nec præſtas; nec cito, Cinna, negas.

XXXVIII.

Amicus fidelis.

1. Maximus ille tuus, Ovidi; Cæſonius hic eſt:
2. Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
3. Hunc Nero damnavit, ſed tu damnare Neronem
4. Auſus es, & profugi, non tua, fata ſequi.
5. Æquora per Scyllæ magnus comes exulis iſti;
6. Qui modo nolueras conſulis ire comes;
7. Si victura meis mandantur nomina chartis,
8. Et fas eſt cineri me ſupereſſe meo:
9. Audiet hoc præſens, venturaque turba; fuiſſe
10. Illi te, Senecæ quod fuit ille ſuo.

Verſ. 1. Maximus Cæſonius, vir conſularis, a Nerone damnatus, & in exilium pulſus, habuit voluntarium exilii comitem Ovidium quemdam, non illum

illum poetam vulgo notum, ſed amicum Martialis, ad quem hi verſiculi, cum imagine cerea Cæſonii in exilio mortui, videntur a vate noſtro miſſi. *Hic eſt*. In ea ſcilicet effigie cerea, quam ad te mitto: vel quam tu ad me mittis.

3. *Damnare Neronem*. Quaſi rem injuſtam faceret, Cæſonium pellendo in exilium.

4. *Non tua fata*. Quia tu damnatus exilio non eras.

Profugi. Cæſonii fugientis, exulis; eum comitando.

5. *Æquora per Scyllæ*. Per mare Siculum, ubi Scylla & Charybdis, duæ voragines famoſæ. *Iſti*. Iviſti.

6. Cæſonius poſt conſulatum, in Africam fuerat miſſus, ut illi præeſſet, eum ſecutus non erat Ovidius, at exulantem ſecutus eſt. Amicus nimirum certus in re incerta, & afflicta fortuna cernitur.

7. 8. Si eorum nomina quos meis verſibus mando, victura ſunt, & apud poſteros celebranda: ſi mea fama mihi mortuo ſuperſtes erit.

9. 10. Prædicabo talem erga illum fuiſſe, qualis ille fuerat erga ſuum amicum Senecam: te eamdem erga Cæſonium fidem adhibuiſſe in tuenda amicitia, quam ipſe Cæſonius erga Senecam adhibuerat: ut enim Cæſonius damnatum Senecam, & a Claudio Imperatore in Corſicam relegatum eſt ſecutus; ita ut Cæſonium exulem comitatus es. *Seneca*. Lib. 1. Ep. 53. IV. 32.

XXXIX.

Romanus Pylades.

1. Facundi Senecæ potens amicus,
2. Charo proximus aut prior Sereno,
3. Hic eſt maximus ille, quem frequenti
4. Felix littera pagina ſalutat.
5. Hunc tu per Siculas ſecutus undas,
6. O nullis Ovidi tacende linguis,
7. Spreviſti Domini fruentis iras.
8. Miretur Pyladen ſuum vetuſtas,
9. Hæſit qui comes exuli parentis:
10. Quis diſcrimina comparet duorum?
11. Hæſiſti comes exuli Neronis.

Verſ. 1. Ordo eſt. Hic eſt, in hac imagine expreſſus, (vide ſuperius Epigr.) ille Maximus Cæſonius, amicus Senecæ, quem Seneca aut proxime poſt Serenum ſibi chariſſimum, aut illo etiam magis amavit.

3. *Quem frequenti*, &c. Ad quem maximum tot epiſto-

ſtolas ſcripſit Seneca.

7. *Domini*. Neronis.

8. *Pyladen*. Vide Epig. 9. Lib. 6.

9. *Exuli parentis*. Oreſti, a parente ſua pulſo. Oreſtes cum audiviſſet Clytemneſtram Ægiſtho adultero ſeipſam, ac regnum ſuum dediciſſe, matrem timens, ac Deos conſulturus, domo profugit: mox tamen reverſus matrem, & adulterum interemit.

10. 11. Quis par fuiſſe dicat periculum amborum, Pyladis nempe, ac tuum? vel, Oreſtis, ac Cæſonii. Oreſtes a matre pellebatur, Cæſonius a Nerone immaniſſimo tyranno: Pylades nihil habebat a Clytemneſtra metuendum; tu merito metuebas, ne in te quoque ſæviret Nero. Itaque Pyladen longo intervallo ſuperaſti.

XL.

Munus utile ſit.

1. Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,
2. Mæonioque cupis doctius ore loqui;
3. Excrucias multis pariter me, teque diebus;
4. Et tua de noſtro, Priſce, Thalia placet.
5. Divitibus poteris Muſas, elegoſque ſonantes
6. Mittere: pauperibus munera pexa dato.

Verſ. 1. 2. Promiſiſti aliquid mihi muneris, quod ut exores, cogitas illi jungere carmina elegantia ipſis Homericis præſtantiora: Homerus Mæonius vocatus eſt, vel a patre Mæone, vel a patria Lydia, in Aſia minori, quæ dicta quoque fuit Mæonia.

3. 4. Tu mihi, ac tibi incommodus es: maceras te condendis verſibus; defraudas me tuis muneribus. Placet tibi tua Muſa, de noſtro incommodo: verſus cum tua voluptate magna facis, ſed cum meo detrimento, & impendio; interim enim tuis muneribus non fruor. Mallem ſtatim mitteres munera, carmina omitteres. Sic Terentius ait: *Olet de meo*, id eſt, meis ſumptibus, & impenſis unguenta comparat.

5. 6. Serva tua iſta munera ornata, & carmina divitibus; at pauperibus, qualis ego ſum, de munera utilia: mitte illis non verſus, & bona verba, ſed bonas, & bene pexas veſtes. Ea vox *pexus* pro lauto, & compto ſumitur, & præcipue in re veſtiaria uſurpatur. *Elegis*. Pag. 151.

XLI.

Valetudinem amico reſtitutam gratulatur.

1. Doctorum Licini celeberrime Sura virorum,
2. Cujus priſca graves lingua reduxit avos:

3. Red-

3. Redderis, heu! quanto fatorum munere nobis,
4. Gustata Lethes pene remissus acqua!
5. Perdiderant jam vota metum, securaque flebat
6. Tristitia, & lacrymis jamque peractus eras.
7. Non tulit invidiam taciti regnator Averni;
8. Et raptas fatis reddidit ipse colos.
9. Scis igitur quantas hominum mors falsa querelas
10. Moverit, & frueris posteritate tua.
11. Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe:
12. Perdiderit nullum vita reversa diem.

Vers. 1. Licinius Sura vir fuit eloquentissimus & eruditissimus.

2. Qui antiqua & germana eloquentia tua, revocas & repræsentas nobis priscos illos oratores, majores nostros.

4. *Lethes*. Lethe fluvius est inferorum, cujus aqua, eorum omnium, quæ quis apud superos egisset, oblivionem afferebat: λήθη, oblivio. Ordo verborum est iste: remissus & redonatus nobis aqua Lethes propemodum gustata: hoc est, instanti morti ereptus.

5. 6. Jam vota faciebamus pro tua incolumitate sine metu eam non impetrandi, ut sine spe impetrandi, quia conclamata videbatur, ac deplorata. Secura tristitia vocatur, quæ nihil habet quod perdat, jam enim perditus, & ut ait postea, *peractus*, ideſt, conclamatus ac depositus omnium lacrymis Licinius plorabatur. *Jamque*, pro *jam*, ponitur, ut *dumque*, pro *dum*. Lib. 9. Ep. 46. X. 44.

7. Non potuit Pluto Silentum & Umbrarum rex, ferre convicia, quibus obruendum se videbat, si te damnaret letho, itaque colos jam ereptas Fatis, ideſt hoc in loco, Parcis, quæ Fatorum jussu vitæ nostræ spatium metiuntur, ipsis reddidit, ac longiorem tibi vitam, ut nerent, imperavit.

9. *Falsa*. Falso vulgata.

10. *Frueris*, &c. Frueris vivus ea gloria, quam olim mortuus apud posteros consequuturus es.

12. *Perdiderit*. Auctor tibi sum, ut nullum vitæ tibi restitutæ diem perdas, sed omnes bene colloces, & genio indulgeas.

XLII.

Cœna ambulatoria.

1. Cum mensas habeat fere trecentas,
2. Pro mensis habet Annius ministros:
3. Transcurrunt gabatæ, volantque lances.

4. Has

4. Has vobis epulas habete lauti,
5. Nos offendimur ambulante cœna.

Verſ. 1. Annius licet menſas plures habeat: in iis tamen cibos convivis nullos ſtabiles apponit, ſed jubet eos offerri a miniſtris tranſcurrentibus, qui ſic prætervolant, ut non dent ſpatium ac moram dapes accipiendi.

3. *Gabatæ*. Genus eſt lancis concavæ. *Lances*. Vaſa eſcaria lariora.

4. *Lauti*. Divites, qui oculos ferculorum quaſi ſcena gaudetis paſcere: nos tenujores aliud quærimus.

XLIII.

Dona ruſticana.

1. Parva ſuburbani munuſcula mittimus horti;
2. Faucibus ova tuis; poma, Severe, gulæ.

Verſ. 2. *Faucibus*. Ova enim raucis vel exulceratis faucibus medentur: poma, famem acuunt.

XLIV.

Liber vivus.

1. Mercari noſtras ſi te piget, Urbice, nugas;
2. Et laſciva tamen carmina noſſe libet:
3. Pompejum quæras (& noſti forſitan) Auctum,
4. Ultoris prima Martis in æde ſedet.
5. Jure madens, varioque togæ limatus in uſu,
6. Non lector meus hic, Urbice, ſed liber eſt.
7. Sic tenet abſentis noſtros cantatque libellos;
8. Ut pereat chartis littera nulla meis.
9. Denique, ſi vellet, poterat ſcripſiſſe videri;
10. Sed famæ mavult ille favere meæ.
11. Hunc licet a decima (nec enim ſatis ante vocabit)
12. Sollicites: capiet cœnula parva duos.
13. Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille ſonabit;
14. Et cum, jam ſatis eſt; dixeris: ille leget.

Verſ. 1. 2. Si non vis emere mea epigrammata, & cupis tamen cognoſcere qualia ſint, indicabo tibi hominem, qui ea memoriter omnia tenet, a quo illa audire poſſis.

3. Quære Pompejum Auctum,

ctum, & eum forsitan nosti: habitat in aditu templi Martis ultoris. Primum forum, prima via, &c. sæpe significat initium fori, viæ, &c. Templum Martis ultoris ædificatum ab Augusto fuit, ex voto, quod ediderat Philippensi prælio, si Julium Cæsarem ulciscereturr, ejus percussoribus interfectis.

5. *Jure madens*. Pompejus Auctus juris civilis scientia plane imbutus est, non leviter tinctus. *Togæ*, *&c.* Exercitatissimus idem est in forensibus causis.

6. Non tam est lector meorum versuum, quam vivens liber; omnes enim memoria comprehensos tenet.

7. *Nostros absentis*. Meos, etsi absim: legitur etiam *absentes*, ideest, non inspectos, non præsente libro.

8. Ut ne minima quidem syllaba, quæ sit in meis chartis, aut littera, ipsi excidat.

10. Mavult me illorũ actorem haberi, quos vindicare sibi posset, ac jactare pro suis.

12. Licebit illum provoces; poteris illum provocare ad mea carmina tibi recitanda: vocare ad cœnam circa horam ab orto sole decimam. Ep. 89. Lib. I. 7. IV.

13. *Sonabit*. Recitabit, etiam injussus, etiam desinere monitus; ita illos amat.

XLV.

Lector judex.

1. Gratum est, quod Celeri nostros legis, Aucte, libellos,
2. Si tamen, & Celerem, quod legis, Aucte, juvat.
3. Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos,
4. Nec fuit in nostro certior orbe fides.
5. Major me tanto reverentia turbat: & aures
6. Non auditoris, judicis esse puto.

Vers. 2. Si tamen illum ea lectio, mea carmina delectant.

3. *Meas*. Hispanas. Celtiberiam proconsul administraverat. De Celtiberis facta mentio, pag. 56.

4. Nec in nostra Hispania fuit quisquam majori integritate, & fide.

5. Quo major & venerabilior est hominis dignitas, ac virtus, eo magis revereor illius judicium; eo gravius perturbor; cum illi mea carmina recitantur, nec tam illum auditorem esse, quam judicem censeo.

XLVI.

Parva munera, & ambitiosa.

1. Omnia misisti mihi Saturnalibus, Umber,
2. Munera; contulerant quæ tibi quinque dies,
3. Bis senos triplices, & dentiscalpia septem:

4. His

4. His comes acceſſit ſpongia, mappa, calix;
5. Semodiuſque fabæ cum vimine Picenarum,
6. Et Laletanæ nigra lagena ſapæ:
7. Parvaque cum canis venerunt coctana prunis,
8. Et Libycæ fici pondere teſta gravis.
9. Vix puto triginta nummorum tota fuiſſe
10. Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
11. Quanto commodius nullo mihi ferre labore
12. Argenti potuit pondera quinque puer!

Verſ. 1. Ordo eſt: miſiſti mihi omnia munera, quæ tibi contulerant, congeſſerant, dies quinque, Saturnalibus, ideſt, per feſta Saturnalia, quæ diebus quinque peraguntur.

3. *Triplices*. Subaudi, pugillares: qui a tribus foliis ſeu tabellis, triplices: a quinque quincuplices, &c. dicebantur. *Bis ſenos*. Duodecim.

Vimine. Vaſe vimineo pleno Picenarum olivarum Picenus ager oleis abundat. Pag. 53. 201.

6. *Laletanæ ſapæ*. Vini cocti peſſimi, e Laletania, Hiſpaniæ Tarraconenſis regione, advecti. Sapa eſt proprie vinum decoctum ad tertias; ideſt, ita ut ejus tertia tantum pars ſuperſit.

7. *Coctana*. Ficus quædam ſunt. Cana vocantur pruna, hoc eſt, rugoſa, durata ſole, aut igne.

9. Vix puto hæc omnia munera valuiſſe triginta nummos ſeſtertios: hoc eſt tres libras Turonicas, ſive unum, ut ajunt, Gallicum ſcutatum, quem Romanus tribus admodum aſſibus ſuperat.

10. *Syri*. Servi e Syria.

12. *Pondera quinque*. Quinque libras. Pag. 135. *Puer*. Servulus.

XLVII.

Somnia damnoſa.

1. Semper mane mihi de me mera ſomnia narras,
2. Quæ moveant animum ſollicitentque meum.
3. Jam prior ad fæcem ſed & hæc vindemia venit;
4. Exorat noctes dum mihi ſaga tuas:
5. Conſumpſi, ſalſaſque molas, & thuris acervos.
6. Decrevere greges, dum cadit agna frequens:
7. Non porcus, non cortis aves, non ova ſuperſunt:
8. Aut vigila, aut dormi, Naſidiene, tibi.

Verſ. 1. 2. Semper mihi dicis mane, te aliquid infauſtum ſomniaſſe de me. 3. 4. Ego, dum per ſagam, ideſt,

ideſt, feminam ſomniorum interpretem, & magicæ artis peritam, expiare conor illa infauſta ſomnia, & exorare ſuperos, ne quid illa mihi afferant detrimenti, vinum prioris vindemiæ, imo hujus anni, libationibus & ſacrificiis totum, ad fæcem uſque, conſumpſi.

5. Mola ſalſa erat far toſtum, ſale permiſtum, quo arā & victimas conſpergebant.

6. *Decrevere*. Diminuti ſunt: a verbo decreſco.

Cadit. Immolatur.

7. *Cortis*. Cors, cortis, ſive cohors, *una baſſa corte*.

8. *Dormi tibi*. Ideſt: ſi qua ſomnia procubis infauſta, in tuum ſint caput. De te non de aliis ſomnies licet.

XLVIII.

Architectus nobilis.

1. Aſtra polumque pia percepſti mente, Rabiri,
2. Parrhaſiam mira qui ſtruis arte domum.
3. Phidiaco ſi digna Jovi dare templa parabit
4. Has petat a noſtro Piſa Tonante manus.

Verſ. 1. O Rabiri, Domitiani architectus erat) dum in monte Palatino extruis Imperatori domum aſtris æmulam, oportet te aſtra ipſa mente complexum eſſe, qui ſimillimam illis domum feceris.

2. *Parrhaſiam*. Palatinam. Evander ex Arcadia in Italiam advectus, in eo loco, ubi mons Romæ Palatinus eſt, ædificavit palatium: Arcadia autem dicta olim eſt Parrhaſia. Pag. 184.

3. Si Piſa velit Jovi Olympico templa nova extruere, aut inſtaurare vetera, Rabirium artificem a Jove noſtro: ideſt, Domitiano, poſtulet, eſt ille multo, quam Phiadis, & artifices omnes Græciæ, præſtantior. *Percepſti* pro percepiſti; ut *dixti* pro, dixiſti, &c. *Phidiaco*. Ep. 26. Lib. 3.

4. *Piſa*. Urbs Peloponneſi ad Alpheum fluvium, dicta etiam Olympia, nunc *Langanico* vocata. Prope illam erat inſigne templum Jovis Olympici.

XLIX.

Bellus conviva.

1. Non cœnat ſine apro noſter, Tite, Cæcilianus:
2. Bellum convivam Cæcilianus habet.

Verſ. 1. Cæcilianus ſemper apponit in cœna aprum, ſed eo ſolus veſcitur, ita ut nullos alios adhibeat convivas, aut ſi quos adhibet; illi ex apro nihil attingant; atque adeo ejus conviva dici aper ille poſſit. Næ convivam

vam elegantem. Nonnulli hoc intelligunt de homine insulso & inconcinno, qui Aper diceretur, qui tamen (ironice videlicet) bellus conviva nominetur. Sumptuosa autem convivia putabantur, in quibus aper apponeretur: at hic aper, non ferculum, sed conviva, erat.

I.

Vota pro Cæsare.

1. Tarpejæ venerande rector aulæ,
2. Quem salvo Duce credimus Tonantem;
3. Cum votis sibi quisque te fatiget,
4. Et poscat dare, quæ Dei potestas;
5. Nil pro me mihi, Jupiter, petenti,
6. Ne succensueris velut superbo:
7. Te pro Cæsare debeo rogare,
8. Pro me debeo Cæsarem rogare.

Vers. 1. O Jupiter, qui coleris in Tarpejo Monte, ubi capitolium est. Mons Tarpejus, ante dictus Saturnius, nomen id habuit a Tarpeja virgine Vestali, quæ arcem in eo positam Sabinis prodidit, ac deinde ab illis interfecta, in eodem sepulta est. Pag. 205.

2. Quem Deum & Jovem credimus, si servas Imperatorem.

8. Impia & turpis assentatio.

II.

Laxata urbis via.

1. Abstulerat totam temerarius institor urbem,
2. Inque suo nullum limine limen erat.
3. Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos:
4. Et, modo quæ fuerat semita, facta via est.
5. Nulla catenatis pila est præcincta lagenis:
6. Nec prætor medio cogitur ire luto.
7. Stringitur in densa nec cæca novacula turba;
8. Occupat aut totas nigra popina vias.
9. Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant:
10. Nunc Roma est; nuper magna taberna fuit.

Vers. 1. 2. *Abstulerat.* Ita occupabant mercatores totas urbis vias, tabernis & tentoris suis, ut urbem civibus abstulisse viderentur, & in domibus nullum limen, janua nulla appareret, præstructis ubique officinis, & pergulis. Mercatores appellantur institores, eo quod negotio gerent-

gerendo instent.

3. *Germanicæ*. Pag. 231.

4. Semita est angustum iter: via, latum & patens.

5. Pila, est postis seu columna, sive pars quædam tabernæ aut officinæ, in viam projecta & prominens, ad quam solent opifices appendere instrumenta, aut specimina suæ artis.

6. *Prætor*. Vide pag. 218.

7. Sectores zonarii, exerta clam novacula, marsupia non præcidunt.

LII.

Poeta ex oratore.

1. Perpetui nunquam moritura volumina Sili
2. Qui legis, & Latia carmina digna toga;
3. Pierios tantum vati placuisse recessus
4. Credis, & Aoniæ Bacchica serta comæ?
5. Sacra cothurnati non attigis ante Maronis,
6. Implevit magni quam Ciceronis opus.
7. Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum,
8. Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
9. Postquam bis senis ingentem fascibus annum
10. Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit;
11. Emeritos Musis, & Phœbo tradidit annos,
12. Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

Vers. 1. *Perpetui*. Qui perpetuo florebit. De Silio Italico dixi plura pag. 187.

2. Quicumque legis versus Silii, dignos Romana eloquentia, & dignitate, dignos Romano consule & oratore, qualis fuit Silius. Toga pacis, fori, & bonarum artium est symbolum. Pag. 58. 90.

3. 4. Credis illum poetam semper fuisse, & amasse semper hederas, quibus poetæ coronantur.

Pierios. Pierus Mons Thessaliæ, Musis, quod in eo natæ dicerentur, sacer: hinc Pierides vocantur. *Aoniæ* regio est Bœotiæ, ubi eædem Musæ colebantur: hinc Aonides dictæ: & hoc loco Aonia coma vocatur poetarum eruditorum caput. *Bacchica serta*. Hederæ. Pag. 75.

5. Ille vero non prius sacra & divina Virgilii carmina imitari cœpit: ingredi sacra vatum penetralia, quibus Maro veluti præsidet. *Cothurnati*. Pag. 233.

6. Quam artem oratoriam & eloquentiam, quæ Ciceronis opus dici potest, ad plenum excoluit.

7. Hunc mirantur cives adhuc, & meminerunt egisse causas centumvirales, hasta posita, quæ illorum iudiciorum quasi insigne fuit. De Centum viris vid. l. 6. Ep. 26.

8. *Cliens*.

8. *Cliens*. Cujus egit causa, quem periculo liberavit.

9. Postquam fuit consul eo anno, qui Romanum orbem, occiso Nerone, in libertate veluti asseruit, quique idcirco Ingens dictus est. Fascibus regere annum Consul ibi dicitur, quia inibant Consules magistratum mense Januario, & sumebant fasces, sive illis præibant lictores cum fascibus 12. Erat fascis ille virgarum seu bacillorum manipulus, loro revinctus: in medio manipulo erat securis, cujus ferrum extabat in summa parte manipuli. Per securim significabatur potestas interficiendi: per virgas, levius animadvertendi, pro criminis videlicet gravitate, aut levitate.

11. *Emeritos*. Defunctos honoribus. Emeriti proprie dicebantur gladiatores, qui, accepta missione, rude donabantur.

12. *Heliconæ*. Forensi arte depositâ, se ad poesim contulit.

Suo. In quo tamdiu floruit.

LIII.

Eques ex tonsore, tonsor ex equite.

1. Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,
2. Et post hoc, dominæ munere, factus eques,
3. Sicanias urbes Ætnæque regna petisti
4. Cinname, cum fugeres tristia jura fori:
5. Qua nunc arte graves tolerabis inutiles annos?
6. Quid facit infelix, & fugitiva quies?
7. Non rhetor, non grammaticus, ludiq; magister,
8. Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes:
9. Vendere nec vocem Siculis plausumque theatris;
10. Quod supereſt, iterum, Cinname, tonsor eris.

Vers. 2. *Dominæ*. Heræ, a qua libertate donatus fuerat, & ad equitum ordinem provectus.

3. *Sicanias*. Siculas. Ætna mons Siciliæ: *Mongibello*.

4. Cum vocatus esses in jus, & scelerum pœnas jure metueres, exilium voluntarium suscepisti.

5. 6. Quid facies nunc otiosus in exilio Siculo, & fugitivus?

7. *Ludi*. Litterarii scilicet; scholæ puerilis.

9. *Cynicus*. Pag. 205. De Stoicis facta mentio supra. Fuere philosophi celeberrimi, quorum sectam, & placita describit eleganter Tullius orat. pro Muræna: illorum auctor & conditor Zeno. Nomen habuerunt ab ingenti porticu, in quam convenire Athenis solebant ad differendum. Στοὰ, porticus: Στωϊκοὶ.

9. Non potes esse præco, citha-

citharædus, aut hiſtrio, in Sicilia, & quæſtum aliquem iſtis artibus facere. De Præcone theatrali vide, p. 100.

LIV.

In Litigatorem.

1. Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
2. Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
3. Ah miſer, & demens! viginti litigat annis
4. Quiſquam, qui vinci, Gargiliane, licet?

Verſ. 2. *Coterit.* Opibus exhaurit; macerat te, ac fatigat. *Tribus foris.* Vide pag. 31. 75.

4. *Vinci*: Litem perdere. Satius nimirum eſt ſemel cauſa cadere, quam per tot annos vitam, & pecuniam diſperdere.

LV.

Hæredipeta deceptus.

1. Hæredem Fabius Labienum ex aſſe reliquit:
2. Plus meruiſſe tamen ſe Labienus ait.

Verſ. 1. *Ex aſſe*. Bonorum omnium. Pag. 147.

2. Tamen Labienus tot munera viventi Fabio dederat, ac Fabius tam macram illi reliquit hæreditatem, opibus nempe abſumptis dum viveret, ut Labienus multo plus damni, quam lucri fecerit: majorem hæreditatem ac mercedem meritus ſit. Acumen & jocus in eo eſt, quod qui totam habeat hæreditatem, nihil habere plus poſſe videatur.

LVI.

De ſuis verſiculis.

1. Commendare meas, Inſtanti Rufe, Camœnas
2. Parce precor ſocero: ſeria forſan amat.
3. Quod ſi laſcivos admittit & ille libellos,
4. Hæc ego vel Curio Fabricioque legam.

Verſ. 1. Noli precor, o Rufe Inſtanti (eſt vocandi caſus, a recto Inſtantius) legere & laudare meos verſiculos tuo ſocero, forſan eſt homo ſeverus, quem iſtæ nugæ non delectent; quod ſi tamen illas non reſpuit, nullum exiſtimabo eas rejecturum, licet Curiis omnibus & Fabriciis graviorem, ac auſteriorem. Nemini non probabuntur ea carmina, quæ illi placuerint.

Mulier

LVII.

Mulier erudita, & proba.

1. Hæc eſt illa tibi promiſſa Theophila, Cani;
2. Cujus Cæcropia pectora dote madent.
3. Hanc ſi jure petat magni ſenis Atticus hortus,
4. Nec minus eſſe ſuam Stoica turba velit.
5. Vivet opus quodcumque per has emiſeris aures,
6. Tam non femineum, nec populare ſapit:
7. Non tua Pantænis nimium ſe præferat illi,
8. Quamvis Pierio ſit bene nota choro.
9. Carmina fingentem Sappho laudabit amatrix:
10. Caſtior hæc, & non doctior illa fuit.

Verſ. 1. Hæc illa uxor tibi dudum promiſſa, o Cani, quæ Græcorum litteris, urbanitate, ceteriſque dotibus egregie eſt inſtructa De Canio vide Lib. 1. Ep. 60.

3. Hanc ſibi jure vendicet Platonis Academia: ea diſcipula jure ille glorietur. Plato doctorum cœtus quoſdam inſtituit in hortis civis Athenienſis, nomine Academi: inde huic loco & iſtis eruditorum congreſſibus datum nomen Academiæ. Deceſſit annos natus fere 90. unde magnus ſenex vocatur hoc in verſiculo, vel ob famam ingenii & doctrinæ.

4. *Stoica turba*. Vide ſupra, epig. 53.

5. Laudem perpetuam habebunt ea carmina, quæ illi legeris, quæ emendarit, quæ probaverit.

6. Adeo ſupra ſexum, ſupra communem vulgi captum eſt erudita.

7. *Pantænis*. Mulier item docta fuit, Canio nota.

9. Mirabitur Theophilam ſcribentem Sappho poetria, quæ verſus amatorios ſcripſit. Hæc patriam habuit Lesbon inſulam Ægei maris, & lyricos verſus obſcænos, licet elegantes, edidit. De illa egi pluribus in Horatio, ad odem 10. Lib. 2.

10. Theophila eſt caſtior quam Sappho: & Sapphodoctior Theophila non fuit.

LVIII.

Ficoſi ficis carentes.

1. Ficoſa eſt uxor, ficoſus & ipſe maritus;
2. Filia ficoſa eſt, & gener, atque nepos.
3. Nec diſpenſator, nec villicus ulcere turpi,
4. Nec rigidus foſſor, ſed nec arator eget.
5. Cum ſint ficoſi pariter juveneſque ſeneſque;

6. Res mira est; ficos non habet unus ager.

Vers. 1. *Ficosa*. Lib. 1. Epig. 57.
6. *Ficos*. Fructus intellige: solus illorum ager ficosus non est: ficis caret. Lusus est in vocum similitudine.

LIX.

Libri patronus, & vindex.

1. Gratus, sic tibi, Paulle, sit December:
2. Nec vani triplices, breveque mappæ,
3. Nec thuris veniant leves selibræ;
4. Sed lances ferat, aut scyphos avorum.
5. Aut grandis reus; aut potens amicus:
6. Seu quod te potius juvat, capitque,
7. Sic vincas Noviumque Publiumque
8. Mandris, & vitreo latrone clausos:
9. Sic palmam tibi de trigone nudo
10. Unctæ det favor arbiter coronæ,
11. Nec laudet Polybi magis siniſtras.
12. Si quisquam mea dixerit malignus
13. Atro carmina quæ madent veneno;
14. Ut vocem mihi commodes patronam
15. Et, quantum poteris, sed usque, clames,
16. Non scripsit meus ista Martialis.

Vers. 1. *December*. Quo Saturnalia celebrantur. Faxint superi, ut tunc tibi multa, & magna mittantur munera. Pag. 136.
2. *Vani triplices*. Pugillares trium tabellarum seu foliorum, munuscula vilis pretii. Supra. Ep. 46.
3. *Selibræ*. Libræ dimidiæ. Pag. 244.
4. Sed aliquis potens reus, cujus causam agas, tibi muneri ferat lances argenteas, avorum scyphos aureos, &c.
6. *Capit*. Oblectat, placet.
7. 8. Sic vincas Novium, & Publium ludo calculorum: eorum latrunculi a tuis clausi, & in arctum compulsi, a te capiantur. Calculi lusorii, sive scrupi, latrones appellantur, quod aliis alii velut insidientur, instar latronum; vocantur etiam canes, quod alios alii allatrare videantur. Loculus vero, & sedes calculorum in abaco, seu tabula lusoria, mandra vocabatur. Ea vero ludi lex erat: ut si quis calculus inter duos diversi coloris, & velut agminis calculos deprehensus esset solus, & a suis destitutus: periret, ac auferretur. Vitreus appellatur calculus, quia

quia cæruleo colore fortaſſe tinctus erat, aut e vitro factus.

9. 10. Sic tibi præmium pilæ trigonalis, (de qua conſule lib. 4. Ep. 14.) adjudicent gymnaſtæ, ſeu colluſores nudi, & olea inuncti. *Coronæ.* Multitudinis. *Arbiter.* Penes quem eſt judicium de præmio alicui tribuendo: illud enim favoris vulgo munus eſt.

11. Nec tibi circumſtantiũ corona, & ludi arbitrorum, præferat Polybium, ob agilitatem ſiniſtræ manus in excipienda remittendaque pila.

12. *Meæ.* Eſſe a me ſcripta.

13. Carmina maledica, famoſa.

15. *Uſque.* Aſſidue, ſemper.

LX.

Qui ubique eſt, nuſquam eſt.

1. Eſquiliis domus eſt, domus eſt tibi colle Dianæ,
2. Et tua Patricius culmina vicus habet:
3. Hinc viduæ Cybeles, illinc ſacraria Veſtæ;
4. Inde Novum, Veterem proſpicis inde Jovem.
5. Dic, ubi conveniam? dic, qua te parte requiram?
6. Quiſquis ubiq; habitat, Maxime, nuſquã habitat

V. 1. *Eſquiliis.* Eſquiliæ, ſive Exquiliæ; nomen eſt unius e ſeptem Romæ colliculis, qui a rege Tullo Hoſtilio urbi adjectus fuit, & ſeptus excubiis, a quibus, detorta pauliſper voce, nomen invenit nota 11. *In colle Dianæ.* In monte Aventino, ubi Dianæ templum, pag. 214.

2. *Patricius vicus.* Erat ſubjectus Exquiliis, a patriciis ita dictus, quod Servius Tullius eos ibi habitare juſſerit. Jactabant patricii ſe genus ducere a centum primis illis ſenatoribus, quos Romulus primum creavit, & Patres honeſtiſſimo nomine appellavit. Ex eo vico ſpectabantur templa Cybeles, ac Veſtæ. *Culmina.* Domum

3. *Viduæ.* Quæ Atym amiſerat. Pag. 139.

4. *Inde &c.* Per novum Jovem intelligit capitolium novum: per veterem capitolium vetus. Hoc cernebatur ex Aventino colle; illud ex Eſquiliis, & vico Patricio: hujus conditor Numa: illius Tarquinius Priſcus. Vide Lipſium de Magnitudine Romana Lib. 3. c. 5. Niſi forte per *Novum Jovem* intelligit Domitiani palatium, ut conjectat Lipſius.

LXI.

In ſcurram.

1. Quod te diripiunt potentiores
2. Per convivia, porticus, theatra:

3. Et tecum, quoties ita incidisti,
4. Gestari juvat, & juvat lavari:
5. Nolito nimium tibi placere:
6. Delectas, Philomuse, non amaris.

Vers. 1. *Diripiunt*. Simul diversi invitant, domum trahunt, ac certatim ad se rapiunt: certant, quis te sit habiturus convivam.

4. Quod unusquisque ambit, quoties ita casus tulit ut in eum incideres, tecum gestari, in suum te currum admittere, ac balneum.

6. Non faciunt hoc amore tui, sed suæ oblectationis causa: non coleris ut amicus, sed expeteris ut scurra.

LXII.

Munerum venditor.

1. Exigis, ut nostros donem tibi, Tucca, libellos:
2. Non faciam: nam vis vendere: non legere.

LXIII.

Saxetani Pauper munificus.

1. Cum saxetani ponatur cauda lacerti;
2. Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est:
3. Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos
4. Mittis: habes nec cor, Papile, nec genium.

V. 2. &c. Cum apponatur tibi tantum domi tuæ lacerti saxetani cauda, & uncta oleo conchis, idq; cũ opipare cœnas; tamen mittis aliis, sumen, mullos, &c. Næ tu stultus es, & miser. Cares corde ideſt, sapientia: cares genio, ideſt, misere facis, quia ut aliis benefacias, genium defraudas, & fame conficeris. Lacertus, seu stellio, est terrestre animalculum, vel pisciculus; uterque in saxis fere delitescit.

2. *Conchis*. Est fabæ genus. Pagina 260. Vile obsonium.

3. *Sumen, Mullos*. Pag. 120. *Boletos*. Pag. 41.

LXIV.

Vinum consulare.

1. Potavi modo consulare vinum:
2. Quæris quam vetus atque liberale?
3. Ipso consule conditum: sed ipse,
4. Qui ponebat, erat, Severe, consul.

Vers. 1. Vinum Consulare vulgo dicebatur vinum Opi-

pimio consule conditum ante annos fere ab nato Martiale ducentos. Pag. 45.

2. *Liberale*. Homine lauto, & liberali dignum.

3. *Ipso Consule*. Videtur consuleum Opimium significare: sub quo vinum Consulare fuerit conditum: tamen ille consul erat is ipse, a quo vocabatur ad cœnam; atque adeo vinum erat illo ipso anno natum: consules enim singulis annis mutabantur, ut dixi supra Epigram. 52. pag. 351.

LXV.

Servus utilis.

1. Quatenus Othrysios jam pax Romana Triones
2. Temperat, & tetricæ conticuere tubæ,
3. Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
4. Mittere: jam chartis, jam vacat ille jocis;
5. Sed si parva tui munuscula quæris amici
6. Commendare; ferat carmina nostra puer,
7. Non qualis Geticæ satiatus lacte juvencæ
8. Sarmatica rigido ludit in amne rota;
9. Sed Mitylenæi roseus mangonis ephebus,
10. Vel non cæsus adhuc matre jubente Lacon.
11. At tibi captivo famulus mittetur ab Istro,
12. Qui Tiburtinas pascere possit oves.

V. 1. Siquidem confecto septentrionali bello pax est composita. *Tetricæ*. Tristes, diræ *Triones*. p. 302. De Othrysiis vide Ep. 8. hujus libri.

6. *Puer*. Servulus. Mitte illi cum meo libello, elegans, & venustum aliquod mancipiú.

7. Non puer barbarus, quales Sarmatarum filii, qui rota, ideſt, circulo ligneo, vel ferreo, quem vulgo trochum vocabant, ludunt in flumine concreto gelu. Exponi etiam potest: Qui habitat in vago curru, impositó amni glacie astricto. *Sarmaticæ*. Pag. 6. Duplex fuit Sarmatia, altera in Europa, altera in Asia: nunc Polonia, Moscovia; Tartariæ pars.

Juvencæ. Pueri Getarum equino lacte alebantur, viri sanguine interdum. De Getis dixi Libro 6. Epigr. 39.

9. 10. Sed juvenis emptus recens a Mitylenæo mangone, ideſt, mancipiorum venditore, (Mitylene, *Metlin*, est urbs primaria Lesbi insulæ) vel puer Lacedæmonius aliquis, nondum jussu matris verberatus. Lacedæmonii crebris plagis pueros suos ad patientiam erudiebant, adeo ut pueruli loris, alapisque contusi ne ingemiscerent quidem.

11. Tibi vero non ejusmodi

di puer comptus & elegans, at bubulcus, e captivis populis ad Istrum positis emptus, mittetur, quo uteris non admiscenda pocula, sed ad pascenda pecora, quibus abundas in agro Tiburtino. De Tibure vide pag. 36. 209. De Istro, pag. 231. Laudat Faustini parsimoniam, qui non servos elegantes, sed utiles optaret.

LXVI.

Bonus liber.

1. Triginta toto mala sunt epigrammata libro;
2. Si totidem bona sunt, Lause: liber bonus est.

Vers. 1. 2. potest accipi primus versiculus quasi loquatur Lausus, idque Martialis objiciat, esse in ejus libro mala epigrammata 30. Tum illi respondeat vates secundo versiculo.

LXVII.

Tonsor lentus.

1. Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
2. Expungitque genas: altera barba subit.

Vers. 1. *Circuit.* Tondet accurate, pilosom nes vestigado & expugnando, idest, eradendo: interim nova barba jam succrevit; adeo tardus & lentus est. Legitur in aliquot libris, *expingitque*, idest, expolit & quasi pingit.

LXVIII.

Imago nunquam delenda.

1. Dum mea Cæcilio formatur imago Secundo,
2. Spirat, & arguta picta tabella manu;
3. I liber ad Geticam Peucen, Istramq; tacentem;
4. Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
5. Parva dabis caro, sed dulcia, dona sodali;
6. Certior in nostro carmine vultus erit.
7. Casibus hic nullis, nullis delebilis annis
8. Vivet, Apelleum cum morietur opus.

Vers. 1. Dum ego curo pingendam meam imaginem, quam C. Plinio Cæcilio Secundo mittam. De Peuce dictum supra Epig. 7. *Cæcilio secundo.* Plinio juniori

niori. Plinii fuere duo, alter ſenior dictus, patria Veronenſis, qui Veſpaſiano imperante vixit, cujus negotiis adminiſtrandis vacabat interdiu, noctu vero & horis ſubceſivis: dabat litteris operam, ac hiſtoriam illam ſuam de rebus naturalibus, conſcribebat. Periit in Veſuvii montis incendio, dum ejus cauſam propius indagare geſtit. Pagin. 200. Alter C. Plinius Cæcilius, Secundus, Plinii Secundi ſenioris e ſorore nepos, qui panegyricum Trajano dixit, & cujus extant epiſtolæ cultiſſimæ. Illi charus Martialis fuit.

3. *Tacentem.* Aquas latiſſimo alveo volventem nullo ſtrepitu. Vel: pace compoſita, quieſcentem.

4. *Tenet.* Illi regioni præfuit Plinius cum proconſulari poteſtate.

6. *Certior.* Firmior, diuturnior erit imago mea in carmine meo, quam in tabellis pictis, quæ vetuſtate ac ſitu deteruntur ſcilicet.

7. *Hic.* Vultus in meis verſibus expreſſus.

8. *Apelleum opus.* Picta tabula, Apelles pictor egregius, patria Cous, floruit ſub Alexandro Magno.

LXIX.

Librum ſcribere.

1. Quod non inſulſe ſcribis tetraſticha quædam;
2. Diſticha, quod belle pauca, Sabelle, facis:
3. Laudo, nec admiror: facile eſt epigramma, Sabelle;
4. Scribere, ſed librum ſcribere difficile eſt.

Verſ. 1. Tetraſticha epigrammata verſibus quatuor conſtant: diſticha duobus | στίχος, verſus, ordo. δύο duo τέσσαρα, ſeu τέτρα quatuor.

LXX.

Illiberalis, & avarus.

1. Ad natalitias dapes vocabar,
2. Eſſem cum tibi, Sexte, non amicus:
3. Quid factum eſt, rogo, quid repente factum eſt?
4. Poſt tot pignora noſtra: poſt tot annos,
5. Quod ſum præteritus vetus ſodalis?
6. Sed cauſam ſcio; nulla venit a me
7. Hiſpani tibi libra puſtulati;
8. Nec tenuis toga, nec rudes lacernæ,

9. Non eſt ſportula, quæ negotiatur;
10. Poſcis munera, Sexte, non amicos.
11. Jam dices mihi; vapulet vocator.

V. 1. Olim cum tibi nondum eſſem amicus, ac familiaris, tamen a te invitabar ad cœnam, cum diem tuum natalem celebrabas.

4. *Pignora*. Significationes amicitiæ.

5. *Præteritus*. Non vocatus ad cœnam.

7. *Hiſpani*. Subaudi, argenti, vel auri, *Libræ*. Vide pag. 136. *Poſtulati*. Optimi, probe excocti: argentum enim purum intumeſcit in puſtulas, cum coquitur. Svet. in Neron. cap. 44. *Exigit argentum puſtulatum, aurum ad obruſam*. Legunt nonnulli, *puſulati*, vel *puſilati*, quod idem eſt ac *puſtulati*.

8. *Togæ*. Pag. 56. 89. *Lacernæ*. Pag. 83. 114. 179. *Rudes*. Novæ: vel pingui & craſſo filo textæ.

9. 10. Ea ſportula dicenda non eſt, quæ a patrono non datur gratis, ſed ea lege, ut qui illam accipit, rependat munera. Nundinatio quædam potius, & negotiatio dicenda eſt. Cum mihi das ſportulam, non tam mihi das, quam vendis, & mecum negotiaris. De Sportula vide ſupra.

11. Jam video, quid dicturus ſis, per te non ſtetiſſe: quin vocarer, & adeſſem, at præteritum me fuiſſe a vocatore. Ita dicebatur, qui convivas invitabat. Dabit ille pœnas, inquis, neque hoc inultum feret, qui te, licet a me juſſus, non vocaverit. Bellam ſcilicet excuſationem!

LXXI.

Puer eruditus.

1. Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus;
2. Si fruitur triſti Canius Æthiope:
3. Publius exiguæ ſi flagrat amore Catellæ;
4. Si Cronius ſimilem cercopithecon amat:
5. Delectat Marium ſi pernicioſus ichneumon;
6. Pica ſalutatrix ſi tibi, Lauſe, placet:
7. Si gelidum collo nectit Gratilla draconem,
8. Luſciniæ tumulum ſi Theleſina dedit;
9. Candida Apollinei cur non amet ora Labycæ,
10. Qui videt hæc dominis monſtra placere ſuis?

V. 1. *Glaucopido*. Bubone, noctua. Vox eſt græca γλαυκῶπις a γλαυκὸς glaucus, & ὤψ viſus, oculus. Forte ſic di-

dicitur, quod ſacrata ſit noctua Minervæ, quæ ſolemni epitheto vocatur apud Homerum, Γλαυκῶπις. *Aurita* Bubo extante, ut felis, auriculas habet.

2. *Fruitur*. Delectatur.

Æthiope. Servo nigro, ac deformi, ex Æthiopia, quæ eſt pars interioris Africæ.

3. *Catellæ*. Caniculæ.

4. *Cercopithecon*. Eſt cercopithecus animal ſimiæ ſimile, nigro capite, pilo aſinino, vocatur etiam ſimia caudata: κίρκος cauda πίθηκος ſimius. *Similem*. Sibi, nigrum, & deformem, ut ipſe Cronius eſt. Vel, ſimilem catellæ, de qua fit mentio in verſiculo ſuperiori.

6. *Ichneumon*. Mus indicus vulgo appellatur, felis magnitudine, & muris forma. Eſt crocodili hoſtis infenſiſſimus cum quo ſic pugnat. Luto ſe totum oblinit; mox in fauces apertas crocodili dormientis inſiliens, in ejus viſcera penetrat, ea lacerat ac pertundit.

6. *Salutatrix*. Quæ voces humanas docetur, easque præſertim, *Ave*, χαῖρε.

9. *Apollinei*. Eruditi.

10. Qui noctuas, Æthiopes, &c. placere poſſe intelligit, cur bene inſtitutum ſervum, & adoleſcentem in pretio non habeat.

LXXII.

Sibi de ſuis libris gratulatur.

1. Fertur habere meos, ſi vera eſt fama, libellos
2. Inter delicias pulchra Vienna ſuas.
3. Me legit omnis ibi ſenior, juveniſq; puerque,
4. Et coram tetrico caſta puella viro.
5. Hoc ego maluerim, quam ſi mea carmina cantent,
6. Qui Nilum ex ipſo protinus ore bibunt:
7. Quam meus Hiſpano ſi me Tagus impleat auro,
8. Paſcat & Hybla meas, paſcat Hymettos apes.
9. Non nihil ergo ſumus, nec blandæ munere linguæ
10. Decipimur, credam jam puto, Lauſe, tibi.

Verſ. 2. Vienna. Urbs Galliæ antiquiſſima, in Delphinatu, *Viennæ*.

6. *Ex ipſo ore*. Fonte. Populos intelligit Africæ remotiſſimos, ubi Nilus nascitur.

7. *Tagus*. Fluvius Hiſpaniæ. Pag. 55. Is arenas aureas volvere dicebatur.

8. *Hybla*. Mons Siciliæ, *Hymettus*, Atticæ, uterque floribus abundans, & apibus.

9. 10. Non igitur tam ſumus contemnendi, quam di-

cebas, o Lauſe (ſupra, Ep. 66.) neque adulantibus plus juſto credimus, quaſi ab iis decipiamur. I nunc, carpe mea carmina, o Lauſe, & quære, qui tibi ea vituperanti credat: non ego certe. Vel ſimplicius: o Lauſe, qui mea laudas epigrammata, jam tibi credam.

LXXIII.

Corona e roſis.

1. I, felix roſa; mollibuſque ſertis
2. Noſtri cinge comas Apollinaris,
3. Quas tu nectere candidas, ſed olim,
4. (Sic te ſemper amet Venus) memento.

Verſ. 3. *Candidas*. Canescentes, canas. *Olim*. Poſt multos annos, ita ut ſero fiat ſenex, diu vivat & valeat. 4. *Venus*. Cui roſa eſt conſecrata.

LXXIV.

Liber inæqualis.

1. Jactat inæqualem Matho me feciſſe libellum.
2. Si verum eſt, laudat carmina noſtra Matho.
3. Æquales ſcribit libros Calvinus, & Umber:
4. Æqualis liber eſt, Cretice, qui malus eſt.

Verſ. 1. *Inæqualem*. In quo non omnia æque culta, & bona. Lege epigram. 66. hujus Libri & 17. Libri 1. 3. *Calvinus*, *Umber*. Mali poetæ.

LXXV.

Promiſſor.

1. Si quid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum,
2. Bis nobis dicis, Baccara, terque die.
3. Appellat rigida triſtis me voce Secundus:
4. Audis; ſed neſcis, Baccara, quid ſit opus.
5. Eſſe queror gelidaſque mihi tritaſque lacernas;
6. Audis; ſed neſcis, Baccara, quid ſit opus.
7. Hoc opus eſt, ſubito fias ut ſidere mutus:
8. Di-

8. Dicere ne possit, Baccara, quid sit opus.

Vers. 1. Ordo verborum est. Dicis mihi, o Baccara, singulis diebus bis, terque: O Martialis, nosti me, si quid opus tibi fuerit, dabo mea sponte, neque opus erit ut roges.

3. *Secundus*. Nomen est creditoris. Pecuniam a me Secundus exigit, te audiente, & dissimulante, quid mihi sit opus: opus esset ut pro me solveres. *Rigida*. Nempe litem minitans & nervum.

5. *Pensio*. Pretium ædium conductarum.

9. Utinam, aliqua siderum vi arcana, mutus fias, ut ne frustra mihi semper promittas. Homines, plantæ & animalia interdum, cœli vitio, tabem contrahunt, ita ut pars eorum aliqua inarescat ac sensum amittat, ossa ipsa carie conficiantur. Hic morbus sideratio vocatur, & homines ita percussi appellantur sideràti, quasi maligno afflati sidere.

LXXVI.

Amicus absens.

1. Narnia, sulfureo quam gurgite candidus amnis
2. Circuit, ancipiti vix adeunda jugo,
3. Quid tam sæpe meum nobis abducere Quinctum
4. Te juvat, & lenta detinuisse mora?
5. Quid Nomentani causam mihi perdis agelli,
6. Propter vicinum, qui pretiosus erat?
7. Sed jam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quincto,
8. Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

Vers. 1. *Narnia*. Est Italiæ civitas in Umbria, *Narni*. Eam rogat, ut ne diutius detineat Quintum Ovidium. Habebat ille villam in agro Nomentano; prope villam Martialis, a quo sæpe invisebatur. *Amnis*. Nar, nunc *la Nera*.

2. *Jugo*. Quæ difficilem aditum habes, eo quod in gemino & arduo montis cacumine sis ædificata. Est in parte montis Apennini.

5. Cur eum abducis, cujus unius causa tam libenter moror in villa mea Nomentana, quæ mihi propter tam suavem vicinũ est chara?

7. *Abutere*. Eum diutius remorando.

8. Id si feceris, precor ut æternum duret pons tuus, Ille duos montes, quibus erat imposita Narnia, seperatos jungebat, flumine subter labente inter duplex jugum montis. Adhuc visuntur ejus pontis ruinæ ac rudera.

LXXVII.

Anima fœtens.

1. Unguentũ fuerat, quod onyx modo parva gerebat;
2. Olfecit poſtquam Papilus; ecce; garum eſt,

Verſ. 1. Vaſculum ex onyche factum, gerebat modo unguentum odoris ſuaviſſimi: Papilus illud olfecit, & fœtente halitu ſic ſtatim corrupit, ut ex unguento garum factum ſit. Eſt garum, muriæ genus e piſciculorum ſale maceratorum ſanie confectum, odoris graviſſimi, maxime ubi eſt corruptum. Onyx gemma eſt, unguis humani colorem referens. Onyx, Græcis unguis eſt.

LXXVIII.

Nimis officioſus.

1. Bruma eſt, & riget horridus December;
2. Audes tu tamen oſculo nivali
3. Omnes obvius hinc, & hinc tenere,
4. Et totam, Line, baſiare Romam.
5. Quid poſſis graviuſque ſæviuſque
6. Percuſſus facere atque verberatus?
7. Cujus livida naribus caninis
8. Dependet glacies, rigetque barba,
9. Qualem forficibus metit ſupinis
10. Tonſor Cinyphio Cilix marito.
11. Quare ſi tibi ſenſus eſt, pudorque,
12. Hibernas, Line, baſiationes
13. In menſem, rogo, differas Aprilem.

Verſ. 3. *Tenere*. Morari ſalutando.

4. *Baſiare*. Oſculari. Obvios amicos ſalutando ſolent oſculari.

5. An poſſes inimicos, a quibus eſſes verberatus, ulciſci graviori ſupplicio?

6. *Lividæ*. Coloris ſulphurei. *Caninis*. Canibus ſunt nares frigidæ, ac mucoſæ. *Glacies*, Stiria.

9. 10. Qualem barbam hircus, cum tondetur, habet. Vocatur *maritus*, ut a Virgilio vir gregis appellatur. Cinyphius dicitur, quia ſunt majores hirci prope Cinyphé Africæ fluvium, *Macres*, qui ſe exonerat in mare mediterraneũ in regno Tripolitano.

Cilix tonſor. Cilices, (populus Aſiæ minoris in ora meridiana maritima) plurimum

mum utuntur vestibus confectis e pilo hircino. *Forficibus supinis*. Extrema pars forficum, & acies, deprimitur inter tondendum; manubrium attollitur.

13. Oro te, ut in mitiorem & calidiorem tempestatem tua illa oscula, & frigidas salutationes differas.

LXXIX.

Epitaphium infantis.

1. Conditus hic ego sum Bassi dolor Urbicus infans:
2. Cui genus, & nomen maxima Roma dedit.
3. Sex mihi de prima deerant trieteride menses,
4. Ruperunt tetricæ cum mala pensa deæ.
5. Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
6. Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo.
7. Sic ad Lethæas, nisi Nestore serior, undas
8. Non eat; optabis quem superesse tibi.

Vers. 1. *Bassi*. Parentis mei, vel domini.

2. In urbe natus, & ab urbe dictus Urbicus. Roma urbs antonomastice dicitur.

3. Confeceram annos duos & dimidium. De trieteride vide Lib. 6. Ep. 26.

4. *Deæ*. Parcæ. Lib. IV. Epig. 42.

7. Precor vicissim, ut servus, aut amicus, quem diligas, & quem tibi esse superstitem velis, diutius vivat, quam Nestor.

Lethæas. Epig. 41. supra.

LXXX.

Librum amicum mittit.

1. Nosti si bene Cæsium, libelle,
2. Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
3. Auli municipem mei Pudentis;
4. Illi tu dabis hæc vel occupato:
5. Instent mille licet premantque curæ,
6. Nostris carminibus tamen vacabis.
7. Nam me diligit ille, proximumque
8. Turni nobilibus leget libellis.
9. O quantum tibi nominis paratur!
10. O quæ gloria! quam frequens amator!
11. Te convivia, te forum sonabit,
12. Ædes, compita, porticus, tabernæ.
13. Uni mitteris, omnibus legeris.

Vers. 2.

Verſ. 1. *Caſium*. Cæſius Sabinus, vir fuit omni laude præſtans, ad quem extant multæ Plinii epiſtolæ.

2. *Umbriæ*. Pars eſt Italiæ infra Venetos, ad mare Adriaticum, montibus aſpera. Pag. 334.

3. *Municipem*. Ejuſdem, ac Pudens, municipii, ſeu oppidi. De hac voce dictum pag. 216. De Pudente incidit mentio Lib. 4. Epigr. 10. & 22.

8. *Turni*. Nomen eſt poetæ ſatirici tunc florentis.

10. *Amator*. Lector benevolus, & cupidus.

12. *Legeris*. Solebat Cæſius omnibus legere, & recitare Martialis epigrammata: tanti ea faciebat.

LXXXI.

In emacem.

1. Omnia, Caſtor, emis: ſic fiet, ut omnia vendas.

Verſ. 1. Caſtor, cum ditiſſimus non ſit, emit tamen omnia: cogetur brevi omnia, vel illa quæ emerat, vel etiam ſua, vendere, ut vitam toleret.

LXXXII.

Pro verſibus nummos petit.

1. Sic placidum videas ſemper, Criſpine, Tonantem;
2. Nec te Roma minus, quam tua Memphis, amet:
3. Carmina Parrhaſia ſi noſtra legentur in aula;
4. (Namque ſolent ſacra Cæſaris aure frui)
5. Dicere de nobis, ut lector candidus, aude,
6. Temporibus præſtat nonnihil ille tuis;
7. Nec Marſo nimium minor eſt, doctoque Catullo.
8. Hoc ſatis eſt; ipſi cetera mando Deo.

Verſ. 1. *Criſpine*. Fuit Ægyptius quidam, obſcuro loco natus, princeps equitum a Domitiano factus, quem Juvenalis lacerat Satyra 1. & 4. Quem hoc in epigrammate vates adulator laudat.

2. *Memphis*. Pag. 2.

3. *Parrhaſia*. Imperatoria. Vide ſupra Ep. 48.

5. 6. Hoc de me, ut candidi, & benevoli lectores ſodeat, qui libros quos probant laudare geſtiunt, dices Domitiano: o Cæſar, iſte Martialis aliquid ornamenti affert ævo tuo, rebus tuis geſtis.

7. *Marſo*, *Catullo*. Epigrammatum ſcriptoribus celeberrimis. Pag. 33. 132.

8. Cetera permitto, & relinquo facienda ipſi Domitiano, ut nempe aliquid mihi muneris largiatur. Tu me laudabis, ille remunerabitur.

Om-

LXXXIII.

Omnis homo, nullus homo.

1. Pontice, per reges discurris, & omnia lustras,
2. Magna quidem sequeris, Pontice, magnus homo es.
3. Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba,
4. Non adhibes multos; Pontice, cautus homo es.
5. Pontice, te celebrem forma natura creavit,
6. Dignus eras Helena; Pontice, pulcher homo es.
7. Pontice, voce tua posses adamanta movere,
8. Vox tua dulce sonat; Pontice, dulcis homo es.
9. Pontice, sic alios, sic te quoque decipit error:
10. Vis dicam verum? Pontice, nullus homo es.

Vers. 1. *Per reges*. Per domos potentiorum.

2. Magnifica, & splendida consectaris.

4. Non te impertis multis & communicas, in quo sane cautus es: homo es, ut ille Terentianus, paucorum hominum.

6. Martius Helena dignus, ipso Paride pulchrior.

10. *Nullus*. Dum vis esse omnia, nihil es. Dum vis in omnibus videri magnus, & excellens, in omnibus parvus, vel potius, nullus es. Sunt qui hoc epigramma Martiali abjudicent.

LXXXIV.

Pro Caro, & Norbana, Mercurio votum.

1. Cyllenes cœlique decus, facunde Minister,
2. Aurea cui torto virga dracone viret:
3. Sic tibi jucundi non desit copia furti,
4. Et senior parca mole prematur avus:
5. Hunc semper Narbana diem cum conjuge Caro
6. Læta colat, primis quem coluere toris.
7. Hic pius antistes Sophiæ sua dona ministrat
8. Hic te thure vocat, fidus & ipse Jovi.

Vers. 1. *Cyllenes*. Cyllene mons Arcadiæ, in quo Mercurius genitus est. Hinc vocatur ipse, Cyllenius.

Cœli decus. Magnam Superis navabat operam Mercurius, quippe cœli cursor, & tabellarius. *Facunde*. Mercurius est eloquentiæ præses. Vide oden 9. Lib. 1. Horatia-

tiani. *Mercuri Facunde, &c. Minister.* Quia Deorum, ut dixi, est nuncius, ac publicus quasi proxeneta.

3. Virga Mercurii vulgo Caduceus nuncupatur. Baccillus est, quem hinc inde amplectuntur duo angues, commissis, interiectisque in summa baccilli parte capitibus, caudis in ima: cetero corpore in hemicyclum circa virgam utrinque circumfuso. Ajunt Mercurium, cum virgam tenens manu iret per Arcadiam, incidisse in duos serpentes inter se colligatos ac depugnantes; virgaque interposita, statim pugnam diremisse. Inde caduceus pacis, fœderisque symbolum est, & oratores ac legati missi ad pacem conficiendam, Caduceatores vocantur.

3. *Furti*. Præerat etiam furibus Mercurius.

4. Et Atlas minus laboret in ferendo cœlo. Atlas, avus Mercurii fuit; Mauritaniæ, ut ajunt, rex, qui humeris cœlum sustinuisse dicitur, quod primus astrorum cursus varios observavetit. Eumdem a Perseo mutatum fuisse ferunt in montem altissimum; cujus cacumen cum inter nubila condatur, hinc fortasse locus fabulæ factus, ut Atlas cœlum humeris ferre diceretur.

Parca mole. Exiguo, minori pondere: nempe cœli humeris impositi.

6. Quo die matrimonio juncti fuerunt.

7. Charus, est sapientiæ, cui tu quoque præsides, deditus: eique suum ingenium, otium, curas, impendit.

Antistes. Proprie est præfectus sacrorum, ædi sacræ præpositus, sacerdos primarius. Sapientia, seu, græca voce, Sophia, Dea quædam est; cujus sacerdotes esse dicuntur viri docti. Per metaphoram *antistes* sæpe dicitur, quicumque in re aliqua excellit, ac principatum obtinet, aliisque velut antestat. Sic Plato vocatus olim est sapientiæ antistes.

8. *Jovi*. Domitiano, quem suum sæpe Jovem Noster appellat. Est Carus, fidus minister Jovi Romano, ut tu cœlesti Jovi.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER OCTAVUS.

EPISTOLA.

IMPERATORI Domitiano Cæſari Auguſto, Germanico, Dacico, Valerius Martialis ſalutem.

OMNES quidem libelli mei, Domine, quibus tu famam, ideſt, vitam, dediſti, tibi ſupplicant; & puto, propter hoc leguntur. Hic tamen, qui operis noſtri octavus inſcribitur, occaſione pietatis frequentius fruitur. Minus itaque ingenio laborandum fuit, in cujus locum materia ſucceſſerat: quam quidem ſubinde aliqua jocorum miſtura variare tentavimus, ne cœleſti verecundiæ tuæ laudes ſuas, quæ facilius te ſatiare poſſunt, quam nos fatigare, omnes verſus ingererent. Quamvis autem epigrammata ſeveriſſimis quoque, & ſupremæ fortunæ viris ita ſcripta ſint, ut mimicam verborum licentiam affectaſſe videantur: ego tamen illis non permiſi tam libere loqui, quam ſolent; cum pars libri, & major, & melior ad majeſtatem ſacri nominis tui allegata ſit. Meminerit nonniſi religionis purificatione luſtratus accedere ad templa debere. Quod, ut cuſtoditurum me lecturi ſciant, in ipſo libelli hujus limine profiteri breviſſimo placuit epigrammate.

Tibi

Tibi supplicant. Te ut patronum, ac numen quoddam suum appellant.

Occasione pietatis, &c. Versatur in eo argumento, eas res (nempe tuas laudes) celebrat, quæ dant ipsi occasionem frequentiorem significandæ suæ erga te pietatis & obsequii.

Minus, &c. Minori contentione ingenii opus fuit, quia ingenii vices, materiæ dignitas & amplitudo supplebat; quia ejus tenuitatem & penuriam, argumenti gravitas, ubertasque compensabat. Tenuia ingenia in magnis rebus fecunda & facunda esse possunt.

Ne cælesti, &c. Ordo verborum est. Ne omnes versus ingererent tuæ verecundiæ laudes suas, quæ &c. Sententia vero hæc: Ne in quolibet epigrammate tuas tibi laudes quasi obtruderem, ac pudori tuo molestus essem; ne cogerem te sæpiùs erubescere laudes tuas audientem.

Mimica. Mimus non solum significat hominem, qui alios scurriliter fere imitatur: sed est etiam sermo quilibet, sive actio & imitatio, quæ fit gestibus solutis, & illiberalibus. Qua in significatione ferme usurpantur in plurali numero. Ovid. *Scribere si fas est imitantes turpia Mimos*; & alibi: *Mimos obscæna jocantes*.

Allegata. Missa.

Meminerit, &c. Meminisse quippe debet hic liber tuum palatium esse instar templi; nemini autem fas esse inire templa, nisi puro & casto, nisi qui prius aliqua religiosa cæremonia fuerit expiatus, & purgatus. Solebat sacrificulus eos, qui templa ingrederentur, injecta leviter aqua, religionis ergo, aspergere: aut alia id genus cæremonia lustrare.

EPIGRAMMA I.

Liber verecundus.

1. LAurigeros Domini liber intrature Penates,
2. Disce verecundo sanctius ore loqui.
3. Nuda recede Venus; non est tuus iste libellus,
4. Tu mihi, tu Pallas Cæsariana, veni.

Vers. 1. *Laurigeros Domini Penates*. Domitiani victoris laureatam domum. Triumphantium ædibus appendebantur laureæ: Domitianus de Cattis, Dacis, Sarmatis, &c. triumphaverat.

4. *Cæsariana*. Casta Pallas, a Domitiano in primis culta.

Juno.

II.

Jano, pro Imperatore, votum.

1. Faſtorum genitor parenſque Janus
2. Victorem modo cum videret Iſtri,
3. Tot vultus ſibi non ſatis putavit.
4. Optavitque oculos habere plures:
5. Et lingua pariter locutus omni
6. Terrarum domino, Deoque rerum
7. Promiſit Pyliam quater ſenectam.
8. Addas, Jane, pater, tuam rogamus.

Verſ. 1. *Faſtorum*. Faſti erant libri ſingulorum annorum & rerum publice geſtarum memoriam complectentes. In eorum prima pagina ſcribebatur nomen conſulum, qui anno ineunte ſumebant faſces ex more. Quia vero annus a Januario menſe, cui Janus præeſt, ducitur, vocatur idem Janus faſtorum genitor.

2. *Victorem Iſtri*. Domitianum, victis Sarmatis, qui ad Iſtrum habitant, redeuntem. De Iſtro facta mentio pag. 131. 322.

3. *Tot vultus*. Bifrons vulgo pingitur: interdum quadrifrons. Janus Italiæ rex fuit prudentiſſimus. Prudentia res præteritas & futuras, antrorſum quaſi & retrorſum, in omnem partem, circumſpicit.

7. *Pyliam*. Neſtoream: Neſtor Pyli res fuit in Græcia. Pag. 309. tres hominum ætates vixiſſe fertur.

Quater. Quia quatuor vultus, ut dixi, habebat; ora quatuor, Vel, *quater*, ideſt, ſæpius.

8. *Tuam*. Quæ immortalis Cæſaris precatur immortalitatem.

III.

Epigrammata ſua modeſte prædicat.

1. Quinque ſatis fuerant: nam ſex, ſeptemve libelli,
2. Eſt nimium: quid adhuc ludere, Muſa, juvat?
3. Sit pudor, & finis: jam plus nihil addere nobis
4. Fama poteſt; teritur noſter ubique liber.
5. Et cum rupta ſitu Meſſalæ ſaxa jacebunt,
6. Altaque cum Licini marmora pulvis erunt:
7. Me tamen ora legent, & ſecum plurimus hoſpes
8. Ad patrias ſedes carmina noſtra feret.
9. Finieram; cum ſic reſpondit nona ſororum,

10. Cui

10. Cui coma, & unguento ſordida veſtis erat:
11. Tunc potes dulces, ingrate, relinquere nugas:
12. Dic mihi, quid melius deſidioſus ages?
13. An juvat ad tragicos ſoccũ transferre cothurnos?
14. Aſpera, vel paribus bella tonare modis?
15. Prælegat, ut tumidus rauca te voce magiſter,
16. Oderit & grandis virgo, bonuſque puer.
17. Scribant iſta graves nimium, nimiumque ſeveri,
18. Quos media miſeros nocte lucerna videt:
19. At tu Romano lepidos ſale tinge libellos:
20. Agnoſcat mores vita, legatque ſuos.
21. Anguſta cantare licet videaris avena,
22. Dum tua multorum vincat avena tubas.

Verſ. 2. Eſt nimium. Satis ſuperque ſunt ad noſtram gloriam, ad lectorum ſatietatem. Legit Raderus e codicibus antiquis. *Vel ſex ſeptemque libelli: Et nimium.* Quinque vel ſex, aut ſeptem libelli epigrammatum ſatis erant: ſatis vero? imo & nimium. *Ludere.* Jocoſa carmina ſcriptitare.

5. Meſſalæ. M. Valerius Corvinus Meſſala, clariſſimus orator, Auguſti ævo, ac ditiſſimus: ædes magnificentiſſimas habebat Romæ. Licinus, ejuſdem Auguſti tonſor ac libertus, cujus marmoreum ſepulcrum exquiſito ſtructum opere, prope urbem, via Salaria. viſebatur.

Situ. Situs ſignificat pædorem & ſqualorem, qui innaſcitur locis humidioribus, & incultis.

9. Nona ſororum. Una de novem Muſis: Thalia fortaſſe, quæ jocis ac deliciis gaudet, quæ conviviis præeſt; quam delibutam unguentis deſcribit ſequenti verſiculo. Vide pag. 183.

11. *Nugas.* Epigrammata.

13. An præſtat ſoccum, id eſt, hoc in locu, leve iſtud & pene comicum (nam ſoccus erat comicorum actorum calceus humilior) ſcribendi genus in quo verſaris, transferre ad tragicum? An ſatius putas pro epigrammatis tragœdias ſcribere? *Cothurnos.* Pag. 151.

14. At etiam bella canere, heroico & tonanti carmine: *modis paribus*, verſibus, qui reſpondeant bellorum aſperitati, amplitudini, majeſtati.

15. *Prælegat.* Pueris explanet: diſcendum tradat.

16. *Oderit.* Cum jubebitur te mandare memoriæ, recitare, &c.

18. Qui pernoctant ſcribendo ad lucernam.

20. Mores hominum, & quotidianam vitam deſcribe in tuis nugis.

21. 22. Eſto ſane, videari per me licet cantare avena tenui, modo poetas heroicos ſuperes bene multos, qui

qui turbam videntur instare. Deum tua brevia, & acuta carmina, illorum operosas lucubrationes vincant.

IV.

Adventus Domitiani in urbem.

1. Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras
2. Suscipit, & solvit pro Duce vota suo!
3. Non sunt hæc hominum, Germanice, gaudia tantũ,
4. Sed faciunt ipsi nunc, puto, sacra Dei.

Vers. 1. *Conventus.* Concursus, frequentia. *Mundi.* Non tantum urbis, sed orbis totius: nec terræ modo, sed ipsius etiam cœli.

3. *Germanice.* Domitianum cur sic appellet, jam dixi pluribus locis.

4. Ipsi Dii te, quasi majorem Deum, colunt faciendis sacrificiis, & adventu gratulantur tuo.

V.

In prodigum.

1. Dum donas, Macer, annulos amicis,
2. Desisti, Macer, annulos habere.

Vers. 2. Amisisti equestrem dignitatem. Equitum Rom. insigne erat annulus: illis detrahebatur, qui censum equestrem non haberent, aut e suo gradu & loco moverentur. Potest hoc idem de quolibet alio divite intelligi, nã lauti homines annulos etiam gerebant; eritque sententia. Dum vis esse plus æquo liberalis, ad inopiam es redactus.

VI.

Antiqua pocula, vinum recens.

1. Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti,
2. Ficta Saguntino cymbia malo luto.
3. Argenti fumosa sui cum stemmata narrat
4. Garrulus, & verbis mucida vina facit.
5. Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ:
6. Ferret ut hæc, muros struxit Apollo lyra
7. Hoc cratere ferox commisit prælia Rhœtus
8. Cum Lapithis; pugna debile cernis opus.

9. Hi

9 Hi duo longevo cenſentur Neſtore fundi;
10. Pollice de Pylio trita columba nitet.
11. Hic ſcyphus eſt, in quo miſceri juſſit amicis
12. Largius Æacides, & bibit ipſe merum.
13. Hac propinavit Bytiæ pulcherrima Dido
14. In patera, Phrygio cum data cœna viro eſt.
15. Miratus fueris cum priſca toreumata multum,
16. In Priami cyathis Aſtyanacta bibes.

Verſ. 1. *Archetypis*. Poculis, & vaſis antiquis. Vide Lib. 7. Epig. 11. ubi ea vox explicatur.

2. Fictiles cyathos ex argilla Saguntina prætulerim poculis Eucti. De Sagunto dixi pag. 202. Cymbia ſunt oblongæ pateræ, inſtar cymbularum.

3. 4. Dum nobilitatem, & antiquitatem vaſorum ſuorum, ex argento factorum denarrat, tunc ita verboſus eſt, ut interim aceſcat vinum, & mucidum evadat.

Stemmata. Pag. 199. Fumoſa dicuntur, ideſt, ob vetuſtatem pretioſa, quia nobilium ſtatuæ, & imagines in atriis ſervari ſolitæ, ab igne, qui in atriis vulgo erat, & fumo, atque adeo ab ipſa vetuſtate nigrorem ducebant; eoque cenſebantur vetuſtiores, ac nobiliores, quo plus haberent iſtius coloris, & fumi. Legitur vulgo, *furioſa*; ſed opinor, mendoſe, niſi quis velit ea voce ſignificari inſanam Eucti garrulitatem.

5. Decem, qui ſequuntur, verſus dicere Euctus fingitur. Laomedon Priami pater, his uſus eſt poculis.

6. Ut hæc pocula obtineret mercedis loco, Apollo Trojæ muros ſtruxit, ſaxis ad lyræ ſonum convenientibus. Apollo, quod in Jovem conjuraſſet, cœlo pulſus, ne nihil ageret in terris, operam ſuam Laomedonti locavit ad extruenda Trojæ mœnia, interpoſita certi pretii pactione.

8. *Lapithis*. Lapithæ, populi Theſſaliæ, orta in Hippodamiæ nuptiis rixa, manus cum Centauris vicinis populis, qui ad eaſdem invitati nuptias fuerant, conſervere: horum unus erat Rhœtus, ſive Rhœcus. Vide Ovid. 12. Metamorph.

Opus debile. Poculum colliſum, & truncum, quia in rixa uſi ſunt illo ad pugnam committendam, Baccho arma miniſtrante.

9. 10. Iſtud poculum duplici fundo inſtructum, cenſetur, ideſt, magni æſtimatur, quod Neſtor illo ſit uſus, & columbæ anſis inſculptæ, ab Neſtore tractatæ, tritu crebro nitent. De ſignificatione hujus vocis *cenſentur*, conſule Lib. 1. Epigram. 53. Deſcribit hoc Neſtoris poculum Homerus lib. Iliad. XI. verſu 631. *Fundi*. Fundus maſculino genere dicitur pro ima par-

parte rei cujuslibet; non ſundum, ut perperam contendunt quidam grammatici.

12. *Æacides*. Achilles Æaci nepos, Pelei filius. *Largius*. Lætus v. g. ob Hectorem interfectum.

13. 14. In hac patera bibit olim Dido, & eamdem Bytiæ dedit hauriendam, cum Phrygium virum, ideſt Æneam, accepit. Vide Lib. I. Æneid. ſub finem.

14. *Toreumata*. Pag. 156. 203.

15. *Priami cyathis*. Antiquis. Priamus enim ad ſummam uſque ſenectutem vixit. *Aſtyanactæ*. Aſtyanax fuit unicus Hectoris filius, quem Ulyſſes adhuc puerulum, incenſa Troja, præcipitem e turri dediti, ne Trojanæ cladis ultor aliquando foret. Hic pro vino recenti, & quaſi puero; atque adeo non optimo, ponitur.

VII.

Cauſidicus elinguis.

1. Hoc agere eſt cauſas hoc dicere, Cinna, diſerte,
2. Horis, Cinna, decem dicere verba novem?
3. Sed modo clepſydras ingenti voce petiſti
4. Quatuor: o quantum, Cinna, tacere potes!

Verſ. 1. 2. O te, Cinna, tardum, & in dicendo moleſtum, qui horis decem vix novem partuſias verba! Hoccine eſt cauſidicum, & eloquentem eſſe, qualem te eſſe venditas?

3. Petiiſti, ut horæ tibi quatuor ad dicendum concederentur; conceſſæ ſunt: ſed hoc toto tempore, ita nihil dixiſti, ut non tam dixiſſe, quam tacuiſſe videaris. Prætor ſpatium, quo patronus quiſque diceret, definiebat. De Clepſydris vide Lib. VI. Epigram. 25.

VIII.

Ad Janum de adventu Domitiani.

1. Principium des, Jane, licet velocibus annis,
2. Et revoces vultu ſæcula longa tuo;
3. Te primum pia thura rogent, te vota ſalutent;
4. Purpura te felix, te colat omni honos:
5. Tu tamen hoc mavis, Latiæ, quod contigit urbi
6. Menſe tuo reducem, Jane, videre Deum.

Verſ. 1. *Jane*. Vide ſupra, Ep. 2.

3. Quamvis accipias prima ſacrificia, & vota hominum, cum

librarum mille Turon. *Lacernas*. Pag. 83. 179.

2. *Tyrias*. Purpureas. Tyrus, urbs Phœniciæ: hinc optima purpura.

Lucrifecit. Ingens lucrum fecit.

3. Adeone vili pretio tam pretiosas vestes emit? inquis. Respondet vates, non emit, nondum enim pecuniam numeravit: imo fortasse nunquam numerabit, quia solvendo non est; vel, quia fur est. Itaque melius emi nihil potuit. Latina locutio est *Bene emere*, pro æquo, aut vili pretio emere.

XI.

Princeps populo charus.

1. Perveniſſe tuam jam te ſcit Rhenus in urbem
2. Nam populi voces audit & ille tui.
3. Sarmaticas etiam gentes, Iſtrumque, Getaſque
4. Lætitiæ clamor terruit ipſe novæ.
5. Dum te longa ſæro venerantur gaudia circo,
6. Nemo quater miſſos currere ſenſit equos.
7. Nullum Roma ducem, nec te ſic, Cæſar, amavit:
8. Te quoque jam non plus, ut velit ipſa, poteſt.

Verſ. 2. Nam tantus fuit plauſus civium, tibi in urbem reverſo plaudentium, ut ab Rheno & ultima Germania ſit exauditus.

3. Sarmatæ ſunt Europæ populi, & Aſiæ ad Septentrionem. Pag. 6. & 357. De Getis egimus pag. 302. de Iſtro 231. 322.

5. *Circo*. Adi pag. 23. & 307. Illic quid eſſet circus: hic, quotuplex, expoſui. Senſus verſiculi eſt: dum populus ſua de tuo reditu gaudia plena venerationis, & amoris longo plauſu teſtatur in circo.

6. Currus e carceribus quater emiſſos. Nam ſæpius emittendi erant, & meta ſeptiès circumradenda, ut palmam obtinerent. Carceres porro vocabantur ea repagula, quibus apertis & reſeratis, erumpebant currus in circum.

7. *Nec te &c.* Ante hunc diem, antequam redires.

8. *Ut velit*. Quamvis amare plus vellet, non poteſt. Simillimum eſt epigramma 7. Lib. VII.

XII.

Uxor locuplex.

1. Uxorem quare locupletem ducere nolim
2. Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

3. Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
4. Non aliter fiunt femina virque pares.

Verſ. 2. Nolo habere uxorem, quæ mihi imperet, quæ viri, dominique locum obtineat. In latino ſermone verbum *nubere* dicitur, tantum de muliere quæ virum accipit: *ducere*, de viro, qui uxorem aſſumit. Nubit femina viro: vir uxorem ducit. Itaque dum ſe negat velle nubere, negat velle eo eſſe numero, & officio, quo eſſe debet femina, cujus partes ſunt ut viro morem gerat, ac ſerviat.

4. Tunc erunt pares vir, & femina, quando erunt quodammodo impares; cum erit obediens uxor, & vir imperans, ac dominus. At ſi ambo præeſſe velint, peſſime agetur cum utroque, & infelix erit matrimonium, quod laudatur, cum par jungitur pari.

XIII.

Morio ſapiens.

1. Morio dictus erat: viginti millibus emi.
2. Redde mihi nummos, Gargiliane: ſapit.

Verſ. 1. Emi a te ſervum: hebes, & morio eſſe dicebatur: decepiſti me, nam eſt ſapiens, & cordatus: jam vilis eſt mihi, & nullius pretii. Stoliditas caros moriones facit. Morio nomen habet a voce græca μωρὸς ſtultus. Ita dicitur, qui fatua ſtoliditate, ſive naturali, ſive per artem ſimulata, rium ciet.

Millibus. Libris Francicis 2000.

XIV.

Arbor homine carior.

1. Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
2. Mordeat, & tenerum fortior aura nemus;
3. Hibernis objecta Notis ſpecularia puros
4. Admittunt ſoles, & ſine fæce diem.
5. At mihi cella datur non tota clauſa feneſtra.
6. In qua nec Boreas ipſe manere velit.
7. Sic habitare jubes veterem crudelis amicum?
8. Arboris ergo tuæ tutior hoſpes ero.

V. 1. *&c.* Ne tua pomaria e Cilicia in Italiam advecta hieme lædantur, habes cellas vitreis ſpecularibus tectas,

ctas, clausas vento, soli meridiano, uni patentes; in quas abdis arbore: das mihi cellam ventis omnibus perviam: præstaret me esse hospitem arboris tuæ, ideſt, habitare in ea domo, in eo loco, ubi tuæ degunt arbores, quam domi tuæ.

Pallida. Oh hibernum frigus pallent frondes.

Cilicum pomaria. Pretiosæ arbores, natæ in Cylicia, parte meridionali & maritima minoris Asiæ: puta, citri, mali Punicæ.

3. *Specularia*. Sunt vitrei, clathri, & fenestræ: fiebant olim ex lapide quodam pellucido.

4. *Sine fœce*. Sine nube, pluvia, nive, quibus aditus per specularia non est.

XV.

Populus principi carus.

1. Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
2. Omnis, & ad reducem dum litat ara Jovem;
3. Dat populus, dat gratus eques; dat thura senatus,
4. Et ditant Latias tertia dona tribus.
5. Hos quoq; secretos memorabit Roma triumphos,
6. Nec minor ista tuæ laurea pacis erit.
7. Quid tibi de sancta credis pietate tuorum?
8. Principis est virtus maxima, nosse suos.

Vers. 1. *Pannonici*. Pannonia, regio est Europæ ampla inter Danubium, Noricum, & Illyricum: nunc, ad occasum, continet partem Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Sclavoniæ, &c. ad ortum vero; quæ inferior Pannonia dicebatur; partem Hungariæ, & Sclavoniæ, quæ regiones, quia vicinæ sunt Sarmatiæ Europææ, pro ea sumuntur hoc in loco.

2. Et ad omnes templorum aras Jovi reduci, qui te videlicet salvum, & incolumem reduxit Romam, litatur, ideſt, fiunt sacrificia fausta, & superis accepta. Extat vetus inscriptio quæ testatur ipsi Domitiano positum fuisse tunc templum sub nomine Jovis Reducis; de quo templo fortasse hic versus intelligendus est,

4. Et populus ditatur, gaudet epulo, & congiario, quod hac vice tertia ipsi dedisti. Ter, ut dixi, victor in urbem redit: semel, iterumque cũde Dacis, & Catiis triumphavit; tertio, cum victoriam de Sarmatis, seu Pannonibus retulit, de quibus triumphare noluit, lauream duntaxat Jovi Capitolino intulit: de qua nunc agit Martialis, & hunc secretum triumphum versu 5. appellat, Domitiani molestiam laudans. Per *tribus* vilissimi quique, & pauperrimi notantur: unde etiam *tribulis* pro capite censo ponitur apud Horatium, & alios. De Tribubus dictum Pag. 124.

6. Nec minus celebris erit

hæc laurea, qua pacem nobis attuliſti victoria tua pacifica, & modeſta, quam ſi triumphum egiſſes juſtum & magnificum.

7. Quam hæc tibi grata populi pietas accidere debet, qui tuum reditum, & victoriam, publicis ſacrificiis, laudibuſq; tuis ita celebrat.

8. *Noſſe ſuos*. Eorum erga ſe amorem perſpicere, & ſentire illum juſtum eſſe, ac debitum. Tunc ſe vera, & magna præditum virtute credere Imperator poteſt, cum a ſuis publice, & ex animo laudatur.

XVI.

Cauſidicus e piſtore.

1. Piſtor qui fueras diu, Cipere,
2. Nunc cauſas agis, & ducenta quæris:
3. Sed conſumis, & uſque mutuaris.
4. A piſtore, Cipere, non recedis;
5. Et panem facis, & facis farinam.

Verſ. 2. Quæris ducenta ſeſtertia, (libras Gallicas 2000.) ideſt, queris a quo accipias illa, vel gratis, vel commodato, vel fraude.

4. Retines morem priſtinum; idem facis modo cauſidicus, quod olim piſtor.

5. Ut prius panem faciebas e farina mutuo ſumpta, rurſumque pane facto, & vendito, farinam mutuabaris; ita nunc quæris, & conſumis, & rurſum quæris ut conſumas, eamdemque, ſemper inops, molam verſas: lauto victu partas opes abſumis.

XVII.

Malæ cauſæ patronus.

1. Egi, Sexte, tuam, pactus duo millia, cauſam.
2. Miſiſti nummos quot mihi? mille: quid eſt?
3. Narraſti nihil, inquis, & a te perdita cauſa eſt,
4. Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

Verſ. 1. *Pactus*. Facta pactione, fore ut mihi dares duo millia ſeſtert. (Francicos nummos 200.

2. *Quid eſt*. Cur mihi tantum mille nummos miſiſti?

3. *Narraſti mihi*. Male peroraſti; nihil ad rem dixiſti.

Perdita. Per tuam imprudentiam, inſcitiam, &c.

4. Plus debes mihi ob amiſſam cauſam: erubui enim mentiri, id quod hominis probi fuit. Vel, erubui & irriſus ſum ob cauſam malam male peroratam, quæ bene defendi, & jure non poterat.

Rara

XVIII.

Rara amicitia.

1. Sic tua, Cirini, promas epigrammata vulgo;
2. Ut mecum possis, vel prior ipse, legi.
3. Sed tibi tantus inest veteris respectus amici.
4. Charior ut mea sit, quam tua fama, tibi:
5. Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
6. Pindaricos posset cum superare modos:
7. Et Vario cessit Romani laude cothurni,
8. Cum posset tragico fortius ore loqui.
9. Aurum, & opes, & rura frequens donabit amicus,
10. Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Vers. 1. 2. Cirinius amicus Martialis, idemque poeta bonus, ne amico noceret, sua in vulgus edere carmina fugiebat. Utinam, inquit vates, promas, pervulgare velis tua epigrammata; faxint Superi, ut meis exæquentur; vel etiam præferantur. Legitur in codicibus nonnullis. *Si tua &c. vel mecum possit &c.* hoc sensu. Si edere cogitas tuos libros, opto, ut eadem fama, & favore vulgi legantur atque mei, vel etiam majore.

3. Sed ita me, veterem amicum, observas, & colis. ∴ 5. 6. 7. 8. Sic Virgilius non scripsit odas, quamvis Horatium, & Pindarum superare posset: non tragœdias, licet Varium poetam tragicum posset vincere.

Calabri. Erat Horatius Venusinus; & Venusia urbs est in Apuliæ finibus, & Lucaniæ, prope Calabriam.

6. *Pindaricos.* Fuit Pindarus poeta Græcus Thebanus, Lyricorum facile princeps, floruit annis ante Christum 440. Vide Oden Horatii primam, libro IV.

7. *Cothurni.* Pagin. 151. De Vario, vide Horat. lib. 1.

XIX.

Paupertas simulata.

1. Pauper videri Cinna vult, & est pauper.

Vers. 1. Ita se gerit Cinna quasi opes dissimulet, ac sit revera dives: incedit pannosus, pauperem se esse simulat; vere est pauper, opes nullas habet. Cave ne tibi hominis modestia, & simulatio imponat.

XX.

Versus extemporales.

1. Cum facias versus nulla non luce ducentos,
2. Vara, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

Vers. 2. *Non sapis*. Qui carmina recitare nolis, ac versus ineptos tam multos scribas. *Sapis*, qui mala te aliis merito deridendum præbere.

XXI.

Cæsaris in urbe adventus.

1. Phosphore, redde diem, quid gaudia nostra moraris?
2. Cæsare venturo, Phosphore, redde diem:
3. Roma rogat, placidi numquid te pigra Bootæ
4. Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?
5. Ledæo poteras abducere Cyllaron astro;
6. Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
7. Quid cupidũ Titana teneis? jam Xanthus, & Æthon
8. Frema volunt: vigilat Memnonis alma parens,
9. Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci,
10. Et cupit Ausonium Luna videre Ducem.
11. Jam, Cæsar, vel nocte veni: stent astra licebit,
12. Non deerit populo, te veniente, dies.

V. 1. *Phosphore*. Ita vocatur græco nomine stella Veneris, cum solem orientem antecedit; φωσφόρος: latine Luciser: φῶς lumen, φέρω, fero. Eadem stella cum solem sequitur occidentem, & sero lucet, vocatur Hesperus: a voce græca ἑσπέρα, vespera. Circa solem enim vertitur, & cum sole circa terram.

3. *Bootæ*. Bootes, qui latine Bubulcus dicitur, sidus est Maiorem Arctòn, sive Ursam sequens, quæ ursa ob septem stellas ita dispositas, ut tres priores temonem, quatuor aliæ rotas, & currum imitentur, Plaustrum, appellatur, quod plaustrum iste Bootes videtur agitare. Piger appellatur, quia brevissimũ circulum conficit, quippe polo vicinus. V. l. 4. Ep 3. 5. Phosphore, poteras, ut citius diem veheres, ac venires ipse, eripere Castori suum equum Cyllarum, libenter hunc tibi concessisset.

Ledo astro. Castor, & Pollux Ledæ filii fuerunt. Castor eques, & bellicæ rei peritus.

Pol-

Pollux pugil, & in palæstra versatus. Vide Lib. 5. Epigr. 38. Ambo in sidera sunt relati, & *Gemini* apud astrologos nuncupantur.

7. Quid solem properantem retardas? *Xanthus*, *Æton*. Solis equi. Ovid. 2. Metamorph.

8. *Memnonis parens*. Aurora. Illa jam e lecto se proripuit, ac surrexit.

9. Sed astra tamen nocturna soli recusant cedere.

11. *Stent*. Perseveret nox cum suis astris, absitque cum sole dies. Discedere dicuntur sidera, cum obscurantur prodeunt sole.

12. Solis vicem, & locum obtinebis. Diem solus, instat solis facies.

XXII.

Cœna mendax.

1. Invitas ad aprum, ponis mihi, Gallice, porcum:
2. Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

Vers. 1. *Ponis*. Apponis epulandum.

2. *Hybrida*. Ita vocatur, qui a parentibus diversæ conditionis, aut nationis ortus est: ut si quis e patre Græco, Romana matre sit editus; e servo & libera. Si mihi das verba, inquit Martialis, si putas me aprum a porco non internoscere, non distinguere, hybrida sum tuo judicio, ac tam stolidus, quam si essem vere animal e porco, & apro conflatum. Vel: homo sum minime ingeniosus, ac Romani leporis parum gnarus, quales vulgo hybridæ sunt. Sane Bilbilitanus Martialis erat, idemq; ob diuturnam in urbe Roma moram, & jus civitatis, quo donatus fuerat, Romanus dici poterat, unde hybrida forte per jocum appellatus fuerit, quasi e Bilbilitano, & Romano mistus.

XXIII.

Coquus vapulans.

1. Esse tibi videor sævus, nimiumque gulosus,
2. Qui propter cœnam, Rustice, cæde cocum?
3. Si levis ista tibi flagrorum causa videtur,
4. Ex quavis causa vapulet ergo cocus?

Vers. 2. *Cœnam*. Negligentius videlicet apparatam.

4. Quid gravius a coco, & plagis dignius peccari potest?

XXIV.

Vis precum.

1. Si quid forte petam timido gracilique libello,
2. Improba non fuerit si mea charta: dato.

3. Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari:
4. Offendunt nunquam thura precesque Jovem.
5. Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
6. Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

Vers. 2. Si ego magna non peto: si non impudenter, & importune.

Dato Annue, da quod peto.

5. *Fingit*. Componit, conflat.

6. Ego igitur te Deum facio, & puto, cum peto. Luculenta ratio cur debeam impetrare.

XXV.

Parum urbanus.

1. Vidisti semel, Oppiane, tantum
2. Ægrum me male: sæpe te videbo.

V. 1. Me ægrotantem invisisti tantum semel: ego te non semel at sæpe invisam: ero humanior, quam tu, & urbanior. Innuit, ac videtur spernare Oppianum sæpe ægrotaturum, quem videlicet sæpe talem sit visurus, qualem se tum fuisse dicit, cum ab Oppiano neglectus est.

XXVI.

Domitianum Baccho anteponit.

1. Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis
2. Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo,
3. Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres:
4. Delicias potuit nec numerare suas.
5. Vicit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos,
6. Et victoris opes divitiasque Dei.
7. Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,
8. Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Vers. 1. 2. Non tot tigres timet venator, cum tigridis catulos rapit in silvis orientis prope Gangem, & equo admisso fugit, præ timore pallidus. In Hyrcania (pag. 15.) equi erant velocissimi.

Eois. Orienti: ἠὼς, ἠῶς, aurora.

3. *Germanice*. Ita vocari amabat Domitianus ob relatas de Germanis victorias.

4. *Delicias*. Feras ad spectaculum, & voluptatem in arenam productas.

5. Bacchum de vicinis mari Erythræo (p. 257.) populis triumphantem vicisti illis spectaculis, hac multitudine tigrium, quas in tua arena

na exhibuisti. De voce *arena* consule pag. 10.

Indos. India Orientem spectans, de qua hic agitur, habet ad ortum Sinense regnum; ad septentrionem, Tartariâ: ad occasum, Persidem: ad meridiem, Oceanum Indicum. Ejus fluvii præcipui sunt Indus, & Ganges.

7. *Sub curribus.* Moris erat captivos curru victoris alligatos in triumpho ducere.

8. *Gemina.* Quæ traheret ejus currum. Tu innumeras exhibuisti.

XXVII.

Dona lethifera.

1. Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,
2. Si sapis, & sentis, hic tibi ait, morere.

XXVIII.

Lacernam argute poscit.

1. Die toga, facundi gratum mihi munus amici
2. Esse velis cujus fama decusque gregis?
4. Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
4. Qua saturat Calabris culta Galæsus aquis?
5. An Tarteſſiacus ſtabuli nutritor Iberi
6. Bœtis in Heſperia te quoque lavit aqua?
7. An tua multifidum numeravit lana Timavum,
8. Quem pius aſtrifero Cyllarus ore bibit?
9. Te nec Amycleo decuit livere veneno;
10. Nec Miletus erat vellere digna tuo.
11. Lilia tu vincis, nec adhuc dilapſa liguſtra,
12. Et Tiburtino monte quod albet ebur,
13. Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ;
14. Cedet Erythræis eruta gemma vadis.
15. Sed licet hæc primis nivibus ſint æmula dona,
16. Non ſunt Parthenio candidiora ſuo.
17. Non ego prætulerim Babylonis picta ſuperba
18. Texta, Semiramia quæ variantur acu.
19. Non Athamanteo potius me mirer in auro,
20. Æolium dones ſi mihi, Phryxe, pecus,
21. O quantos riſus pariter ſpectata movebit
22. Cum Palatina noſtra lacerna toga!

V. 1. *Amici.* Parthenii, qui erat Domitiani cubicula-

rius, idemque vir doctus & eloquens.

2. Dic qua tandem e lana confecta fueris, & cui pecudi, cui gregi tantus honor obtigerit.

3. An te, an lanam tuam, ovem, unde sumpta es, aluerunt herbæ (Pag. 122.) & pascua Tarenti, quam urbem condidit Phalantus, qui vocatur hic Ledæus, ideſt, Lacedæmonius, Leda enim mater Pollucis & Castoris in Laconia regnavit.

4. Ubi Galæsus fluvius, *Galaſo*. (Pag. 122.) e Calabria ortus, irrigat culta, ideſt, agros: arva culta & sata.

5. An Bætis (fluvius Hiſpaniæ Andaluſiam ſecans, *Guadalquivir*,) qui nutrit greges Hiſpanorum, & optimis velleribus veſtit, te ſuis aquis lavit Tarteſſus, vulgo *Tariffa* eſt Hiſpaniæ Bæticæ oppidum. pag. 333.

7. An tua lana verſata eſt in agris Aninis, ubi numeravit oſtia fluvii Timavi, (pag. 192.) qui in oſtia multa finditur, per quæ exonerat ſe in mare? quem olim fluvium Cyllarus bibit, Caſtoris equus, de quo ſupra, Ep. 11. & lib. 4. Ep. 19.

Aſtrifero. Cyllarus in aſtra fuit relatus.

9. Ita colore nativo tuo, & candore nites, ut minus fueris habitura gratiæ, ſi tincta fores Amyclis, aut Mileti: Amyclæ, urbs fuit Laconiæ in Græcia Caſtoris, & Pollucis patria, nunc *Verdon* dicitur, Miletus, nunc *Melaſſo*, urbs Joniæ, non procul Smyrna; in ora maris Ægæi: ſuis velleribus & infectoribus nobilis. Venenum vulgo ponitur pro ſucco & colore adulterino, quo panni inficiuntur.

Livere. Tingi, imbui: proprie ſignificatur hac voce color pallidus & lividus, qualis eſt purpuræ.

11. *Dilapſa*. Nondum marceſcentia, antequam decidant. Sunt liguſtra flores præſtanti candore. De Tiburtino ebore lege Lib. IV. Epig. 50.

13. *Spartanus*. Lacedæmonius, Ledæus; Jupiter Ledam Spartanam adiit mutatus in cycnum, ut fabulæ narrant.

Paphiæ. Paphus eſt urbs in inſula Cypro, *Cypro*, ſacra Veneri, cui ſacræ ſunt etiam columbæ. Eſt autem Cyprus poſita e regione Ciliciæ. De Mari Erythræo vide pag. 257.

15. *Hæc dona*. Iſta toga.

17. *Texta*. Pannos, picturatas veſtes.

18. *Semiramiade*. Babylonica, quia Semiramis, regina Babylonis fuit. Babylonii telas acu eximie pingebant: nec non Phryges; eorum opus Galli vocant *de la broderie*, *pamo ricamato*.

19. Non magis mihi placeam in aureo Phryxi vellere. Pater Phryxi (de quo dictum Lib. VI. Epigram. 2.) fuit Athamas; Athamantis, Æolus: itaque *Æolium* expone, avitum, domeſticum. *Pecus*. Arietem aurei velleris.

21. O quam me ridebunt cives, quando cernent hanc elegantem, & ab aulico palatino (pag. 232.) datam togam, impoſitam vili & tritæ

meæ

meæ lacernæ. Adde novam lacernam, Partheni, ut munus sit omni ex parte perfectum. De Lacerna vide 4. lib. Ep. 2.

XXIX.

Brevis liber.

1. Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere.
2. Quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?

Vers. 2. Nihil prodest singula carmina brevia esse, si multa sint, & librum faciant: perinde est esse pauca epigrammata longiora aut multa breviora in libro: interest, quam sint eleganter & acute scripta.

XXX.

Novus Scævola.

1. Qui nunc Cæsareæ lusus spectatur arenæ,
2. Temporibus Bruti gloria summa fuit.
3. Adspicis ut teneat flammas, pœnaque fruatur
4. Fortis, & attonito regnet in igne manus.
5. Ipse sui spectator adest, & nobile dextræ
6. Funus amat, totis pascitur illa sacris.
7. Quod nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
8. Sævior in lassos ire sinistra focos.
9. Scire piget, post tale decus, quid fecerit ante:
10. Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

Vers. 1. 2. Quod spectaculum, & fortitudinis specimen, quasi per ludum exhibetur nunc in amphitheatro Domitiani; illud tempore Bruti rarum & admirabile videbatur. Reo cuipiam ob scelus damnato hæc imposita pœna fuerat, ut in amphitheatro, exemplo Mucii Scævolæ, dextram foculo injiceret. Hujus constantiam Martialis laudat.

2. *Bruti*. Primi Romanorum post exactos reges consulis, quo tempore Mucius Scævola Porsenæ castra petit. Vide Lib. I. Ep. 22.

3. *Teneat*. Quasi stupentes detineat: vel, flammas totas occupet, iis se immergens, non eas strictim tantum ac leviter attingens.

Fruatur. Laudem ac voluptatem e dolore & cruciatu suo capiat.

4. *Attonito*. Quasi mirant hominis fortitudinem.

5. Otiosus, velut aliena rei, & periculi spectator, se, dum exuritur, aspicit.

6. Totis, &c. Ejus manus crudeli isto sacrificio sponte pascitur, tota illo absumitur.

8. 9. Si non fuisse subducta igni dextera velut invita, sinistra ipsa manus parabat se eumdem in ignem jam lassum, jam emortuum, & exurenda dextra prope consumptum, conjicere.

10. Post egregium istud facinus, non quæro, quid ille vir antea fecerit: ex hac una quam video, quam tam fortiter exurit, manu, conjicio insigni fortitudine præditum esse, & nihil vulgare ab eo factum unquam fuisse.

XXXI.

Jus quatuor liberorum.

1. Nescio quid de te non belle, Dento, fateris,
2. Conjuge qui ducta jura paterna petis.
3. Sed jam supplicibus Dominum lassare libellis
4. Desine, & in patriam serus ab urbe redi.
5. Nam dum tu longe deserta uxore, diuque
6. Tres quæris natos, quatuor invenies.

Vers. 1. *Nescio quid*. Te v. g. esse libidinosum, sterilem, &c. aut tuam uxorem: Tibi cum ea non convenire. De jure trium liberorum vide pag. 140.

3. *Dominum*. Imperatorem. *Libellis*. Quibus petis jus trium liberorum.

4. *Serus*. Tua enim longior absentia dabit uxori occasionem flagitii.

6. Tres quæris natos: Dum fingis te haberes tres natos, & quæris quomodo id persuadeas. Dum jus trium liberorum postulas, quasi eos haberes.

Quatuor. Nempe ex adulterio uxoris, te absente, susceptos.

XXXII.

Columba auspicata.

1. Aera per tacitum delapsa, sedentis in ipsos
2. Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
3. Luserat hoc casus, nisi inobservata maneret,
4. Permissaque diu nollet abire fuga.
5. Si meliora piæ fas est sperare sorori,
6. Et dominum mundi flectere vota valent;
7. Hæc a Sardois tibi forsitan exulis oris,
8. Fratre reversuro, nuncia venit avis.

Vers. 2.

Vers. 2. *Aretullæ*. Illius frater exulabat in Sardinia: cujus reditum bene ominatur vates, ex eo quod columba in sororis sinum devolans in illo sponte cosederit.

3. Hoc mero casu factum videri poterat, nisi quod avis, cum avolare sineretur, & nemo eam observaret, in Aretullæ gremio remanserit.

6. *Dominum mundi*, Domitianum.

7. *Sardois oris*. E Sardinia, quæ insula prope Corsicam est. *La Sardaigne*, *Sardegna*.

8. *Nuncia*. Veteres utebantur columbis ad nuncios in loca dissita, in urbes obsessas, perferendos, idque etiam nunc usurpatur in Syria.

XXXIII.

Nihil, quam parum, dare præstat.

1. De Prætoritia folium mihi, Paulle, corona
2. Mittis, & hoc phialæ nomen habere jubes.
3. Hac fuerat nuper nebula tibi pegma peruncta,
4. Pallida quam rubri diluit unda croci.
5. An magis astuti derasa est ungue ministri
6. Bractea, de fulcro quam reor esse tuo?
7. Illa potest culicem longe sentire volantem,
8. Et minimi penna papilionis agi.
9. Exiguę volitat suspensa vapore lucernæ,
10. Et leviter fuso rumpitur icta mero.
11. Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis,
12. Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.
13. Lenta minus gracili crescunt colocasia filo:
14. Plena magis nimio lilia sole cadunt.
15. Nec vaga tam tenui discurrit aranea tela:
16. Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
17. Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ:
18. Crassior offensæ bulla tumescit aquę:
19. Fortior, & tortos servat vesica capillos,
20. Et mutat Latias spuma Batava comas.
21. Hac cute Ledęo vestitur pullus in ovo:
22. Talia lunata splenia fronte sedent.
23. Quid tibi cum phiala, ligulâ cum mittere posses?
24. Mittere cum posses vel cochleare mihi?
25. Magna nimis loquimur, cochleam cum mittere posses;

26. Denique cum posses mittere, Paulle, nihil.

Vers. 1. 2. Mittis mihi phialam argenteam, ex argenti lamina tam subtili, ac delicata confectam, ut videatur esse bracteola, ex qua factum fuerit folium coronæ alicujus, victori datæ a Prætore ludos edente.

3. Similibus laminis, & argenteis ramentis, quæ instar nebulæ difflantur, perunxisti, & inaurasti nuper in spectaculis pegma; ita ut, aqua crocea in pegma paulo post fusa, totum illud argentum tuum, instar nebulæ, evanuerit ac dissipatum fuerit. De Pegmatibus, de croco, & odoratis illis nimbis, vide librum Spect. Epig. 2. 3.

4. *Pallida*. Crocus est flavi coloris.

5. An potius hæc phiala confecta est ex aliqua bractea, quam puto fulcro tui lecti olim appositam fuisse, & a servulo dereptam, denique in morem phialæ formatum esse? Pedes lectulorum seu fulcra, aureis ornari bracteolis solebant. In editione Aldina priore sic extat ille versiculus. *Bractea de fulcro (quod rear esse) tuo?*

7. 8. 9. 10. Hanc phialam tuam culex volans everret: abripiet papilio: lucernæ fumus attollet: ac si leviter in eam vinum fuderis, frangetur.

11. Caryotæ (sunt palmarum fructus) ejusmodi laminis auri, tunicisque obducuntur, quando Kalendis Januarii feruntur patronis cum exigua pecunia. Ineunte Januario dabant clientes sua munera, eaque cum ornatu aliquo; v. g. inauratos fructus, minio pictos, aut bracteolis aureis levissimis, quas appellat vates sputum, tectos: non enim purum illud erat aurum, sed glutine, & visco mistum, &c. vel etiam admota saliva inductum, & oblitum. *Sordidus*. Pauper, incultus, pannosus.

13. Colocasia non tam graciles habent fibras; liliorum folia nimio sole exsiccata cum decidunt, pleniora, & crassiora sunt. Colocasia, colocasiæ, vel colocasium, colocasii, est faba Ægyptia, cujus siliquæ, sive folliculi, quibus fabæ involvuntur, tenuissimis fibris constringuntur.

17. Fucus, sive cerussa, (candidum pigmentum, unde hic vocatur creta) est crassior cum fronti Fabullæ apponitur: crassior ea bulla, quæ in aqua offensa, ideat, percussa, intumescit, quam tua phiala.

19. *Vesica*. Reticulum, instar vesicæ factum, comam colligens. *Tortos*. Cincinnatos, crispatos.

20. Et crassior illa spuma, sive unguentum apud Batavos usitatum, quo latinæ feminæ comas mutant, ideat, adulterino colore pingunt, rufant.

21. Crassior est tenuis pellicula, qua involvitur ovum cygneum. Post putamen extimum, est in ovis membra-

na

na quædam delicatiſſima. De Jove in cycnum mutato cum ad Ledam adiit, antea dictum.

22. *Splenia*. De illis ſuſe dixi Lib 2. Ep. 26. *Lunata*. Quia hæc ſplenia ita diſponebantur, ut a geminis temporibus ad ſummam frontem ducta, lunam creſcentem imitarentur.

23. Cur ad me mittis phialam, cum poſſis ligulam mittere? hæc mihi eſt utilior, licet videatur eſſe vilioris quam phiala pretii. Ligula quid eſſet, dixi Lib. 5. Ep. 18.

24. *Cochleare*. Vaſis genus quoddam eſt. Sic dictum a cochleæ ſimilitudine.

25. *Cochleam*. Limacis teſta eſt. Sic belle per gradationem ridiculam concludit.

XXXIV.

Vaſa archetypa.

1. Archetypum Myos argentum te dicis habere:
2. Quod ſine te factum eſt, hoc magis archetypum eſt.

Verſ. 1. Jactas te habere vaſa vetera, quæ Mys cælaverit, (erat ille vetus artifex, & ſculptor eximius:) ſed illa tu ipſe feciſti, ſeu facienda curaviſti, quæ proinde recentia ſunt, quamvis a te obtrudantur, & oſtententur pro vetuſtis. Ego illa puto archetypa, quæ ſine re ſunt facta, quæ, antequam ea vel haberes, vel facienda curares, extiterunt. De Archetypis poculis conſule ſupra, Epig. 6. & Lib. 7. Epig. 11.

XXXV.

In conjuges diſcordes.

1. Cum ſitis ſimiles pareſque vita
2. Uxor peſſima, peſſimus maritus:
3. Miror non bene convenire vobis.

Verſ. 3. *Non bene vobis convenire*. Quod vobis non conveniat, quod concordes non ſitis.

XXXVI.

Domus domino minor.

1. Regia pyramidum, Cæſar, miracula ride:
2. Jam tacet Eoum barbara Memphis opus.
3. Pars quota Parraſiæ labor eſt Mareoticus aulæ?
4. Clarius in toto nil videt orbe dies.

5. Se-

5. Septenos pariter credas assurgere montes:
6. Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
7. Æthera sic intrat, nitidis ut conditus astris
8. Inferiore tonet nube serenus apex:
9. Et prius arcano satietur lumine Phœbi,
10. Nascentis Circe quam videt ora patris.
11. Hæc, Auguste, tamen quæ vertice sidera pulsat,
12. Par domus est cœlo: sed minor est domino.

Vers. 1. *Ride*. Contemnas licet, potes jam spernere. De Pyramidibus, & Memphi, vide lib. Spectac. Ep. 1.

Eoum. Ægyptium. Vide supra, Ep. 26. Ægyptus spectat orientem, ut Roma occidentem.

2. Ille Ægyptius labor, subструctiones insanæ pyramidum, quantula sunt pars domus imperatoriæ? De voce *Parrhasius*, ut hic sumitur. Vid. Lib. VII. Ep. 48. Mareotis, est palus, sive lacus, in Ægypto, prope Alexandriam: *Lago di Buchiara*. Fit etiam ejusdem Ægypti regio, vini optimi ferax.

5. 6. Cum cernis excelsitatem, & altitudinem illius domus, dicas septem ipsos Romæ montes alios aliis fuisse impositos: certe inferior, ac humilior Ossa mons erat, impositus Pelio a Gigantibus. Ossa, Pelium, sunt montes Thessaliæ in Græcia.

7. 8. Sic altum caput inter nubila domus illa condit, ut ejus apex semper serenus sit, & supra tempestates erectus *tonet*, ideſt, audiat tonantes nubes inferius positas.

9. 10. Et idem apex palatii prius abunde fruatur sole arcano, ideſt, uni illi domui viso, reliquis orbis partibus ignoto; quam eumdem solem videat mons Circæus. De illo monte consule pag. 229. *Patris*. Circe fuit solis filia: hæ isti monti, & urbi vicinæ, nomen dedit.

XXXVII.

Male liberalis.

1. Quod Cajetano reddis, Polycarme, tabellas
2. Millia te centum num tribuisse putas?
3. Debuit, hæc, inquis: tibi habe, Polycarme, tabellas:
4. Et Cajetano millia crede duo.

Vers. 1. &c. *Quod &c.* Polycarmus dederat Cajetano cui-

cuidam, seu crediderat centum millia sestertiorum, sive 100. sestertia, Francicos nummos 10000. cum cerneret illum solvendo non esse, ac famam liberalitatis captare vellet, finxit se illi dare ultro, & tabellas seu syngrapham, in qua se accepisse hanc pecuniam, & debere Cajetanus profitebatur, eidem remisit. Num ideirco liberalem putas, o Polycarme? inquit vates. Non es. At mihi debebat, inquis, hanc summam Cajetanus. Omnino, sed solvere tantam summam non poterat. Si vis esse liberalis, serva sane tabellas tuas, sed millia duntaxat duo, crede eidem isti Cajetano, & mutuo da, quam ille, summam leviorem possit reddere cum erit commodum; quam tu non acerbe repetas, imo dones fortasse, quamvis habeas penes te tabellas quibus eum possis cogere ad solvendum. Tunc enim vere te liberalem putabo.

XXXVIII.

Vera liberalitas.

1. Qui præstat pietate pertinaci
2. Sensuro bona libertatis,
3. Captet forsitan, aut vicem reposcat.
4. At si quis dare nomini relicto
5. Post Manes tumulumque perseverat,
6. Quærit quid nisi parcius dolere?
7. Refert sis bonus, an velis videri.
8. Præstas hoc, Melior, sciente fama:
9. Qui solemnibus anxius sepulti
10. Nomen non sinis interire Blæsi;
11. Et de munifica profusus arca
12. Ad natalitium diem colendum;
13. Scribarum memori piæque turbæ
14. Quod donas, facis ipse Blæsianum.
15. Hoc longum tibi, vita dum manebit:
16. Hoc & post cineres erit tributum.

Vers. 2. *&c.* Qui præstat, idest, beneficium dat; ei qui sensum est habiturus liberalitatis, & gratiam parem redditurus; eum non immerito putes captare, idest, munere dato aliud munus, beneficio beneficium emere, ac vicem quodammodo reposcere: at si quis det aliquid nomini relicto, idest, homini demortuo, cujus memoria, & nomen pro-

prope jam obliteratum est, ac sepultum, is quid aliud spectat, nisi ut suum dolorem de amici morte, faciat ista liberalitate, & pietate leviorem? *Pertinaci*. Constanti, assidua. *Præstat*. Pag. 213.

7. Hæc vera liberalitas est, qua quis non videri vult, sed esse liberalis, ac bonus, quod multum ad veræ virtutis gloriam refert.

8. 9. *&c.* Hoc tu facis, o Melior, (Romanus civis de quo antea) neque id fama tacet: nam sollicitus de amico tuo Blæso solemnibus sacris colendo, ejus sepulti memoriam perire non sinis, sed instauras eam, celebrasque illius natalem diem, ac festum quoddam Blæsianum facis: facis autem donando toti scribarum collegio munera, in Blesi honorem.

15. Hæc veræ liberalitatis gloria erit instar tributi, quod ex tua munificentia, & vivus, & mortuus colliges.

XXXIX.

Domitiani domus, & epula.

1. Qui Palatinæ caperet convivia mensæ,
2. Ambrosiasque dapes, non erat ante locus
3. Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
4. Et Ganymedea pocula mista manu.
5. Esse velis, oro, serus conviva Tonantis.
6. At tu si properas Jupiter, ipse veni.

Vers. 1. Antequam domum magnificam Cæsar ædificasset (de qua vide Epig. 36. hujus Libri, & 48. Lib. 7.) non erat locus ullus satis amplus, in quo epulari commode posset. Ambrosia, Deorum est cibus; nectar vero, potus. ἀμβρόσιος immortalis.

Palatinæ mensæ. Imperatoriæ *Germanicæ*. Supra, Ep. 36.

4. Ganymedes Jovis pincerna fuit. Pag. 33.

5. 6. Cœnare apud Jovem, usitata locutione r idem erat ac mori. Diu nobiscum igitur vive, Cæsar; potes hic usurpare convivia nihilo cœlestibus deteriora. Quod si tu, o Jupiter, properas ambisque habere Domitianum convivam, venias ipse in hanc ejus domum potius, quam ille in tuam migrare festinet.

XL.

Ad Priapum.

1. Non horti, neque palmitis beati,
2. Sed rari nemoris, Priape, custos.

3. Ex

3. Ex quo natus es, & potes renasci,
4. Furaces, moneo, manus repellas,
5. Et silvam domini focis reserves.
6. Si defecerit hæc, & ipse lignum es.

Vers. 1. *&c.* Palmes est ramus vitis: hic vinea intelligitur tota. Ordo sententiæ est. O Priape, qui es custos, non horti, &c. sed nemoris, quo ex nemore es factus, & ex quo fieri ac nasci iterum potes: nempe erat lignea statua, quæ si periret, similis alia, ex nemoris arbore fieri poterat.

4. Moneo te, ut fures arceas ab hoc nemore. De Priapo vide Lib. 6. Ep. 49.

5. *Reserves.* Serves silvam, unde focum accendam meum.

6. Ni facias, si nemus defecerit, si succisum a furibus fuerit, tu ipse servies foco accendendo, ligneum numen.

XLI.

Cur sit tristis.

1. Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
2. Quæ medio brumæ mittere mense solet.
3. An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo:
4. Me certe tristem fecit Athenagoras.

Vers. 2. Saturnalibus, quæ Decembri celebrabantur.

2. Nescio an sit tam tristis, quam se esse simulat: ego certe sum tristis, quod nihil acceperim.

Tristis. Fingebat fortasse Athenagoras se tristem, & iratum esse, ut nihil daret.

XLII.

Suas Mathoni Balneas offert.

1. Si te sportula major ad beatos
2. Non corruperit, ut solet: licebit
3. De nostro, Matho, centies laveris.

V. 1. 2. Si majoris sportulæ spes ad captandas beatorum, idest, lautorum & divitum cœnas, atque adeo balneas eorum usurpandas, te non pellexerit, oblitum priscæ frugalitatis, & modestiæ; ut fieri assolet. *Sportula*, p. 64.

3. *De nostro.* Subaudi, sumptu, vel balneo. Fas tibi erit lavari domi meæ, nullo impendio, summa libertate, centies, millies, si libuerit: quæ libertas divitum cœnis & balneis, meo judicio, anteponenda est.

Con-

XLIII.

Conjuges dares.

1. Effert uxores Fabius, Chreſtilla maritos;
2. Funereamque toris quaſſat uterque facem.
3. Victores committe Venus: quos iſte manebit
4. Exitus, una duos ut Libitina ferat.

*Verſ.*1. *Effert.* Nempe ad rogum. Sepelit, enecat Fabius quaſcumque ducit uxores; Chreſtilla, viros quibus nubit.

2. Et in genialibus toris, pro nuptiali face, funeream facem, quaſſat. Præferebantur tædæ & nubentibus, & morituris: illis, ornatæ ramis virentibus, floribus, lemniſcis, &c. his, atratæ, nudæ, &c. Item in nuptiis ſternebatur in aula, ſive atrio domus lectus ornatior, qui genialis vocabatur.

3. *Committe.* Compone illos, o Venus, & matrimonio utrumque junge. Digna eſt uxor talis hoc marito, talis vir hac conjuge. Olim gladiatores *committi* & *componi* dicebantur, qui inter ſe erant digladiaturi. *Victores.* Qui tot jam homines interfecere. *Quos &c.* Nempe idem illis accidet, quod ſæpe gladiatoribus fortiſſimis evenit, ut cum diu depugnaverint, alter alterum interimat. Sic una Libertina, ideſt, eadem mors, idem feretrum, Fabium & Chreſtillam tollet.

4. *Libitina.* Erat funerum præſes Dea: in ejus templo vendebatur neceſſaria funeri ſuppelex: pro morte vulgo ponitur. Teſtatur S. Hieronymus ſe Romæ vidiſſe maritum, qui viginti uxores ſepeliverat, uxorem vero, quæ viros viginti duos: ambo demum matrimonio junctos, & uxorem a marito ſepultam. Vide infra, Lib. IX. Epigr. 12.

XLIV.

Vivendum.

1. Titulle, moneo, vive ſemper: hoc ſerum eſt;
2. Sub pædagogo ceperis licet, ſerum eſt.
3. At tu, miſer Titulle, nec ſenex vivis:
4. Sed omne limen conteris ſalutator,
5. Et mane ſudas urbis oſculis udus,
6. Foroque triplici ſparſus ante equos omnes;
7. Ædemque Martis, & Coloſſon Auguſti,
8. Curris per omnes tertiaſque, quinctaſque.
9. Rape, congere, aufer, poſſide: relinquendum eſt.

10. Su-

10. Superba denſis arca palleat nummis;
11. Centum explicantur paginæ Kalendarum:
12. Jurabit hæres te nihil reliquiſſe.

Verſ. 2. Licet a puero, cum eſſes in pædagogi diſciplina, vivere, ideſt, genio indulgere cœperis, ſerum tamen eſt.

5. *Oſculis*. Cum alii aliis occurrebant, inter ſe oſculabantur. Tu igitur tot oſcula civium ſalutantium, ac totius pene urbis, excipis, ut genæ tuæ ac ora ſint humida.

6. *Foro triplici*. Pag. 30.

Sparſus. Anxie circumcurſans. *Equos omnes*. Statuas omnes equeſtres, quæ ſunt in foro veteri.

7. *Coloſſon*. Pag. 5. Ante Auguſti ſtatuam ingentem, quæ eſt in ipſius Auguſti foro.

8. *Tertias, &c.* Subaudi, decurias judicum, quas adis, ut litiges, vel ſalutes. Erant olim decuriæ judicum (curias ſive cubicula Galli vocant) tantum tres: Auguſtus adiecit quartam, quintam Caligula. Quidam hoc de horis tertia, quinta, &c. interpretantur.

9. Rapias licet, congeras opes, auferas ab omnibus, poſſideas omnia; tamen omnia ſunt aliquando, cum morieris, relinquenda.

10. *Palleat*. Auro ſit refertа. Color auri eſt pallidus.

11. *Paginæ*. Centum tabulæ, & ſyngraphæ plurium debitorum. Debitores ſolebant ſingulis Kalendis, ideſt, prima cujuſque menſis die, debita ſolvere. *Kalendarum*. Pag. 216.

12. Etſi parce ac duriter vixeris, quo tuum hæredem opulentes: ille tamen adhuc de te conqueretur, etſi immerito; dicet nihil ſibi a te relictum fuiſſe: fac ut jure hoc dicat, nihil revera illi relinque, fuere, vive.

XLV.

Pro amicorum felici reditu.

1. Priſcus ab Ætnæis mihi, Flacce, Terentius oris
2. Redditur; hanc lucem lactea gemma notet.
3. Defluat, & lento ſplendeſcat turbida limo
4. Amphora centeno conſule facta minor.
5. Continget nox quando meis tam candida menſis?
6. Tam juſto dabitur quando calere mero?
7. Cum te, Flacce, mihi reddet Cythereya Cypros,
8. Luxuriæ fiet tam bona cauſa meæ.

Verſ. 1. *Ætnæis*. Siculis. Ætna mons Siciliæ. pag. 351.

2. *Lactea*. Candida. Thraces notabant fauſtos dies lapillo

pillo candido in ciſtam conjecto: infauſtos, nigro: tum numeratis utriuſque, tot ſe diebus duntaxat vixiſſe, quot erant notæ candidæ, cenſebant.

3. 4. Amphora, in qua vinum ante centum Conſules, ideſt, annos (ſingulis enim annis conſules novi creabantur) fuit conditum, & quod ipſa vetuſtate pauliſper decrevit (vinum vetuſtate denſatur ac minuitur) nunc fluat, & vina promat; quæ per linum, ſeu colum lente tranſmiſſa, & purgata, ſplendidiora fiant, ac puriora. De lino, & ſacco per quem vina percolantur, vide plura Lib. XIV.

5. Quando ego iſtas epulas proferam in multam noctem? nempe id jure fiet, cum tu ipſe, o Flacce, reverteris ex inſula Cypro Veneri ſacra? tunc juſta, & bona erit cauſa iſtius meæ luxuriæ, ideſt, comeſſationis. Venus vocatur Cytherea, ab Cytheris, *Cerigo*, inſula, ubi præcipue colebatur.

XLVI.

Homo multiceps.

1. Pars maxillarum tonſa eſt tibi, pars tibi raſa eſt;
2. Pars vulſa eſt: unum quis putet eſſe caput?

Verſ. 1. Objurgat hominem delicatum, qui comæ & barbæ partem attonderet, partem raderet, partem velleret: negat illi eſſe unum, & conſtans caput, ſed varium & mutabile.

XLII.

In furem.

1. Neſcit cui dederit Tyriam Criſpinus abollam,
2. Dum mutat cultus, induiturque togam.
3. Quiſquis habes, humeris ſua munera redde, precamur;
4. Non hoc Criſpinus te, ſed abolla rogat.
5. Non quicumque capit ſaturatas murice veſtes;
6. Nec niſi deliciis convenit iſte color.
7. Si te præda juvat fœdique inſania lucri,
8. Qua poſſis melius fallere, ſume togam.

Verſ. 2. *Cultus*. Veſtes, ornatum corporis. Abolla genus veſtis: vide lib. 4. Ep. 41.

4. *Sed abolla*. Quæ furem prodet, tibique non convenit: quæ ſe tuam non eſſe clamat.

5. Non cujuſvis eſt capere & geſtare veſtem purpuream, hæc omnibus non congruit.

6. *Deliciis*. Delicatis hominibus

minibus oſtentatoribus.

8. Furare Criſpino togam: hac melius latebis. Erant cives omnes vulgo togati. Forte innuit, Criſpini detritam fuiſſe togam, pexam abollam, quam ille oſtentaret, veſte dives; re pauper.

XLVIII.

Epulum datum populo.

1. Quanta Gigantei memoratur menſa triumphi,
2. Quantaque nox Superis omnibus illa fuit;
3. Qua bonus accubuit genitor cum plebe Deorum,
4. Et licuit Faunis poſcere vina Jovem:
5. Tanta tuas, Cæſar, celebrant convivia laurus;
6. Exhilarant ipſos gaudia noſtra Deos.
7. Veſcitur omnis eques tecum, populuſq; patreſq;
8. Et capit ambroſias cum duce Roma dapes.
9. Grandia pollicitus, quanto majora dediſti!
10. Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

Verſ. 1. Quam fuit illa cœna magnifica, qua poſt reportatu de Gigantibus triumphum, Jupiter Deos accepit.

4. *Faunis*. Diis agreſtibus, & in cœlo cum Jove accumbere non ſolitis.

5. Tantum eſt illud convivium, quo tua laurus, tua de Sarmatis victoria celebrata eſt, ornataque.

6. Ipſi Superi videntur in partem lætitiæ venire.

8. *Ambroſias*. Vide Ep. 39, ſupra. *Duce*. Domitiano.

9. Sperabamus a te datum iri ſportulam duntaxat, & nummorum aliquid: tu vero nos ad menſam tuam, tuo juſſu inſtructam, accumbere juſſiſti. *Sportula*. Pag. 64. *Recta*. Cœna recta, Pag. 131.

XLIX.

Laus phialæ ab amico miſſæ.

1. Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis:
2. Mentoris hæc manus eſt, an Polyclete tua?
3. Liveſcit nulla caligine fuſca, nec odit
4. Exploratores nubila maſſa focos.
5. Vera minus flavo radiant electra metallo;
6. Et niveum felix puſtula vincit ebur.
7. Materiæ non cedit opus: ſic alligat orbem,
8. Plurima cum tota lampade Luna nitet.
9. Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi

10. Cul-

10. Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.
11. Hunc nec Cinyphius tonsor violaverit, & tu
12. Ipse tua pasci vite Lyæe velis.
13. Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis,
14. Palladius tenero lotos ab ore sonat:
15. Sic Methymneo gavisus Arione delphin
16. Languida non tacitum per freta vexit onus.
17. Imbuat egregium digno mihi nectare munus
18. Non grege de domini, sed tua, Ceste, manus:
19. Ceste, decus mensæ: misce Setina: videtur
20. Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
21. Det numerum cyathis. Instanti littera Rufi:
22. Auctor enim tanti muneris ille mihi.

Vers. 1. Quis artifex in hac cælanda phiala laboravit? Mys, an Myro? Mentor, an Polycletus? Fuerunt illi artifices insignes cælandis poculis.

3. Non est inquinata ullo nævo. Maculæ sunt ferme coloris lividi & fusci.

4. Nec timet ignes, a quibus explorari solet aurum.

5. Electra minus auro isto nitent, minus flava sunt.

6. Felix postula. Aurum istius phialæ expurgatum, & bene coctum vincit purissimum ebur. De auro pustulato dixi Lib. 7. Ep. 70.

7. 8. *Opus.* Signa, emblemata, &c. addita ornandæ materiæ causa. *Sic &c.* Ita concinne & apte luna orbem suum implet in cœlo, cornua quasi alligans, ducensque in circulum, ut eadem in hac phiala? cernitur.

9. 10. Cælatus est caper aureo tectus vellere, & ornatus; a quo Helle, Phryxi soror, mallet fuisse vecta, quam ab ariete, qui Phryxum fratrem, ipsamque tulit. De Phryxo, & aureo vellere, vide Lib. VI. Epigr. 2. Cur Æolium vocetur dixi supra, Epigr. 28. Thebanus hoc in versu appellatur Phryxus, quod Athamas Phryxi pater, Thebarum rex esset.

11. 12. Hunc caprum nunquam tondebit Cinyphius agricola (Vide Lib. VII. Epigr. 78. ubi vox illa *Cinyphius* explicata est) & quamvis Bacchus capros oderit, quia vitem solent arrodere, ideoque illi vulgo immolentur; hunc tamen, etiam suis vitibus ultro pascet, ac vesci impune illis sinet.

13. Huius capri tergo vehitur Cupido, videturque ori admovere lotum. Est lotus, tibia quædam in canendis epithalamiis adhiberi solita, & facta ex loto, quæ arbor nascitur affatim in Africa juxta Tritonem lacum Pala-

Palladi ſacrum. Hinc Palladia fiſtula vocatur.

15. *Sic* Arionem Lesbium vexit olim delphin, ut hic Amorem caper. Methymna, Lesbi inſulæ urbs primaria, patria fuit Arionis, qui cum a nautis in mare dejectus fuiſſet, exceptus eſt a Delphine.

16. *Non tacitum*. Canorum. Arionem ſuaviter canentem.

17. 18. Hanc phialam muneri mihi datam ab inſigni amico, impleat vino generoſo, & patera ipſa digno; non quivis ſervulus, ſed Ceſtus ceteris elegantior.

19. *Setina*. Vina nobiliſſima. Pag. 216.

20. *Puer*. Amor. *Caper*. Quo vehitur amor.

21. Numerum cyathorum definiat nomen Inſtantii Rufi, a quo munus illud, phialam iſtam, accepi; ut toties bibamus, tot hauriamus cyathos, quot ſunt in ejus nomine litteræ: ita mos erat, ut alibi diximus.

L.

Barba expicta.

1. Tonſorem puerum, ſed arte talem
2. Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
3. Druſorum cui contingere barbæ;
4. Æquandas ſemel in genas rogatus,
5. Rufo, Cæditiane, commodavi:
6. Dum juſſus repetit pilos eoſdem
7. Cenſura ſpeculi manum regente,
8. Expingitque cutem, facitque longam
9. Detonſis epaphæreſim capillis;
10. Barbatus mihi tonſor eſt reverſus.

Verſ. 1. *&c.* Nuper ſervum tonſorem meum a Rufo rogatus, ipſi commodavi, ut illi genas æquarer, detracta & detonſa barba: eſt ille tonſor puer ætate, ſed arte adeo peritus ut ſuperet Thalamum Neronis tonſorem, qui Neronis familiæ (illi Druſorum nobile cognomen erat) barbas ſolebat tondere.

6. Dum [tonſor], a Rufo juſſus, pilos eoſdem ſemel, iterum, tertio, tondet, conſulens identidem ſpeculum, quo tonſore utebatur Rufus, ut de ſua barba judicaret: dum cutem expolit, & diuturna, lentaque epaphæreſi, id eſt, detractione, ἐπαφαιρέσει, pilos ſingulos emendat; tandiu moratus eſt, ut qui domo mea imberbis exierat, cum barba reverſus ſit, e puero pœne ſenex.

LI.

Forma, & pudicitia.

1. Formoſiſſima, quæ fuere, vel ſunt,
2. Sed viliſſima quæ fuere, vel ſunt,
3. O quam te fieri, Catulla, vellem
4. Formoſam minus, aut magis pudicam.

Verſ. 1. O Catulla, mulierum omnium, quæ fuere vel ſunt, formoſiſſima, ſed omnium etiam, propter improbitatem, turpiſſima, &c. Pudicitiæ his eſt cum forma.

LII.

Princeps, & populus.

1. Magna licet toties tribuas, majora daturus
2. Dona, ducum victor, victor & ipſe tui:
3. Diligeris populo non propter præmia, Cæſar;
4. Propter te populus præmia, Cæſar, amat.

Verſ. 1. *Magna*. Domitianus populo nummos viritim ter dedit; ſpectacula ſæpe & munera edidit, &c.

2. *Tui*. Qui cupiditates tuas, non minus, quam hoſtes, vicinis. Adulatio fœda.

3. *Præmia*. Munera, ſpectacula, &c.

LIII.

Leo a Domitiano cæſus.

1. Auditur quantum Maſſyla per avia murmur,
2. Innúmero quoties ſylva leone furit:
3. Pallidus attonitos ad Pœna mapalia paſtor
4. Cum revocat tauros, & ſine mente pecus:
5. Tantus in Auſonia fremuit modo terror arena:
6. Quis non eſſe gregem crederet? unus erat.
7. Sed cujus tremerent ipſi quoque jura leones,
8. Cui diadema daret marmore picta Nomas.
9. O quantum per colla decus, quem ſparſit honorem,
10. Aurea lunatæ cum ſtetit unda jubæ!
11. Grandia quam decuit latum venabula pectus,
12. Quantaque de magna gaudia morte tulit!
13. Unde tuis, Libye, tam felix gloria ſylvis?
14. A Cybeles nunquid venerat ille jugis?
15. An

15. An magis Herculeo, Germanice, miſit ab aſtro
16. Hanc tibi vel frater, vel pater ipſe, feram?

Verſ. 1. *Maſſyla*. Libyca. Maſſylia eſt Africæ regio. *Avia*. Loca invia, & deſerta.

2. Quoties multi leones in eadem verſantur ſylva.

3. 4. *Pœna*. Punica, Carthaginenſia. *Mapalia*. Caſas. *Sine mente*. Brutum: pavidum.

8. Cui Nomas, marmore vario & picturato abundans, regnum in reliquos leones daret. Nomas, regio eſt Africæ; ejus incolæ Nomades quoque vocantur.

10. Cum jubam fluctuantem & undantem leo erexit, ita tamen, ut pars jubæ ultima recumberet ac reflecteretur, atque adeo juba inſtar lunæ creſcentis curvaretur.

12. Quam decebat tantam feram Imperatoriis venabulis confici? Quam gaviſus eſt ipſe leo, quod non alicujus beſtiarii, aut gladiatoris manu, ſed tua caderet?

13. 14. Unde iſte leo venerat in Africæ ſilvas? an ab Ida monte Phrygiæ, ubi Cybele colitur, cujus currum trahunt leones?

15. 16. An potius eſt leo ipſe cœleſtis, quem frater tuus Titus, vel pater Veſpaſianus tibi ab aſtris, ubi ſunt nimirum conſecrati, & inter Deos poſt mortem repoſiti, miſerint? De leone quem Hercules interemit, quique cœlo donatus eſt ab aſtrologis & poetis, lege plura pag. 211.

LIV.

Cur poetæ rari.

1. Temporibus noſtris ætas tum cedat avorum,
2. Creverit & major cum duce Roma ſuo:
3. Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
4. Nec quemquam tanta bella ſonare tuba.
5. Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones;
6. Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.
7. Jugera perdiderat miſeræ vicina Cremonæ,
8. Flebat, & abductas Tityrus æger oves:
9. Riſit Tuſcus eques, paupertatemque malignam
10. Reppulit, & celeri juſſit abire fuga.
11. Accipe divitias, & vatum maximus eſto,
12. Tu licet, & noſtrum, dixit, Alexin ames.
13. Adſtabat domini menſis pulcherrimus ille,
14. Marmorea fundens nigra Falerna manu:
15. Excidit attonito pinguis Galatea poetæ,

16. Theſtylis, & rubras meſſibus uſta genas:
17. Protinus Italiam concepit, *& Arma Virumque*,
18. Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.
19. Quid Varos, Marſoſq; loquar, ditataque vatum
20. Nomina, magnus erit quos numerare labor?
21. Ergo ero Virgilius, ſi munera Mæcenatis
22. Des mihi? Virgilius non ero, Marſus ero.

Verſ. 2. *Major*. Quam eſſet olim. *Duce*. Domitiano.

4. *Sonare*. Canere. Neminem verſus tam bonos, tam ſonantes facere.

5. Mæcenas Virgilii, ac doctorum omnium ætatis ſuæ patronus fuit.

9. Ipſi ruſtici evadent Virgilii: ingenio illi non concedent.

7. 8. *&c.* Virgilius agrum habebat, & prædium prope Mantuam: Mantuæ vicina urbs erat Cremona, quæ cum Bruti, & Caſſii partes contra Auguſtum ſecuta fuiſſet, ejus ager veteranis Auguſti militibus diſtributus fuit, cumque eſſet anguſtior, additus eſt ager Mantuanus, atque ita ſuo prædiolo Virgilius ſpoliatus eſt: eam ob rem venit Romam, ubi calamitatem ſuam bucolio carmine deſcripſit ſub Tytiri perſona. (vide primam ejus eclogam) Id carmen cum oblatum fuiſſet Mæcenati, effecit ille, ut ereptus ager Virgilio redderetur; ipſumque Virgilium Auguſto commendavit.

9. *Tuſcus eques*. Mæcenas e Tuſciæ regibus editus, in equeſtri tamen ſemper ordine, præ modeſtia conſtitit. Tuſcia, ſive Hetruria, regio eſt Italiæ, *la Toſcana*.

11. Verba ſunt Mæcenatis ad Virgilium.

12. *Alexin*. Puerum Mæcenati charum, ejuſque pincernam.

14. *Marmorea*. Candida.

15. Virgilius Mæcenatis liberalitate attonitus, ac promiſſis excitatus, oblitus eſt ſuæ Galateæ, ideſt, omiſit eclogas, reliquit carmen bucolicum, & Italiam totam, ac res in ea geſtas, arma, Æneam, concepit mente, ac ore cecinit.

16. *Miſſibus*. Æſtivis ſolibus peruſta, & caloribus.

18. *Culicem*. Culex, Maronis adhuc tironis opuſculum eſt, in quo funus culicis deſcribitur.

19. Varus, Marſus, fuere vates egregii, Virgilii ævo.

Nomina. Quid commemorem poetas opibus auctos?

20. Adeo multi ſunt, ut operoſum ſit eos numerare.

21. 22. Quid igitur, dixerit aliquis, eriſne alter Virgilius, ſi alter tibi Mæcenas contingat? Si Virgilio par non ſum, inquit; ero certe Marſo non impar. Erat ille vates id ætatis non aſpernandus.

Seipſum

L V.

Seipſum ſepeliens.

1. Tres habuit dentes pariter quos expuit omnes,
2. Ad tumulum Picens dum ſedet ipſe ſuum.
3. Collegitque ſinu fragmenta noviſſima laxi
4. Oris, & aggeſta contumulavit humo.
5. Oſſa licet quondam defuncti non legat hęres:
6. Hoc ſibi jam Picens pręſtitit officium.

Verſ. 1. *Picens.* Quidam, natus in agro Piceno. 3. *Fragmenta &c.* Dentes. ultimos, & ſolos. *Laxi* Dentibus vacui. 5. *Non legat.* Oſſa defunctorum, poſt cremata corpora, colligebantur. 6. Jam oſſa ſua, nempe dente, collegit, ac ſepelivit.

L V I.

Artemidori lacerna.

1. Cum tibi tam craſſę ſint, Artemido, lacernæ,
2. Poſſim te Sagarum jure vocare meum.

Verſ. 1. 2. Artemidorus iſte ante Martialem, in Spectaculis, ſtabat, vel ſedebat, ampla & craſſa lacerna indutus ita ut illi ſpectanti officeret. Vocat eum ſagarum. Sagari appellabantur, qui vela ſeu ſaga theatri ſuſpendebant, & adducebant. Tu verus es ſagarus, & tua lacerna omni ſago, & velo craſſior eſt.

L V I I.

In furem luſcum.

1. Adſpicis hunc uno contentum lumine, cujus
2. Lippa ſub attrita fronte lacuna patet:
3. Ne contemne caput; nihil eſt furacius illo:
4. Non fuit Autolyci tam piceata manus.
5. Hunc tu convivam cautus ſervare memento:
6. Tunc furit, atque oculo luſcus utroque videt.
7. Pocula ſolliciti perdunt ligulaſque miniſtri,
8. Et latet in tepido plurima mappa ſinu.
9. Lapſa nec a cubito ſubducere pallia neſcit.
10. Et tectus lænis ſæpe duabus abit:
11. Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
12. Erubuit fallax, ardeat illa licet.

13. Si nihil invaſit, puerum tunc arte doloſa
14. Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

Verſ. 2. *Lippa lucana*. Locus oculi ſtillantis, & fœde excavati.

3. Noli hominem, quaſi minime malum contemnere.

4. *Autolyci*. Autolycus Mercurii, teſte Euſtathio, filius fuit, ac fur parenti æquiparandus.

Piceata. Sic vocantur furum manus, quæ veluti viſcoſæ ſunt, & pice oblitæ, quibus adhæreſcunt omnia.

7. *Ligulas*. Pag. 242.

9. *Accubitu*. Quæ deciderunt convivis accubantibus.

Non neſcis ..... Callet artem ea ſubtrahendi.

10. *Lænis*. Læna veſtis eſt craſſior, & villoſa.

11. Subripere famulo lucernam, dum, v. g. herum foris cœnantem præſtolatur cum face, qua illum redeuntem deducat noctu.

13. Si nihil furatus eſt, tunc circumvenit uſitatis dolis aliquem e ſervulis, qui ſoleas convivarum accumbentium ad lectorum pedes poſitas, cuſtodiunt; & inter crepidas illas quas furatur, ipſe ſuas ſæpe, cum aliis miſtas, ſurripit.

LVIII.

In proceram mulierem.

1. Summa Palatini poteras æquare Coloſſi
2. Si fieres brevior, Claudia, ſeſquipede.

Verſ. 1. O Claudia, faſtigium ſtatuæ illius in palatio poſitæ, quæ coloſſus appellatur, (p. 5.) poſſes æquare; nec ob eam rem, oporteret aliquid addi tuæ ſtaturæ, ſed detrahi ſeſquipedem: es enim toto ſeſquipede major, quam ille coloſſus. Hyperbole.

LIX.

In invidum.

1. Livet Charinus, rumpitur, furit, plorat,
2. Et quærit altos, unde pendeat, ramos:
3. Non jam quod orbe cantor, & legor toto,
4. Nec umbilicis quod decorus, & cedro
5. Spargor per omnes, Roma quas tenet, gentes:
6. Sed quod ſub urbe rus habemus æſtivum,
7. Vehimurque mulis non, ut ante, conductis.
8. Quid imprecabor, o Severe, liventi?
9. Hoc opto: mulas habeat, & ſuburbanum.

Verſ. 2.

Verſ. 2. *Pendeat*. Gulam ſibi laqueo frangat.

4. *Umbilicis*. Ep. 58. Lib. 1.

7. *Non conductis*, ſed meis, jam ditior videlicet.

9. Hoc precor, ut ſit æque dives, ac ego ſum. Benè precatur invido præter expectationem. Poteſt & hic ſubeſſe ſenſus, Dives ſit, hoc illi ſatis erit mali, & miſeriæ. Vel: ſit olitor, & mulas agat.

LX.

Poeta copioſus.

1. Scribit in averſa Picens epigrammata charta.
2. Et dolet averſo quod facit illa Deo.

Verſ. 1. Picenus non tantum in adverſa, & interiori charta ſuos verſus ſcribit, ſed in averſa, & in tergo libri, & dolet, quod mali ſint, & averſo velut Apolline, irato Genio, facti. Nihil mirum, difficile eſt multa carmina ſcribere, quæ itidem ſint bona.

LXI.

Sapius naſcens.

1. Ut poſcas, Clyte, munus, exigaſque,
2. Uno naſceris octies in anno.
3. Et ſolas, puto, treſve, quatuorve
4. Non natalitias habes Kalendas.
5. Sit vultus tibi lævior licebit
6. Tritis littoris aridi lapillis;
7. Sit moro coma nigrior caduco;
8. Vincas mollitiæ tremente plumas,
9. Aut maſſam modo lactis alligati;
10. Tu nobis, Clyte, jam ſenex videris;
11. Tam multos quis enim fuiſſe credat
12. Natales Priamive, Neſtoriſve?
13. Sit tandem pudor, & modus rapinis.
14. Quod ſi ludis adhuc, ſemelque naſci
13. Uno jam tibi non ſat eſt in anno;
16. Natum te, Clyte, nec ſemel putabo.

Verſ. 1. *Naſceris*. Natalem tuum celebras.

3. 4. Treſque, aut ad ſummum, quatuor ſunt menſes, quibus non naſcaris. *Kalendas*. Pag. 216.

5. 6. Quamvis plane ſis imberbis, habeaſque genas tam politas, quam ſunt politi lapilli littorei.

8. 9. 10. Licet molliorem habeas cutem pluma, & la-

ce recens coagulato : tamen ita sæpe natales tuos celebrasti, ut senex merito videaris.

16. Nihil tibi mittam de-inceps, ne semel quidem in anno, tanquam si nunquam esses natus. Solebant in amicorum, aut patronorum natalitiis munera illis missitare.

LXII.

Arcus triumphalis.

1. Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
2. Templa nitent, felix area nuper erat.
3. Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
4. Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
5. Hic lauro redimita comas, & candida cultu
6. Roma salutavit voce manuque Ducem.
7. Grande loci meritum testantur & altera dona;
8. Stat sacer, & domitis gentibus arcus ovans;
9. Hic gemini currus numerant elephãta frequentem:
10. Sufficit immensis aureus ipse jugis.
11. Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis:
12. Hos aditus urbem Martis habere decet.

Vers. 1. Reversus a bello Sarmatico Domitianus, extrui jussit in platea ingenti, ubi a populo primum exceptus & salutatus fuerat, templum Fortunæ Reduci, quasi ad gratias illi agendas quod se incolumen reduxisset; deinde arcum lapideum in monumentum victoriæ.

2. *Felix aurea.* Locus patens & vacuus, quem ideo felicem vocat, quod ibi extructum sit Fortunæ templum, & arcus triumphalis.

3. *Arctoi.* Septentrionalis, Sarmatici. Vide pag. 185.

4. Vultu cœlestibus quasi radiis micante.

5. *Candida cultu.* Vestibus candidis, ad lætitiam significandam, induta.

6. *Manu.* Plaudendo.

7. Auget illius loci dignitatem, alterum monumentum, nempe arcus ovans, seu triumphalis; significans relatum de gentibus domitis triumphum.

9. Impositæ sunt illi arcui, in fastigio, quadrigæ duæ, quas non equi trahunt, sed elephanti plures: in medio inter illas quadrigas, triumphantis cultu visitur statua Imperatoris auri, idest, auro collucentis, qui jugis duobus alligatos elephantes unus regit, eorumque habenas tenet. Vel, uno ex illis curribus, triumphans invehitur, ac jugum seu currum totum quodammodo implet, tanta ejus majestas, & am-

& amplitudo. Duæ quadrigæ significabant geminam de Dacis victoriam. *Urbem Martis*. Romam a Romulo Martis filio conditam.

LXIII.

De Silii filio consule creato.

1. Augusto pia thura, victimasque
2. Pro nostro date Silio, Camœnæ.
3. Bis senos jubet en redire faces
4. Nato consule, nobilique virga
5. Vatis Castaliam domum sonare
6. Rerum prima salus, & una Cæsar:
7. Gaudenti supereſt adhuc quod optet,
8. Felix purpura, tertiusque consul.
9. Pompejo dederit licet senatus,
10. Et Cæsar genero sacros honores:
11. Quorum pacificus ter ampliavit
12. Janus nomina; Silius frequentes
13. Mavult sic numerare consulatus.

Vers. 1. 2. O Musæ, Domitiano date thura (se ut Deum coli volebat) nomine Silii, cujus filium consulem creavit. *Silio*. 190. 354.

2. 3. Jubet Augustus in Silii domum redire honorem consulatus. Fasces duodecim, quos lictor consulem præcedens gestabat, erant insigne consulatus. Pag. 351.

4. *Nata consule*. Silii filio consule creato.

Nobili virga. Quoties consul aliquis domum suam aut alienam iniret, lictor virga fores pulsabat.

6. Cæsar, qui est reipublicæ salus.

7. Unum adhuc restat, quod optet Silius pater, lætus munere Cæsaris, & consulatu majoris filii. Quid autem? nempe restat optanda felix purpura, & tertius consulatus: optat ut minorem suum filium consulari quoque purpura cohonestet Cæsar, atque ita tres in eadem familia consules numerentur. Silius pater, ejusque duo filii.

9. *&c.* Quamvis senatus uni eidemque Pompejo tres dederit consulatus; sicut M. Vipsanio Agrippæ suo genero Cæsar Augustus; adeo ut Pompeii, & Agrippæ nomina in fastis fuerint ter scripta primo anni mense, cui Janus præsidet, quo tempore beata pax Romano in Imperio florebat: tamen Silius pater mavult sic habere tres consulatus, ut eos cum filiis partiatur, quam iis ornari solus, ut Pompejus, & Agrippa.

12. *Janus pacificus*. Flagrante bello, Jani templum

apertum erat; confecto, clausum; Augusti tempore ter clausum fuit. *Ampliavit.* Illustravit: vel, ter scripsit. 13. *Sic.* Ita, ut exposui versu 6. 7. 8. nimirum non suos unius tres consulatus: sed unũ suũ; alios duos, filiorum.

LXIV.

Conviva diligens.

1. Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tu
2. Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.
3. Cum modo distulerint raucæ vadimonia quartæ,
4. Et Floralitias lasset arena feras.
5. Curre, age, & illotos revoca, Calliste, ministros:
6. Sternantur lecti; Cæliane, sede.
7. Caldam poscis aquam; nondum mihi frigida venit:
8. Alget adhuc nudo clausa culina foco.
9. Mane veni potius: nam cur te quincta moretur?
10. Aut cur non sero, Cæciliane, venis?

Vers. 1. Nondum servus te admonuit effluxisse horas quinque ab orto sole.

3. Cum modo dimissa sint vadimonia, & fuerint causæ forenses in diem sequentem rejectæ. Agebantur causæ hora fere tertia (nempe post solem ortum tertia,) ut dictum Lib. 4. usque quartam, qua ineunte omittebantur, & in sequentem diem vulgo differebantur.

Raucæ quartæ. Est in recto casu pluralis numeri. Eodem modo superius dixit *tertias, quintas*, Epigr. 44. Ordo igitur est: cum horæ quartæ distulerint, differri jusserint vadimonia in aliud tempus. Cum a raucis causidicis lites hora quarta omissæ fuerint. Vadimonium proprie est promissio qua vas, ideſt, is qui pro alio spondet, eum certa die adfuturum in judicio pollicetur; pro ipso sæpe judicio accipitur. Legitur in aliquot recentioribus codd. *chartæ* pro *quartæ*, quod si tibi arridet, explica sic, *chartæ*, patroni rauci, defatigati, cum suis chartis, & libellis vadimonia distulerunt.

4. Cum modo peragantur Florales ludi, per quos feræ in arena exhibentur ac mactantur. De istis Ludis Vide pag. 28.

Curre, &c. Vocat Martialis servulum suum Callistum. *Illotos.* Nondum' usos balneis. Lavare octava tantum hora solebant. Vel, sordidos, quales fere sunt ministri & coqui.

Revoca. Qui domo, fortasse ad spectandos ludos, exivere. Vel, iterum voca.

6. *Lecti.* Quibus ad mensam accumbamus. Sternebantur illi veste stragula.

Sede

Sede. Accumbe; epulemur. Vel: ſede pauliſper, donec paratur cœna.

7. *Caldam*. Calidam aquam: fortaſſe in hyeme, tunc enim maxime calida vinum temperabant.

9. 10. Cur quinctam expectabas horam? Quin veniebas ſummo mane? ſiquidem adeo es avidus, ac diligens. Cur potius non venis ſero, jam peracta cœna? Id meretur tua gula.

LXV.

Uva hyberna.

1. Qui Corcyrei vidit pomaria regis,
2. Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
3. Invida purpureos urat ne bruma racemos,
4. Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
5. Condita perſpicua vivit vindemia gemma,
6. Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
7. Quid non ingenio voluit natura licere?
8. Autumnum ſterilis ferre jubetur hyems.

Verſ. 1. 2. Qui hortos Alcinoi viderit, in inſula Corcyra, (Lib. 7. Epig. 6.) illis tuam domum profecto anteponet.

4. *Bacchi munera*. Uvas.

5. *Perſpicua gemma*. Vitro pellucido.

7. 8. Quanta vis eſt induſtriæ, quæ fructus autumni recentes, ac vividos, vel in ſterili hyeme, conſervat!

LXVI.

Laudator veterum.

1. Miraris veteres, Vacerra, ſolos,
2. Nec laudas niſi mortuos poetas.
3. Ignoſcas petimus, Vacerra: tanti
4. Non eſt, ut placeam tibi, perire.

Verſ. 3. 4. Non tanti facio dæ cauſa, mori properem: tuas laudes, tuam approbationem: ut ejus obtinendæ hac mercede mors nulla mihi placeat.

LXVII.

Laus Nervæ Imperatoris.

1. Quanta quies, placidi tanta eſt facundia Nervæ;
2. Sed cohibet vires ingenium que pudor

3. Cum ſiccare ſacram largo Permeſſida poſſet
4. Ore, verecundam maluit eſſe ſitim:
5. Pieriam tenui frontem redimire corona
6. Contentus, famæ nec dare vela ſuæ.
7. Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe Tibullum,
8. Carmina qui docti nota Neronis habet.

Verſ. 1. *Quis*. Comitas, humanitas. Tanta eſt eloquentia, quanta comitate. Vixit Nerva circa annum a Chriſto nato 100. ſucceſſit Domitiano.

2. *Pudor*. Nervæ modeſtia, verecundia, impedit quominus id omne, quod poteſt, faciat: quominus ingenium, & artem oſtentet.

3. Cum potuiſſet ſolus exhaurire fontem Permeſſida, ideſt, ceteros poetas vincere: tamen parce illum & modice delibavit. Non ſcripſit ingentia poemata, in levibus tantum argumentis verſatus eſt.

5. *Pieriam*. Pag. 350. Corona. Pag. 74

7. Nerva tamen appellatus eſt a Nerone, noſtri temporis Tibullus, ob elegantiam carminis, & ingenii: hoc non ignorat, qui legit Neronis carmina, in quibus Nervam ille ſic appellat. Nero Imperator fuit poeta non contemnendus.

LXVIII.

Stare debent munera, aut creſcere.

1. Quatuor argenti libras mihi tempore brumæ
2. Miſiſti ante annos, Poſtumiane, decem.
3. Speranti plures (nam ſtare, aut creſcere debent
4. Munera) venerunt pluſve minuſve duæ.
5. Tertius, & quartus multo inferiora tulerunt.
6. Libra fuit quinto Septitiana: quid eſt?
7. Beſſalem ad ſcutulam ſexto pervenimus anno.
8. Poſt hunc in cotula raſa ſelibra data eſt.
9. Octavus ligulam miſit ſextante minorem.
10. Nonus acu levius vix cochleare tulit.
11. Quod mittat nobis decimus jam non habet annus,
12. Quatuor ad libras, Poſtumiane, redi.

Verſ. 1. *Libras*. Vide hanc vocem Lib. 2. Ep. 54. Libro 5. Epigr. 19. Lib. 7. Epigram. 70.

3. *Stare*. Deſinere, ceſſare.

4. *Plus, minus*. Circiter.

5. Anno tertio, & quarto pauciora, & deteriora a te

ce accepi munera.

6. Anno quinto dedisti mihi libram argenti, at Septitianam. Hæc uncias pauciores habebat, octo tantum, ut quidam volunt, vel novem, cum vulgo libra duodecim contineret uncias. Itaque Septitiana multo levioris erat ponderis, licet valoris, & pretii ejusdem. Ob difficultatem rei nummariæ ita diminutam fuisse ajunt a Septitio quodam tribuno plebis. Aliam ejus vocis explicationem vide pag. 227.

Quid est? Unde ista imminutio tuorum munerum?

7. Sexto anno dedisti mihi scutulam; Genus est vasculi concavi & rotundi. *Bessalem*. Unciarum octo. Bes, octo sunt unciæ, pagin. 344.

8. Anno septimo cotulam dedisti unciarum sex, sive libræ dimidiæ. Rasam vocat selibram, ideſt, justam, parcam. Cotulam poculum quoddam erat, vel mensura, cyathorum sex.

9. *Ligulam*. Pag. 242.

Sextante. Sextans est sexta pars libræ: pag. 44. hoc est, unciæ duæ.

10. *Acu levius*. Atque adeo vix unius unciæ.

11. Non potes inferius descendere, siquidem uncia nihil est minus, & acu: redi ad primum quæsso munus, & circulum decennalem illum tuum instaura.

LXIX.

Amico peregre proficiscenti.

1. Nondum murice cultus, asperoque
2. Morsu pumicis aridi politus,
3. Artanum properas sequi, libelle:
4. Quem pulcherrima jam redire Narbo,
5. Docti patria Narbo Votieni:
6. Ad leges jubet, annuosque fasces,
7. Votis quod paribus tibi petendum est,
8. Continget locus ille, & hic amicus.
9. Quam vellem fieri meus libellus!

Vers. 1. 2. *Murice*. Purpura, minio ornatus. Vide lib. 1. Epig. 58. ubi fuse de libris veterum egimus.

3. *Artanum*. Cui proficiscenti libellum dono dabat.

4. Quem Artanum cives Narbonenses elegere, ac Roma evocarunt, *ad leges*, ideſt, ad jus dicendum civitati suæ, & fasces annuos gerendos. Narbo civitas Galliæ nobilissima, *Narbonæ*, Votieni poetæ clarissimi patria, Romanorum colonia fuit. Porro in coloniis erant decuriones, qui instar senatorum Romanorum præerant consilio publico

blico. Ex illis duo, tres, quatuorve, pro loci, & urbis amplitudine legebantur, qui eſſent principes conſilii publici, ut Romæ conſules: iique Duumviri, vel Quatuorviri, &c. vocabantur.

7. 8. 9. Tu duplici voluptate perfrueris, quam ex æquo debes optare: videbis Narbonem, urbem pulcherrimam: & Artano amico eris in deliciis: o utinam tuo ire loco poſſem!

LXX.

Gladiator e medico.

1. Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante:
2. Feciſti medicus, quod facis hoplomachus.

Verſ. 1. Hoplomachi vocabantur gladiatores, qui omnibus inſtructi armis, & quaſi cataphracti, pugnabant ὅπλα arma; μάχη, pugna. Lege Ep. 24. Lib. V. *Ophthalmicus*. Ita vocantur proprie medici, qui oculos curant: a voce græca ὀφθαλμὸς: oculus: pro quolibet medico hic ſumitur.

2. *Feciſti*, *&c.* Homines videlicet interfeciſti.

LXXI.

Jocus in Gallum.

1. Dum repetit ſera conductos nocte Penates
2. Lingonus, a Tecta, Flaminiaque recens;
3. Expulit offenſo vitiatum pollice talum,
4. Et jacuit toto corpore fuſus humi.
5. Quid faceret Gallus, qua ſe ratione moveret?
6. Ingenti domino ſervulus unus erat,
7. Tam macer ut minimam poſſet vix ferre lacernam:
8. Succurrit miſero caſus, opemque tulit.
9. Quatuor inſcripti portabant vile cadaver,
10. Accipit infelix qualia mille rogus.
11. Hos comes invalidus ſubmiſſa voce precatur,
12. Ut quocumque velint corpus inane ferant.
13. Permutatur onus; ſtipataque tollitur alte
14. Grandis in anguſta ſarcina ſandapila.
15. Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur;
16. Cui merito dici, *mortue Galle*, poteſt.

Verſ. 1. 2. 3. Dum Gallus quidam, patria Lingonenſis (Lingones, Galliæ civitas, *Lungres*) conductam domun-

munculam ſuam noctu repetere, a Tecta via, quæ proxima eſt Flaminiæ, recens progreſſus, emovit loco ſuo talum luxatum, & pollice, ſive extremo pede, offendit, v. g. ad lapidem.

Tecta. Viæ Tectæ meminit Seneca in ſuo de morte Claudii Ludo: quamquam ibi vulgo legatur *Rectum*, ſed omnes libri veteres habent *Tectam*. Ideo forte dicta ſic eſt, quod fornicata eſſet: nam viam Fornicatam junctam fuiſſe viæ Flaminiæ, & Campo Martio, Livius auctor eſt, lib. 22. & Plinius. Itaque via Tecta & Fornicata duo nomina ſunt ejuſdem viæ.

7. *Lacernam*. Servuli circumferebant lacernas ad uſum dominorum, ſi pluvia v. g. ingruiſſet, &c. Legunt aliqui *lucernam*. Gallum enim noctu præcedebat iſte ſervulus.

8. *Succurrit*. Cum a ſervo macro & debili, obeſus ipſe ſublevari non poſſet.

9. *Inſcripti*. Servi notis in fronte inuſtis ſpectandi. Servis fugitivis, aut alia quapiã de cauſa damnatis inſcribebantur in fronte, ferro candenti, litteræ, unde ſtigmatiæ & litterati a Plauto vocantur. Quatuor ejuſmodi mancipia cadaver alicujus pauperis forte per eamdem viam ad rogum efferebant.

10. *Qualia*. Nempe pauperum, quæ magno ſæpe numero in eumdem rogum conjiciebantur.

11. 12. Illos rogat Galli ſervus ut dominum ſuum, quem fingebat mortuum, attollant. *Inane*. Extinctum, vacuum anima.

13. Pro cadavere, quod ſervi geſtabant, Galli corpus ingens & vivum in exiguam ſandapilam (erat feretrum pauperum) vix ſtipatur, id eſt, contruditur.

15. 16. Iſte Gallus, e multis unus videtur mihi eſſe, cui vere dici poſſit illud tritum in Gallos, Cybeles ſacerdotes, *mortue Galle*. Ita per contemptum vocabantur, quia erant ſemiviri. IX. 17.

LXXII.

Odioſa veritas.

1. Dic verum mihi, Marce, dic, amabo:
2. Nil eſt quod magis audiam libenter:
3. Sic & cum recitas tuos libellos,
4. Et cauſam quoties agis clientis,
5. Oras, Gallice, me, rogaſque ſemper.
6. Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
7. Vero verius ergo quid ſit audi:
8. Verum, Gallice, non libenter audis.

V. 1. &c. Hoc a me ſemper petis, & cum recitas mihi tuas ver-

versiculos, & cum agis causas: Nempe, dic mihi vere, o Martialis, & sine fuco, num belle versus faciam, causas agam. Dicam. Quid? Hoc dico te verum non libenter audire. Verum enim est, te male scribere, pessime causas agere: at hoc verum libenter non audis. Laudes audire vis, non veritatem,

LXXIII.

Vita longa.

1. Liber, amicorum dulcissima cura tuorum;
2. Liber in æterna vivere digne rosa:
3. Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
4. Splendeat, & cingant florea serta caput.
5. Qui sic vel medio finitus vixit in ævo,
6. Longior huic facta est, quam data vita fuit.

Vers. 1. *Liber.* Nomen est amici, ad quem scribit hoc epigramma.

3. *Amomo.* Est frutex odoratus, ex quo unguentum optimum conficiebatur. Epulabantur coronati rosis, unguentis delibuti.

5. Qui sic genio indulgens, medio in ævo finiatur, moriatur; hic longiorem vitam suam fecit, quam erat ipsi a superis concessa. Vita enim non dierum quorumcumque, sed felicium, & genialium numero est censenda. Epicurea sententia.

LXXIV.

Ludi a Cæsare spectati.

1. Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
2. Indica quos cuperet pompa, Lyæe, tuos:
3. Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi;
4. O pudor! o pietas! & putat esse parum,
5. Non illis satis est turbato sordidus auro
6. Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus.
7. Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
8. Cessat; & in populum multa rapina cadit.
9. Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis;
10. Nunc dat spectatas tessera larga feras.
11. Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
12. Sortitur dominos, ne laceretur, avis.
13. Quid numerem currus, terdenaq; præmia palmæ,

14. Quæ

14. Quæ dare non ſemper conſul uterque ſolet?
15. Omnia ſed, Cæſar, tanto ſuperantur honore,
16. Quod ſpectatorem te tua laurus habet.

Verſ. 1. *&c.* Stella, cupiens celebrare Domitiani triumphum de Sarmatis, fecit ludos adeo magnificos, ut iis merito Hercules, & Bacchus invideant. Hercules dicitur, cum veniſſet in Italia, Gigantes reperiſſe prope Cumas in planitje, quæ Phlegra vocabatur, eo quod ex illa ignes ſubterranei interdum erumperent, (a φλέφω uro) eoſque debellaſſe. Fuit etiam in Theſſalia campus ejuſdem nominis, ubi Gigantes iidem cum Diis conflixiſſe narrantur. Bacchus victor ab India rediit. *Lyæi*. Pag. 71. *Hyperborei* 179.

4. O miram Stellæ reverentiam in Cæſarem, o modeſtiam hominis ſingularem, qui cum ludos tanto apparatu, ſumptuque ediderit, tenues, & exiles eſſe putat! Proprie, pietas eſt cultus qui Deo, parentibuſque adhibetur.

5. Non ſatis eſt Stellæ, non ſufficit ad ludorum ſumptus, omne aurum, quod Hermus, & Tagus volvunt. De illis fluviis vide pag. 316. Aureis ramentis, ornamentiſque theatrum ſæpe ſternebant: ſæpe nummos aureos effundebant in ſpectatores.

7. *Lineæ dives*. Ordo divitum, ſenatorum v. gr. ſpectantium in orcheſtra, (qui longam lineam repræſentant, cum omnes perpetua ſerie ſedent) non ceſſat; non quieſcit; ſed ipſe quoq; miſſilia dona rapit, perinde ac populus, in quem pariter *cadit multa rapina*, id eſt, multa rapienda ſparguntur. Solebant res variæ in ſpectantem populum e ſuperiore loco projici, nummi, aves, &c. Per iſtam divitem lineam aliqui ſignificari volunt longam, & perpetuam ſeriem miſſilium, ideſt, munerum ſpargendorum in plebem.

9. *Numiſmata*. Nummi ſeſtertii: aureæ principis imagines, &c.

Laſciva. Huc illuc temere ſubſilientia, & cadentia, inſtar nivis, aut pluviæ.

10. Nunc projicitur teſſera, (erat ligni fruſtulum, in quo inſcriptum nomen aut imago feræ alicujus v.g. quæ in amphitheatrum ad ſpectaculum fuiſſet producta, mancipii, domus, &c.) & illis a quibus rapitur, ſpectatas feras tribuit. Quod enim quiſque in rapta teſſera ſignum habebat, illam rem ab Imperatore, vel munerario, ideſt, ludorum editore, accipiebat; v. gr. cervum, ſi pictus aut ſcriptus cervus foret; domum, ſi domus, &c.

11. 12. Nunc in iiſdem teſſeris promittuntur, & quaſi dantur aves abſentes, quæ, in illis teſſeris, vicem, & locum avium obtinentibus, ſecuræ veniunt in manus ſpectatorum, aliter ab iis lacerandæ, ſi præſentes darentur.

13. *Cur-*

te rreens coagulato : tamen ita sæpe natales tuos celebrasti, ut senex merito videaris.

16. Nihil tibi mittam de-inceps, ne semel quidem in anno, tanquam si nunquam esses natus. Solebant in amicorum, aut patronorum natalitiis munera illis missitare.

LXII.

Arcus triumphalis.

1. Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
2. Templa nitent, felix area nuper erat.
3. Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
4. Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
5. Hic lauro redimita comas, & candida cultu
6. Roma salutavit voce manuque Ducem.
7. Grande loci meritum testantur & altera dona;
8. Stat sacer, & domitis gentibus arcus ovans;
9. Hic gemini currus numerant elephãta frequentem:
10. Sufficit immensis aureus ipse jugis.
11. Hęc est digna tuis, Germanice, porta triumphis;
12. Hos aditus urbem Martis habere decet.

Vers. 1. Reversus a bello Sarmatico Domitianus, extrui jussit in platea, ingenti, ubi a populo primum exceptus & salutatus fuerat, templum Fortunæ Reduci, quasi ad gratias illi agendas quod se incolumen reduxisset; deinde arcum lapideum in monumentum victoriæ.

2. *Felix aurea.* Locus patens & vacuus, quem ideo felicem vocat, quod ibi extructum sit Fortunæ templum, & arcus triumphalis.

3. *Arctoi.* Septentrionalis, Sarmatici. Vide pag. 185.

4. Vultu cœlestibus quasi radiis micante.

5. *Candida cultu.* Vestibus candidis, ad lætitiam significandam, induta.

6. *Manu.* Plaudendo.

7. Auget illius loci dignitatem, alterum monumentum, nempe arcus ovans, seu triumphalis; significans relatum de gentibus domitis triumphum.

9. Impositæ sunt illi arcui, in fastigio, quadrigæ duæ, quas non equi trahunt, sed elephanti plures: in medio inter illas quadrigas, triumphantis cultu visitur statua Imperatoris auri, idest, auro collucentis, qui jugis duobus alligatos elephantes unus regit, eorumque habenas tenet. Vel, uno ex illis curribus, triumphans invehitur, ac jugum seu currum totum quodammodo implet, tanta ejus majestas,

& am-

& amplitudo. Duæ quadrigæ significabant geminam de Dacis victoriam.

Urbem Martis. Romam a Romulo Martis filio conditam.

LXIII.

De Silii filio consule creato.

1. Augusto pia thura, victimasque
2. Pro nostro date Silio, Camœnæ.
3. Bis senos jubet en redire faces
4. Nato consule, nobilique virga
5. Vatis Castaliam domum sonare
6. Rerum prima salus, & una Cæsar;
7. Gaudenti supereſt adhuc quod optet,
8. Felix purpura, tertiusque consul.
9. Pompejo dederit licet senatus,
10. Et Cæsar genero sacros honores:
11. Quorum pacificus ter ampliavit
12. Janus nomina; Silius frequentes
13. Mavult sic numerare consulatus.

Verſ. 1. 2. O Musæ, Domitiano date thura (se ut Deum coli volebat) nomine Silii, cujus filium consulem creavit. *Silio*. 190. 354.

2. 3. Jubet Augustus in Silii domum redire honorem consulatus. Fasces duodecim, quos lictor consulem præcedens gestabat, erant insigne consulatus. Pag. 351.

4. *Nata consule*. Silii filio consule creato.

Nobili virga. Quoties consul aliquis domum suam aut alienam iniret, lictor virga fores pulsabat.

6. Cæsar, qui est reipublicæ salus.

7. Unum adhuc restat, quod optet Silius pater, lætus munere Cæsaris, & consulatu majoris filii. Quid autem? nempe restat optanda felix purpura, & tertius consulatus: optat ut minorem suum filium consulari quoque purpura cohonestet Cæsar, atque ita tres in eadem familia consules numerentur. Silius pater, ejusque duo filii.

9. *&c.* Quamvis senatus uni eidemque Pompejo tres dederit consulatus; sicut M. Vipsanio Agrippæ suo genero Cæsar Augustus; adeo ut Pompeii, & Agrippæ nomina in fastis fuerint ter scripta primo anni mense, cui Janus præsidet, quo tempore beata pax Romano in Imperio florebat: tamen Silius pater mavult sic habere tres consulatus, ut eos cum filiis partiatur, quam iis ornari solus, ut Pompejus, & Agrippa.

12. *Janus pacificus*. Flagrante bello, Jani templum

apertum erat; confecto, clausum; Augusti tempore ter clausum fuit. *Ampliavit.* Illustravit: vel, ter scripsit.

13. *Sic.* Ita, ut exposui versu 6. 7. 8. nimirum non suos unius tres consulatus: sed unũ suũ; alios duos, filiorum.

LXIV.

Conviva diligens.

1. Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tu
2. Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.
3. Cum modo distulerint raucæ vadimonia quartæ,
4. Et Floralitias lasset arena feras.
5. Curre, age, & illotos revoca, Calliste, ministros:
6. Sternantur lecti; Cæliane, sede.
7. Caldam poscis aquam; nondum mihi frigida venit:
8. Alget adhuc nudo clausa culina foco.
9. Mane veni potius: nam cur te quincta moretur?
10. Aut cur non fero, Cæciliane, venis?

Vers. 1. Nondum servus te admonuit effluxisse horas quinque ab orto sole.

3. Cum modo dimissa sint vadimonia, & fuerint causæ forenses in diem sequentem rejectæ. Agebantur causæ hora fere tertia (nempe post solem ortum tertia,) ut dictum Lib. 4. usque quartam, qua ineunte omittebantur, & in sequentem diem vulgo differebantur.

Raucæ quartæ. Est in recto casu pluralis numeri. Eodem modo superius dixit *tertias, quintas*, Epigr. 44. Ordo igitur est: cum horæ quartæ distulerint, differri jusserint vadimonia in aliud tempus. Cum a raucis causidicis lites hora quarta omissæ fuerint. Vadimonium proprie est promissio qua vas, ideſt, is qui pro alio spondet, eum certa die adfuturum in judicio pollicetur; pro ipso sæpe judicio accipitur. Legitur in aliquot recentioribus codd. *chartæ* pro *quartæ*, quod si tibi arridet, explica sic, *chartæ*, patroni rauci, defatigati, cum suis chartis, & libellis vadimonia distulerunt.

4. Cum modo peragantur Florales ludi, per quos feræ in arena exhibentur ac mactantur. De istis Ludis Vide pag. 28.

Curre, &c. Vocat Martialis servulum suum Callistum. *Illotos.* Nondum' usos balneis. Lavare octava tantum hora solebant. Vel, sordidos, quales fere sunt ministri & coqui.

Revoca. Qui domo, fortasse ad spectandos ludos, exivere. Vel, iterum voca.

6. *Lecti.* Quibus ad mensam accumbamus. Sternebantur illi veste stragula.

Sede

Sede. Accumbe; epulemur. Vel: sede paulisper, donec paratur cœna.

7. *Caldam*. Calidam aquam: fortasse in hyeme, tunc enim maxime calida vinum temperabant.

9. 10. Cur quinctam expectabas horam? Quin veniebas summo mane? siquidem adeo es avidus, ac diligens. Cur potius non venis sero, jam peracta cœna? Id meretur tua gula.

LXV.

Uvæ hyberna.

1. Qui Corcyrei vidit pomaria regis,
2. Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
3. Invida purpureos urat ne bruma racemos,
4. Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
5. Condita perspicua vivit vindemia gemma,
6. Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
7. Quid non ingenio voluit natura licere?
8. Autumnum sterilis ferre jubetur hyems.

Vers. 1. 2. Qui hortos Alcinoi viderit, in insula Corcyra, (Lib. 7. Epig. 6.) illis tuam domum profecto anteponet.

4. *Baschi munera*. Uvas.

5. *Perspicua gemma*. Vitro pellucido.

7. 8. Quanta vis est industriæ, quæ fructus autumni recentes, ac vividos, vel in sterili hyeme, conservat!

LXVI.

Laudator veterum.

1. Miraris veteres, Vacerra, solos,
2. Nec laudas nisi mortuos poetas.
3. Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
4. Non est, ut placeam tibi, perire.

Vers. 3. 4. Non tanti facio tuas laudes, tuam approbationem: ut ejus obtinendæ causa, mori properem: hac mercede mors nulla mihi placeat.

LXVII.

Laus Nervæ Imperatoris.

1. Quanta quies, placidi tanta est facundia Nervæ;
2. Sed cohibet vires ingenium que pudor

3. Cum ſiccare ſacram largo Permeſſida poſſet
4. Ore, verecundam maluit eſſe ſitim:
5. Pieriam tenui frontem redimire corona
6. Contentus, famæ nec dare vela ſuæ.
7. Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe Tibullum,
8. Carmina qui docti nota Neronis habet.

Verſ. 1. *Quis*. Comitas, humanitas. Tanta eſt eloquutia, quanta comitate. Vixit Nerva circa annum a Chriſto nato 100. ſucceſſit Domitiano.

2. *Pudor*. Nervæ modeſtia, verecundia, impedit quominus id omne, quod poteſt, faciat: quominus ingenium, & artem oſtentet.

3. Cum potuiſſet ſolus exhaurire fontem Permeſſida, ideſt, ceteros poetas vincere: tamen parce illum & modice delibavit. Non ſcripſit ingentia poemata, in levibus tantum argumentis verſatus eſt.

5. *Pieriam*. Pag. 350. Corona. Pag. 74

7. Nerva tamen appellatus eſt a Nerone, noſtri temporis Tibullus, ob elegantiam carminis, & ingenii: hoc non ignorat, qui legit Neronis carmina, in quibus Nervam ille ſic appellat. Nero Imperator fuit poeta non contemnendus.

LXVIII.

Stare debent munera, aut creſcere.

1. Quatuor argenti libras mihi tempore brumæ
2. Miſiſti ante annos, Poſtumiane, decem.
3. Speranti plures (nam ſtare, aut creſcere debent
4. Munera) venerunt pluſve minuſve duæ.
5. Tertius, & quartus multo inferiora tulerunt.
6. Libra fuit quinto Septitiana: quid eſt?
7. Beſſalem ad ſcutulam ſexto pervenimus anno.
8. Poſt hunc in cotula raſa ſelibra data eſt.
9. Octavus ligulam miſit ſextante minorem.
10. Nonus acu levius vix cochleare tulit.
11. Quod mittat nobis decimus jam non habet annus,
12. Quatuor ad libras, Poſtumiane, redi.

Verſ. 1. *Libras*. Vide hanc vocem Lib. 2. Ep. 54. Libro 5. Epigr. 19. Lib. 7. Epigram. 70.

3. *Stare*. Deſinere, ceſſare.

4. *Plus, minus*. Circiter.

5. Anno tertio, & quarto pauciora, & deteriora a te

te accepi munera.

6. Anno quinto dediſti mihi libram argenti, at Septitianam. Hæc uncias pauciores habebat, octo tantum, ut quidam volunt, vel novem, cum vulgo libra duodecim contineret uncias. Itaque Septitiana multo levioris erat ponderis, licet valoris, & pretii ejuſdem. Ob difficultatem rei nummariæ ita diminutam fuiſſe ajunt a Septitio quodam tribuno plebis. Aliam ejus vocis explicationem vide pag. 227.

Quid eſt? Unde iſta imminutio tuorum munerum?

7. Sexto anno dediſti mihi ſcutulam; Genus eſt vaſculi concavi & rotundi. *Beſſalem.* Unciarum octo. Bes, octo ſunt unciæ, pagin. 344.

8. Anno ſeptimo cotulam dediſti unciarum ſex, ſive libræ dimidiæ. Raſam vocat ſelibram, ideſt, juſtam, parcam. Cotulam poculum quoddam erat, vel menſura, cyathorum ſex.

9. *Ligulam.* Pag. 242.

Sextante. Sextans eſt ſexta pars libræ: pag. 44. hoc eſt, unciæ duæ.

10. *Acu levius.* Atque adeo vix unius unciæ.

11. Non potes inferius deſcendere, ſiquidem uncia nihil eſt minus, & acu: redi ad primum quæſo munus, & circulum decennalem illum tuum inſtaura.

LXIX.

Amico peregre proficiſcenti.

1. Nondum murice cultus, aſperoque
2. Morſu pumicis aridi politus,
3. Artanum properas ſequi, libelle:
4. Quem pulcherrima jam redire Narbo,
5. Docti patria Narbo Votieni:
6. Ad leges jubet, annuoſque faſces,
7. Votis quod paribus tibi petendum eſt,
8. Continget locus ille, & hic amicus.
9. Quam vellem fieri meus libellus!

Verſ. 1. 2. *Murice.* Purpura, minio ornatus. Vide lib. 1. Epig. 58. ubi fuſe de libris veterum egimus.

3. *Artanum.* Cui proficiſcenti libellum dono dabat.

4. Quem Artanum cives Narbonenſes elegere, ac Roma evocarunt, *ad leges*, ideſt, ad jus dicendum civitati ſuæ, & faſces annuos gerendos. Narbo civitas Galliæ nobiliſſima, *Narbonæ*, Votieni poetæ clariſſimi patria, Romanorum colonia fuit. Porro in coloniis erant decuriones, qui inſtar ſenatorum Romanorum præerant conſilio publico

blico. Ex illis duo, tres, quatuorve, pro loci, & urbis amplitudine legebantur, qui essent principes consilii publici, ut Romæ consules: iique Duumviri, vel Quatuorviri, &c. vocabantur.

7. 8. 9. Tu duplici voluptate perfrueris, quam ex æquo debes optare: videbis Narbonem, urbem pulcherrimam: & Artano amico eris in deliciis: o utinam tuo ire loco possem!

LXX.

Gladiator e medico.

1. Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante:
2. Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

Vers. 1. Hoplomachi vocabantur gladiatores, qui omnibus instructi armis, & quasi cataphracti, pugnabant ὅπλα arma; μάχη, pugna. Lege Ep. 24. Lib. V. *Ophthalmicus*. Ita vocantur proprie medici, qui oculos curant: a voce græca ὀφθαλμὸς: oculus: pro quolibet medico hic sumitur.

2. *Fecisti*, &c. Homines videlicet interfecisti.

LXXI.

Jocus in Gallum.

1. Dum repetit fera conductos nocte Penates
2. Lingonus, a Tecta, Flaminiaque recens;
3. Expulit offenso vitiatum pollice talum,
4. Et jacuit toto corpore fusus humi.
5. Quid faceret Gallus, qua se ratione moveret?
6. Ingenti domino servulus unus erat,
7. Tam macer ut minimam posset vix ferre lacernam:
8. Succurrit misero casus, opemque tulit.
9. Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
10. Accipit infelix qualia mille rogus.
11. Hos comes invalidus submissa voce precatur,
12. Ut quocumque velint corpus inane ferant.
13. Permutatur onus; stipataque tollitur alte
14. Grandis in angusta sarcina sandapila.
15. Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur;
16. Cui merito dici, *mortue Galle*, potest.

Vers. 1. 2. 3. Dum Gallus quidam, patria Lingonensis (Lingones, Galliæ civitas, *Lungres*) conductam domun-

munculam ſuam noctu repetere, a Tecta via, quæ proxima eſt Flaminiæ, recens progreſſus, emovit loco ſuo talum luxatum, & pollice, ſive extremo pede, offendit, v. g. ad lapidem.

Tecta. Viæ Tectæ meminit Seneca in ſuo de morte Claudii Ludo: quamquam ibi vulgo legatur *Rectam*, ſed omnes libri veteres habent *Tectam*. Ideo forte dicta ſic eſt, quod fornicata eſſet: nam viam Fornicatam junctam fuiſſe viæ Flaminiæ, & Campo Martio, Livius auctor eſt, lib. 22. & Plinius. Itaque via Tecta & Fornicata duo nomina ſunt ejuſdem viæ.

7. *Lacernam*. Servuli circumferebant lacernas ad uſum dominorum, ſi pluvia v. g. ingruiſſet, &c. Legunt aliqui *lucernam*. Gallum enim noctu præcedebat iſte ſervulus.

8. *Succurrit*. Cum a ſervo macro & debili, obeſus ipſe ſublevari non poſſet.

9. *Inſcripti*. Servi notis in fronte inuſtis ſpectandi. Servis fugitivis, aut alia quapiã de cauſa damnatis inſcribebantur in fronte, ferro candenti, litteræ, unde ſtigmatiæ & litterati a Plauto vocantur. Quatuor ejuſmodi mancipia cadaver alicujus pauperis forte per eamdem viam ad rogum efferebant.

10. *Qualia*. Nempe pauperum, quæ magno ſæpe numero in eumdem rogum conjiciebantur.

11. 12. Illos rogat Galli ſervus ut dominum ſuum, quem fingebat mortuum, attollant. *Inane*. Extinctum, vacuum anima.

13. Pro cadavere, quod ſervi geſtabant, Galli corpus ingens & vivum in exiguam ſandapilam (erat feretrum pauperum) vix ſtipatur, id eſt, contruditur.

15. 16. Iſte Gallus, e multis unus videtur mihi eſſe, cui vere dici poſſit illud tritum in Gallos, Cybeles ſacerdotes, *mortue Galle*. Ita per contemptum vocabantur, quia erant ſemiviri. IX. 17.

LXXII.

Odioſa veritas.

1. Dic verum mihi, Marce, dic, amabo:
2. Nil eſt quod magis audiam libenter:
3. Sic & cum recitas tuos libellos,
4. Et cauſam quoties agis clientis,
5. Oras, Gallice, me, rogaſque ſemper.
6. Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
7. Vero verius ergo quid ſit audi:
8. Verum, Gallice, non libenter audis.

V. 1. & 6. Hoc a me ſemper petis, & cum recitas mihi tuas. ver-

versiculos, & cum agis causas: Nempe, dic mihi vere, o Martialis, & sine fuco, num belle versus faciam, causas agam. Dicam. Quid? Hoc dico te verum non libenter audire. Verum enim est, te male scribere, pessime causas agere: at hoc verum libenter non audis. Laudes audire vis, non veritatem,

LXXIII.

Vita longa.

1. Liber, amicorum dulcissima cura tuorum;
2. Liber in æterna vivere digne rosa:
3. Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
4. Splendeat, & cingant florea serta caput.
5. Qui sic vel medio finitus vixit in ævo,
6. Longior huic facta est, quam data vita fuit.

Vers. 1. *Liber.* Nomen est amici, ad quem scribit hoc epigramma.

3. *Amomo.* Est frutex odoratus, ex quo unguentum optimum conficiebatur. Epulabantur coronati rosis, unguentis delibuti.

5. Qui sic genio indulgens, medio in ævo finiatur, moriatur; hic longiorem vitam suam fecit, quam erat ipsi a superis concessa. Vita enim non dierum quorumcumque, sed felicium, & genialium numero est censenda. Epicurea sententia.

LXXIV.

Ludi a Cæsare spectati.

1. Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
2. Indica quos cuperet pompa, Lyæe, tuos:
3. Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi;
4. O pudor! o pietas! & putat esse parum,
5. Non illis satis est turbato sordidus auro
6. Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus.
7. Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
8. Cessat; & in populum multa rapina cadit.
9. Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis;
10. Nunc dat spectatas tessera larga feras.
11. Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
12. Sortitur dominos, ne laceretur, avis.
13. Quid numerem currus, terdenaq; præmia palmæ,

14. Quæ

14. Quæ dare non ſemper conſul uterque ſolet?
15. Omnia ſed, Cæſar, tanto ſuperantur honore,
16. Quod ſpectatorem te tua laurus habet.

Verſ. 1. *&c.* Stella, cupiens celebrare Domitiani triumphum de Sarmatis, fecit ludos adeo magnificos, ut iis merito Hercules, & Bacchus invideant. Hercules dicitur, cum veniſſet in Italia, Gigantes reperiſſe prope Cumas in planitie, quæ Phlegra vocabatur, eo quod ex illa ignes ſubterranei interdum erumperent, (a φλέγω uro) eoſque debellaſſe. Fuit etiam in Theſſalia campus ejuſdem nominis, ubi Gigantes iidem cum Diis conflixiſſe narrantur. Bacchus victor ab India rediit. *Lyæi.* Pag. 71. *Hyperborei* 179.

4. O miram Stellæ reverentiam in Cæſarem, o modeſtiam hominis ſingularem, qui cum ludos tanto apparatu, ſumptuque ediderit, tenues, & exiles eſſe putat! Proprie, pietas eſt cultus qui Deo, parentibuſque adhibetur.

5. Non ſatis eſt Stellæ, non ſufficit ad ludorum ſumptus, omne aurum, quod Hermus, & Tagus volvunt. De illis fluviis vide pag. 316. Aureis ramentis, ornamentiſque theatrum ſæpe ſternebant: ſæpe nummos aureos effundebant in ſpectatores.

7. *Linea dives.* Ordo divitum, ſenatorum v. gr. ſpectantium in orcheſtra, (qui longam lineam repræſentant, cum omnes perpetua ſerie ſedent) non ceſſat; non quieſcit; ſed ipſe quoq; miſſilia dona rapit, perinde ac populus, in quem pariter *cadit multa rapina*, ideſt, multa rapienda ſparguntur. Solebant res variæ in ſpectantem populum e ſuperiore loco projici, nummi, aves, &c. Per iſtam divitem lineam aliqui ſignificari volunt longam, & perpetuam ſeriem miſſilium, ideſt, munerum ſpargendorum in plebem.

9. *Numiſmata.* Nummi ſeſtertii: aureæ principis imagines, &c.

Laſciva. Huc illuc temere ſubſilientia, & cadentia, inſtar nivis, aut pluviæ.

10. Nunc projicitur teſſera, (erat ligni fruſtulum, in quo inſcriptum nomen aut imago feræ alicujus v.g. quæ in amphitheatrum ad ſpectaculum fuiſſet producta, mancipii, domus, &c.) & illis a quibus rapitur, ſpectatas feras tribuit. Quod enim quiſque in rapta teſſera ſignum habebat, illam rem ab Imperatore, vel munerario, ideſt, ludorum editore, accipiebat; v. gr. cervum, ſi pictus aut ſcriptus cervus foret; domum, ſi domus, &c.

11. 12. Nunc in iiſdem teſſeris promittuntur, & quaſi dantur aves abſentes, quæ, in illis teſſeris, vicem, & locum avium obtinentibus, ſecuræ veniunt in manus ſpectatorum, aliter ab iis lacerandæ, ſi præſentes darentur.

13. *Cur-*

13. *Currus*. Certamina curulia. Currus triginta ejusmodi Stella unus in circum produxit, quos a duobus, cum ludos simul edunt, consulibus vix producuntur.

16. *Laurus*. Ludi ob tuam victoriam celebrati. Illorum ludorum Cæsar spectator præcipuum decus fuit.

LXXV.

Puella, & vetula.

1. Omnes aut vetulas habes amicas,
2. Aut turpes, Vetulisque fœdiores:
3. Has ducis comites trahisque tecum
4. Per convivia, porticus, theatra;
5. Sic formosa, Fabulla, sic puella es.

Vers. 1. *&c.* Fabulla, deformis vetula, aniculas secum lippas, gibbosasque, comites ubique circumferebat, ut junior, ac minus deformis esse videretur, videlicet illis collata.

5. *Sic*. Nempe cum istis vetulis comparata: ex quarum senio, & deformitate laudem captas, quia te sunt deformiores, & seniores, non quod formosa ipsa sis aut puella.

LXXVI.

Cæsaris munificentia.

1. Sanctorum nobis miracula reddis avorum,
2. Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori;
3. Cum veteres Latiæ ritus renovantur arenæ.
4. Et pugnat virtus simpliciore manu.
5. Sic priscis servatur honos, te præside, templis;
6. Et casa tam culto sub Jove numen habet.
7. Sic nova dum condis, revocas, Auguste, priora;
8. Debentur quæ sunt, quæque fuere, tibi.

Vers. 3. Pugillatum olim inventum a Græcis, a veteribus Latinis frequentatum, & intermissum postea, Domitianus revocaverat. Hoc laudat vates. Pugiles vocantur, qui se invicem manibus dejicere ad humum nituntur.

4. *Simpliciore*. Nuda. Non armata ferro, tridente, cæstibus. Explicat hoc epigramma Scaliger in sua contra Marcilium diatriba, non de pugilibus, sed de gladiatoribus. Illi solebant olim pugnare armati parma, & sica: postea rejecta parma, binis sicis depugnarunt: quæ dimicatio plena crudelitatis erat, quia

quia ſine parma pugnantes reſiſtere diu alter alteri non poterant. Hanc Domitianus ſuſtulit, revocans morem antiquum arenæ, edixitque ut jam non utraque, ſed unica manu pugnarent: ſicam ſimplicem una manu, nempe dextera, tenentes, parmam ſiniſtra.

5. Tu veterem illum morem ludorum renovas; ita priſca templa colis, atque inſtauras.

6. Et cauſa quælibet, ac ruſticana domus, hoc tempore, quo pietas adeo floret quo Jupiter ubiq; tam ſplendide colitur, ſuum quoddam habet numen, cui cultum, ac venerationem privatim adhibeat, caſæ ſunt ſimiles templis. Poteſt hoc ipſum exponi de veteri, & pæne ruſtico templo Jovis in capitolio, de quo dictum pag. 355. Non ſpernitur vetus illud Jovis templum, licet aliud in eodem capitolio tam dives, cultumque ſit.

LXXVII.

Gellia uniones.

1. Non per myſtica ſacra Dindymenes,
2. Nec per Niliacæ bovem juvencæ,
3. Nullos denique per Deos, Deaſque
4. Jurat Gellia, ſed per uniones.
5. Hos amplectitur, hos peroſculatur:
6. Hos fratres vocat, hos vocat ſorores;
7. Hos natis amat acrius duobus.
8. His ſi quo careat miſella caſu,
9. Victuram negat eſſe ſe nec horam.
10. Eheu, quam bene nunc, Papiriane,
11. Annæi faceret manus Sereni!

Verſ. 1. *Dindymenes*. Cybeles, quæ in monte Phrygiæ Dindymo colebatur. Illic, ſub nomine Bonæ Deæ, fiebant Romæ ſacra valde myſtica, ideſt, arcana, quæ viris nefas videre.

2. Io filia Inachi mutata in vaccam venit in Ægyptum. Ibi ſub Iſidis nomine eſt culta. Pag. 103.

10. 11. *Quam bene faceret*. Nempe ſi gemmas, & uniones eriperet Galliæ, quæ, fratribus, natis ac Diis nugas iſtas præfert. *Annæi ſereni*. Erat ille ſector zonarius ſpectatæ induſtriæ.

LXXVIII.

Princeps poetarum patronus.

1. Dante tibi turba querulos, Auguſte, libellos,

2. Nos

2. Nos quoque quod Domino carmina parva damus:
3. Posse Deum rebus pariter Musisque vacare
4. Scimus; & hæc etiam serta placere tibi.
5. Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
6. Nos tua cura prior, deliciæque sumus.
7. Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi
8. Fiat, & ex hedera civica nostra tibi.

Vers. 1. *&c.* Dum tibi populus promiscue libellos supplices offert, in quibus queritur, puta, de illata sibi injuria, damno facto, &c. Nos qui versiculos eidem tibi offerimus, intelligimus posse te publicis negotiis tractandis, & Musis vacare audiendis.

3. *Deum*. Ita vocari se jubebat Domitianus.

7. *Quercus*. Corona quæ dabatur alicui publice propter servatos cives, Civica dicebatur, & fiebat e quercu; quæ dabantur ob superatos hostes, laurea vocabatur, & fiebat e Lauro. Patere, inquit Martialis, ut dum tibi ob hostes domitos corona laurea, offertur; dum quercea ob cives servatos, nos poetæ civicam coronam tibi faciamus ex hedera, sacra nobis arbore. Poetas tueris, & foves, coronam tibi civicam debent, at ex hedera sua factam, quæ te suum servatorem, ac parentem agnoscant. Hedera caput cingebant poetæ, hæc enim, præter quam quod perpetuo viret, Baccho etiam est sacra, in cujus tutela sunt poetæ: utpote qui vino generoso ad spiritum poeticum excitandum uti solent.

M. VAL. MARTIALIS.

EPIGRAMMATUM

LIBER NONUS.

EPIGRAMMA I.

Inscriptio statuæ Martialis.

1. NOTE, licet nolis, sublimi pectore vates,
2. Cui refert serus præmia digna cinis:
3. Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
4. Quam non obscuris jungis, Avite viris.
5. *Ille ego sum nulli nugarum laude secundus,*
6. *Quem non miraris, sed puto, lector, amas.*
7. *Majores majora sonent: mihi parva locuto*
8. *Sufficit in vestras sæpe redire manus.*

Vers. 1. *&c.* O Avite, omnibus satis cognite ob ingenii excelsitatem, licet nolis noscî & laudari; cui debitum eruditionis & ingenii præmium immortalis post cineres fama reddet: rogote, ut sub mea imagine, quam in tua bibliotheca vis jungere imaginibus clarissimorum virorum, apponas istud carmen, nempe quatuor sequentes versiculos, *Ille ego*.

4. *Avite*. Nomen istud a Martiale ponitur pro vero nomine illius, ad quem scribit, & cujus nomen Stertinium fuisse ipse testatur in epistola, quam de hoc epigrammate dedit ad Turanium, sive Torannium quemdam, amicum suum. Eam nonnulli codices huic epigrammati subjiciunt, estque ejusmodi.

AVE, mi Toranni, frater charissime. Epigramma, quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putavi, ne ignó-

ignorares, Avitus iſte quis vocaretur. Vale, & para hoſpitium. Stertinus igitur iſte nolebat ſe appellari in Martialis libris, ſive ob modeſtiam, ſive alia quapiam de cauſa. Illum vates in hoc loco, & in aliis fortaſſe, ſub Aviti nomine compellat. Hinc explicabis voces iſtas primo in verſu: *Note, licet nolis*, quas legere eſt mire depravatas in variis codicibus.

Apparet miſſum fuiſſe hunc librum Turiano, & primum illud epigramma ſeorſim ab aliis epigrammatis fuiſſe poſitum, v. g. ad calcem epiſtolæ.

5. *Nugarum*. Sic vocat ſua epigrammata.

6. *Non miraris*. Ut eximium vatem: *ſed amas*, ut feſtivum poetam, quem proinde ſæpe lectitas; ut ait poſtremo verſu. Similis eſt ſententia, & clauſula in epigrammate 3. lib. 8. & 38. lib. 4.

II.

Templum ſemper ſtaturum.

1. Dum Janus hyemes, Domitianus autumnos,
2. Auguſtus annis commodabit æſtates;
3. Dum grande famuli nomen aſſeret Rheni
4. Germanicarum magna lux Kalendarum:
5. Tarpeja ſummi ſaxa dum patris ſtabunt:
6. Dum voce ſupplex, dumque thure placabit
7. Matrona divæ dulce Juliæ numen:
8. Manebit altum Flaviæ decus gentis,
9. Cum ſole; & aſtris, cumque luce Romana.
10. Invicta quidquid condidit manus, cœlum eſt.

Verſ. 1. 2. Tamdiu dum Janus nomen ſuum hyemi & menſi Januario; ſuum Domitianus autumno; Auguſtus æſtati ſuum dabit. Menſem Septembrem Germanicum appellari juſſerat Domitianus, nempe ut memoriam victoriarum quas de Germanis retulerat, eo nomine conſecraret: Octobri vero ſuum ipſius nomen impoſuerat; quemadmodum ante menſis Sextilis in honorem Auguſti, Auguſtus fuerat appellatus.

3. 4. Dum prima dies Septembris (quem Germanicum appellari dixi) ſervabit memoriam Rheni a Domitiano in Romanam veluti ſervitutem aſſerti. Rhenus *le Rhein, il Reno*, maximus Germaniæ occidentalis fluvius. *Kalendarum*. Pag. 216.

5. Dum ſtabit templum Jovis in Capitolio. *Tarpeja*. Pag. 206. 349.

6, 7. Dum

6. 7. Dum matronæ vota & thura offerent Juliæ, Erat hæc Titi filia, neptis Domitiani, quam ipse mortuam inter Deas retulit. Vide lib. 6. Epig. 2.

8. Templum ædificatum a Domitiano in honorem Flaviæ gentis, manebit ac ſtabit. De Flavia gente conſule Svetonium in vita Veſpaſiani c. 1. De iſto templo vide eumdem Svet. in Domitiano.

9. *Cum ſole*. Ideſt, tamdiu durabit, quamdiu ſol, aſtra, & nominis Romani gloria.

10. Quidquid invicta Domitiani manus condidit, vinci vetuſtate non poteſt: eſt ſimile cælo, quod æternum, & mutationis expers.

III.

Princeps in ſuperos ipſos munificus.

1. Quantum jam ſuperis, Cæſar, cęloque dediſti
2. Si repetas, & ſi creditor eſſe velis;
3. Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
4. Coganturque Dei vendere quidquid habent;
5. Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
6. Decidat tecum qua pater ipſe Deum.
7. Pro Capitolinis quid enim tibi ſolvere templis,
8. Quid pro Tarpejæ frondis honore poteſt?
9. Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
10. Pallada prætereo: res agit illa tuas.
11. Quid loquar Alcidem, Phœbumque, pioſque Laconas?
12. Addita quid Latio Flavia Templa polo?
13. Expectes, & ſuſtineas, Auguſte, neceſſe eſt.
14. Nam tibi quod ſolvat non habet arca Jovis.

Verſ. 1. 2. Si repetas a Superis quantum tibi debent, quantum illis dediſti. Dederat multa templa ab integro ædificata; multa reſtituta & refecta: varia ornamenta, &c.

3. 4. Quamvis Superi, veluti conſtituta auctione, vendant ſua bona omnia, ut inde redigatur pecunia tibi annumeranda. Auctio eſt publica bonorum venditio a præcone facta: ejus indicium & ſymbolum haſta erat in platea aliqua, aut loco, ubi fiebat auctio, erecta. Nomen auctionis inde factum, quod ementes augeant pretium rei, quæ auctioni ſubjicitur, quæque illi addicitur, qui pretium præ ceteris auxerit.

Conturbabit. Conturbare dicuntur mercatores, qui cum ſe vident impares ſolvendo, foro cedunt, & omnes ſuas for-

fortunas creditoribus dedunt. Atlas igitur, licet totum gestet humeris cælum, si illud vendat, auctione facta, cogetur fateri, se solvendo non esse.

Et non erit, &c. Si Jupiter litem istam nummariam decidere tecú velit atque componere, non habebit unciam integram, quam numerare possit: ne duodecimam quidem partem summæ debitæ, totam a se solvi posse deprehendet. Uncia erat assis pars duodecima.

7. *Templis*. Incensum capitolium Domitianus instauraverat.

8. Quinquennale certamen Jovi Tarpejo, ideſt, capitolino, instituit triplex, muſicum, equestre, & gymnicum, in quo victores querna fronde coronabantur. Svet. cap. 5. vide epig. 1. Lib. IV. & 42. & ubi etiam explicatur ista vox, *Tarpejæ*.

9. Quid Juno pro delubris sibi a te positis?

10. Omitto Palladem, neque illam inter debitores tuos Deos numero: licet obligata tibi sit multis nominibus: tamen digna est, quam immunem ab omni debito esse jubeas; tuas enim res curat, tua quasi est procuratrix & villica. Ea patrona in primis gloriabatur Domitianus. Pag. 231.

Alcidem. Herculem, p. 14.

11. *Laconas*. Castorem & Polluceм. *Pios*. Quia unus alteri immortalitatem magna pietate tribuit. Lib. V. Epigr. 38.

12. Quid templum erectum a te Flaviæ genti (de quo supra, Epigr. 2.) additum polo Latio, ideſt, additum aliis templis consecratis in honorem divorum e Latina gente prognatorum, hoc est, hominum, qui e Latio transcripti sunt inter Deos, quales Cæsares fuere? vel, *polo* dixit propter operis altitudinem. Sunt qui legant *foro*, quia hoc templum putant non abfuisse longe a Latio foro, seu Romano, de quo actum pag. 30.

IV.

Sponsi sapientes.

1. Nubere vis Prisco: non miror, Paulla: sapisti.
2. Ducere te non vult Priscus, & ille sapit.

Vers. 1. *Sapisti*. Quia ille est dives & nobilis.

2. *Sapit*. Quia tu es improba, & pauper. De verbis *ducere* & *nubere*. Vide pag. 378.

V.

Ave, vale.

1. Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
2. Continuis volui quinque diebus ave.

3. Non

3. Non vacat, aut dormit, dictum bis terq; reverso:
4. Jam satis est: non vis, Afer, avere; vale.

Vers. 3. *Non vacat.* Afer est occupatus. Hoc mihi domum tuam bis, terque revertenti dixit servus.

4. *Vale.* Hac utebantur voce, cum facessere jubebant aliquem, aut in malam rem abire: eadem mortuos supremum compellabant.

VI.

Captator elusus.

1. Nil tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
2. Annua, si memini, millia sena dabas.
3. Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, nolis,
4. Annua legavit millia sena tibi.

Vers. 1. *Legavit.* Reliquit testamento.

2. *Millia sena.* Sexmillia sestertiorum; sive sex maiora sestertia. Pag. 68. Nummos Francicos 600. *Dabas.* Ad captandam ejus gratiam & hæreditatem.

3. 4. *Plus nulli dedit.* Noli conqueri. Dabas illi antea sex millia: non dabis amplius: ergo illa tibi legasse censendus est. Lucratus es sena millia sestertium.

VII.

Nemo gulosus, liber.

1. Cœnes, Canthare, cum foris libenter;
2. Clamas, & maledicis, & minaris.
3. Deponas animos truces monemus.
4. Liber non potes & gulosus esse.

Vers. 2. *Maledicis.* Illis qui te non invitant, aut male accipiunt.

Minaris. Te non venturum, te illos ulturum.

4. *Liber.* Is est hoc in loco, qui quæ sentit, libere & audacter eloquitur: gulosi debent adulari, blandiri, &c. si cœnare foris amant.

VIII.

Nominis encomium.

1. Nomen cum violis rosisque natum,
2. Quo pars optima nuncupatur anni,
3. Hyblam quod sapit, Atticosque flores.
4. Quod nidos olet alitis superbæ:
5. Nomen nectare dulcius beato,
6. Quo mallet Cybeles puer vocari,

7. Et qui pocula temperat Tonanti:
8. Quod si Parrhasia fones in aula,
9. Respondent Veneres, Cupidineſque:
10. Nomen nobile, molle, delicatum
11. Verſu dicere non rudi volebam:
12. Sed tu ſyllaba contumax repugnas.
13. Dicunt Earinon tamen poetæ,
14. Sed Græci, quibus eſt nihil negatum,
15. Et quos ἄῤῥες, ἄῤῥες, decet ſonare:
16. Nobis non licet eſſe tam diſertis,
17. Qui Muſas colimus ſeveriores.

V. 1. 2. Libertus quidam Domitiano charus, Earinus vocabatur, ejus nomen vates celebrat, aitque illud cum violis eſſe natum, quia Earinus, græca vox, ἐαρινὸς, idem eſt ac vernus, ab ἔαρ, ἔαρος, ver: ver autem violis & roſis abundat: & anni pars eſt pulcherrima.

3. *Hyblam*. In Hybla, monte Siciliæ, flores lectiſſimi naſcebantur: item in Hymetto monte Atticæ.

4. Quod tam ſuave olet, quam amomum & caſia, quibus phœnix nidum ſuum ſtruit, ac ſternit.

6. *Cybeles puer*. Atys. 136.

7. Ganymedes. Pag. 34.

8. *Parrhaſia*. Imperatoria. Pag. 184. 348.

12. Sed ſyllabæ repugnant, nolunt in verſum venire, quia in voce ἐαρινὸς, omnes ſunt breves.

13. Tamen poetæ Græci dicunt ἦαρινὸν, ita ut tres primæ ſyllabæ Dactylum efficiant. Legitur etiam εἰαρινὸν, addito iota, ut fiat diphthongus. Apud Græcos poetas in vocibus, quarum tres ſyllabæ priores ſunt breves, prima interdum producitur metri cauſa: quod imitati quoque Latini ſunt, in Priamides, Deiphobus, &c.

15. Et qui primam litteram in voce Ἄῤῥες, nunc producunt, nunc corripiunt. Ἄρης græce, Matrem ſignificat, Homerus verſum hexametrum ab iſta gemina voce incipit in Iliades: Ἄῤῥες ἄῤῥες. ita ut vox eadem ſyllabam eandem priore loco producat, poſteriore corripiat.

16. *Diſertis*. Copioſis, liberis.

17. *Severiores*. Latinas, quæ minus habent licentiæ.

IX.

Earini nomen.

1. Si daret autumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς eſſem,
2. Horrida ſi brumæ ſidera χειμερινὸς

3. Di-

3. Dictus ab æstivo Θερινὸς, tibi mense vocarer.
4. Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

Vers. 1. Si nomen ab autumno traherem, vocarer ἐπιφθινὸς, ideſt, autumnalis: ſi ab hyeme, χειμερινὸς hoc eſt, hybernus, ſi ab æſtate, Θερινὸς, æſtivus: qui a vere nomen habet, quomodo vocatur? Nimirum ἔαρινος, vernus, Sic appellat, ac celebrat Earinum, quamvis ejus nomen non exprimat.

X.

Earinus.

1. Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
2. Cum breve Cecropiæ ver populantur apes:
3. Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
4. Quod Cytherea ſua ſcribere gaudet acu:
5. Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis,
6. Gemma quod Heliadum pollice trita notet:
7. Quod penna ſcribente grues ad ſidera tollant;
8. Quod decet in ſola Cæſaris eſſe domo.

Vers. 2. *Cecropiæ.* Atticæ. Pag. 47. 230. In Attica erat mons Hymetus, ubi flores exquiſiti, optimæ apes, ac mella mellitiſſima.

3. *Acidalia arundine.* Calamo Veneris: Acidalius, fons Bœotiæ Veneri ſacer. Pag. 287. Vel, ut vult Gruterus, Cupidinis ſagitta, cujus cuſpis calami vicem obtineat.

4. *Acu.* Crinali acu; vel, ſtilo, graphio. *Cytherea.* 398.

5, 6. Dignum quod ſcribatur litteris factis ex unionibus maris Erythræi (p. 252.) vel e ſuccino.

Gemma Heliadum, Electrum. Pag. 210. Succinum autem, ſeu electrum, pollice & crebro tritu ſplendeſcit.

7. Grues adventu ſuo ver denunciant: eædem altiſſime volant, ac fere gregatim: tunc vero ita ſe invicem componunt, ut litteræ cujuſdam formam affingant, quam Τ vel Δ eſſe quidam putant. Dignum eſt igitur Earim nomen, cujus litteras ſingulas vernæ volucres, ut ſuum illud Τ vel Δ, deſcribant, ac in cœlum uſque tollant.

XI.

Amicus fictus.

1. Hunc, quē menſa tibi, quem cœna paravit amicum,

2. Esse putas fide pectus amicitiæ?
3. Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea: non te.
4 Tam bene si cœnem: noster amicus erit.

Vers. 2. Putas esse verum & fidum amicum?
3. *Mullos*. Exquisitos pisces. Pag. 121. *Sumen*. Porcinam alvum. Pag. 117. Simile est epig. 33. Lib. 6.

XII.

In Chloen septimum viduam.

1. Inscripsit tumulo septem scelerata virorum
2. Se fecisse Chloe: quid pote simplicius?

V. 1. 2. Chloe, celebrata illa & famosa mulier, septem virorum seu maritorum, quos habuit, tumulo inscripsit pro more *se fecisse*: hæc verba solemnia inscripsit, CHLOE FECIT. Idest, poni tumulum jussit. Alter autem hoc intelligi vult Martialis; nempe eam fecisse ut moreretur. Quid fieri simplicius, quid apertius dici potest? Poteratne clarius significare se auctorem esse illorum mortis, a se illos, puta veneno, interfectos? In monumentis, sive epitaphiis istæ compendiariæ litteræ apponebantur F. C. idest, *fieri curavit*: vel F *fecit*: addito ejus nomine, qui monumentum extruendum curavisset. Rursum qui, quæve hominem interfecerat, solebat proclamare, *Feci*, si fateretur; vel *Non feci*, si negaret: ipsi etiam judices in hæc verba sententiam ferebat, *Fecisse videtur*.

XIII.

Earini coma.

1. Consilium formæ, speculum: dulcesque capillos
2. Pergameo posui dona sacrata Deo.
3. Ille puer tota Domino gratissimus aula,
4. Nomine qui signat tempora verna suo.
5. Felix, quæ tali censetur munere tellus.
6. Nec Ganymedeas mallet habere comas.

V. 1. *&c.* Ille puer Domitiano & aulæ toti gratissimus, qui suo nomine ver signat, qui vocatur Earinus. ἦρ ver, ἐαρινὸς, vernus: posuit & dedicavit Deo Pergameo suum speculum, quo ad comam componendam & formam fingendam utebatur quasi consiliario & arbitrio, &c.

2. *Pergameo Deo.* Æsculapio, qui Pergami artem medicam exercuit. Romani solebant

bant comam nutrire, quam grandiores facti, resecabant, ac Deo cuipiam consecrabant. Pergamus, *Pergamo*, fuit urbs Troadis seu Mysiæ in Asia minori, patria Galeni: diversa ab Troja, cujus arx Pergamus quoque dicebatur.

5. Censetur. Est in pretio, quæ sit vis hujus vocis, docui Libro I. Ep. 53.

Tellus. Pergamea.

6. Ganymedeas. Pag. 33.

XIV.

Ad Æsculapium, pro Earino votum.

1. Latonę venerande nepos, qui mitibus herbis
2. Parcarum exoras pensa, breveſque colos;
3. Hos, laudatos Domino, sua vota, capillos
4. Ille tuus Latia misit ab urbe puer:
5. Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,
6. Quo felix facies judice tota fuit.
7. Tu juvenale decus serva, ne pulcrior ille
8. In longa fuerit, quam breviore coma.

Vers. 1. *Nepos Latonæ*. Latona enim Apollinis est mater; Æsculapius autem Apollinis filius.

2. *Parcarum*. Pagin. 206. 220. *Pensa*. Pag. 206. *Exoras*. Impetras ne abrumpantur, ne tam cito evolvantur, ac nostræ vitæ brevissimæ finem imponant.

3. *Domino*. Domitiano. *Capillos, sua vota*. Quos nempe vovit, quos tibi consecravit.

5. Orbem nitidum. Speculum rotundum, e nitente crystallo factum. Illud addidit crinibus, illud cum capillis resectis obtulit. *Sacratis*. Æsculapio consecratis.

6. Felix tota. Formosa, tersa & lævis.

7, 8. *Juvenale*. Juvenile: o Æsculapi serva suam Earino formam & venustatem ut æque pulcher sit tonsus, quam erat intonsus.

XV.

Fontis publici particulam petit.

1. Est mihi, sitque precor longum te præside, Cæsar,
2. Rus minimum; parvi sunt & in urbe Lares.
3. Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
4. Curva laboratas antlia tollit aquas.
5. Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
6. Cum mihi vicino Marcia fonte sonet.

7. Quam dederis noſtris, Auguſte, Penatibus undam,
8. Caſtalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Verſ. 1. 2. *Longum*. Diu: diu poſſideam illud, ac proinde vivam diu.

Te præſide. Te imperante ac vivente. *Lares*. Villa, domus. Pag. 156. 168.

4. *Antlia*. Machina quædam eſt ad aquam e loco inferiore attollendam. Facta vox ab ἀντλέω, haurio.

Laboratas. Cum labore hauſtas.

6. Quamvis propius abſit ab aquæductu celeberrimo, aquam cognomento Marciam, in urbem invehente. *Marcia*. Vide p. 297. Item Plinium Lib. 31. c. 3. Frontinum Lib. 1.

7. *Penatibus*. Domui meæ. Pag. 72.

8. Tam pretioſa mihi erit quam aqua fontis Caſtalii (p. 329.) aut cæleſtis imber.

XVI.

Laus inſidioſa.

1. Laudas balnea verſibus trecentis.
2. Cœnantis bene Pontici, Sabelle:
3. Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

V. 1. Paraſitus, ut vocaretur ad cœnã, laudabat Pontici hominis divitis, & epulari laute ſoliti, balneas; ait vates eum non tam de balneis quam de cœna eſſe ſollicitum.

XVII.

Domitiani natalis domus.

1. Hæc quæ tota patet, tegiturque & marmore, & auro,
2. Infantis Domini conſcia terra fuit.
3. Felix quæ tantis ſonuit vagitibus, & quæ
4. Vidit reptantes, ſuſtinuitque manus.
5. Hic ſteterat veneranda domus, quæ præſtitit orbi,
6. Quod Rhodos, aſtrifero quod pia Creta polo.
7. Curetes texere Jovem crepitantibus armis,
8. Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
9. At te protexit Superum pater, & tibi, Cæſar,
10. Pro jaculo & parma fulmen & ægis erat.

Verſ. 1. 2. Hæc terra, pars illa urbis, quæ olim privata domus, nunc templum publicum & omnibus patens eſt:

est: ubi nunc visitur templum Flaviæ gentis: in ea, inquam, natus est Domitianus, hæc illum infantem vidit.

5. 6. 7. In hac arca domus erat, quæ Domitianum terris dedit, easque non minori affecit beneficio quam Rhodus, cum edidit Neptunum: Creta, eum Jovem. *Rhodos*. Pag. 208. *Creta*. 100.

7. *Curetes*. Sacerdotes fuere Cybeles; sic appellati a voce græca κείρειν, tondere; quia partem capitis anteriorem detonsam gerebant: vel a κοῦρος puer, quia Jovem puerum aluerunt. Iidem Phryges dicti, quia in Phrygia Cybele præsertim colebatur. De illis plura vide pag. 137. nota 4. pag. 72. nota 10. *Texere Jovem*. Curetes Jovem e Cybele, seu Rhea natum, Saturno liberos devoranti subduxerunt, ac deportarunt in Cretam: ubi, ne pueri vagitus exaudiret Saturnus, clypeolos inter se complodebant, saltantes in numerum. Jovem porro aluerunt lacte Amaltheæ capræ quam postea Jupiter beneficii memor, inter sidera mortuam retulit, ejusque pelle scutum suum texit, quod vocatum est idcirco Ægis, ut dixi pag. 319.

8. *Semiviri*. Virilitatem sibi adimebant isti Phryges.

9. *Protexit*. Contra varios casus & pericula, quibus infesta est infantia.

10. *Pro jaculo & parma*. Illis armis Curetes armati pinguntur. Parma est scutum breve, & rotundum. Curetes igitur armati jaculo & parma Jovem protexerunt: te ipse Jupiter fulmine & ægide armatus. Ita majorem Jove Domitianum esse innuit.

XVIII.

Opes cur optanda.

1. Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
2. Propter quod vulgus, crassaque turba rogat:
3. Ut Setina meos consumat gleba ligones,
4. Et sonet innumera compede Tuscus ager?
5. Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
6. Et crepet in nostris aurea lamna toris:
7. Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
8. Et faciant nigras nostra Falerna nives.
9. Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
10. Et mea sit culto sella cliente frequens.
11. Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
12. Et Massyleum virga gubernet equum:
13. Et nihil ex istis; Superos ac sidera testor:

14. Ergo quid? ut donem, Paſtor, & ad finem.

Verſ. 1. Ut arem & colam vineas in agro Setino: de quo vide pag. 216.

Conſumat. Glebis enim frangendis, ac verſandis, ligone atteruntur & imminuuntur

4. Et multa mancipia mea faciant opus in agro Tuſco. Servi compedibus vincti ne effugerent, agros exercebant.

5. *Mauri orbes*. Menſæ rotundæ factæ e citro. In Mauritania ſunt frequentes citri. *Libycis dentibus ſtent*. Sunt eburneis fultæ pedibus. Ebur eſt dens elephantis, qui plurimus in Libya, parte Africæ.

6. Et fulcra, ſpondæ, &c. meorum lectorum, ornentur bracteis aureis. *Lamna*, pro, lamina.

7. Ut labra non admoveam, niſi vaſis cryſtallinis ingentibus.

8. *Nigras*. Falernum erat rubri quidem coloris vinum, at ſaturi & nigricantis: nivibus, ut refrigeraretur, miſtum, illis eumdem colonem aſpergebat.

9. Syrus, (mancipia, plurimum e Syria petebantur) canuſinatus, ideſt, indutus veſte aliqua eleganti, quæ texta fuerit Canuſii, (eſt urbs Apuliæ, *Canoſa*) ſudet ſub noſtro aſſere, ferat gravem lecticam ex aſſeribus compactam.

10. Et eamdem meam lecticam comitentur clientes nitidi.

11. Ut incedam per vicos lacerna purpurea indutus, quam mula, cui inſideam, aut aliæ per vicum mulæ currentes, luto inquinent: vel, ut vehar mula tecta Tyriis veſtibus, & tapete inſtrata pretioſo, quem ipſa lutulenta, oblinat, fædetque.

12. *Maſſyleum*. Numidicum. Maſſylii, gens Africana: illi equos frænis vulgo carentes, virgula regebant.

14. Ut donem, quod eſt liberalitatis: *ædificem*: quod eſt magnificentiæ ac ſplendoris.

XIX.

Corona ſtatuæ Domitiani impoſita.

1. O cui Virgineo flaveſcere contigit auro,
2. Dic ubi Palladium ſit tibi, Care, decus?
3. Aſpicis en Domini fulgentes marmore vultus;
4. Venit ad has ultro noſtra corona comas.
5. Albanæ livere poteſt pia quercus olivæ,
6. Cinxerit invictum quod prior illa caput.

V. 1. O Care, qui coronatus es aurea corona in ludis Virginis, ideſt, Minervæ: quæ innupta. De iſtis ludis V. p. 17.

2. *Pal-*

2. *Palladium decus*. Corona in ludis Palladis data. Tum olea Palladi eſt ſacra: iſtarum autem coronarum folia ex auro facta imitabantur olivæ frondes.

3. Reſpondet Carus; Aſpicis marmoream Imperatoris ſtatuam, quam ſervo domi meæ? Ego meam coronam impoſui comis illius, ea Cæſarem coronavi.

5. Hoc diſtichum Martialis dicit. Quercus pia, id eſt ſacra, veneranda, (quia ſolebat Cæſar ea coronari, ut ſupra) invidere poteſt olivæ, ex qua coronam in feſtis Minervæ, ab Domitiano celebrari ſolitis in Albano monte, accepiſti; ſi quidem ea maluiſti ornare comas Cæſaris, quam corona querna.

XX.

Statua Domitiani.

1. Quis Pallatinos imitatus imagine vultus
2. Phidiacum Latio Marmore vicit ebur?
3. Hæc mundi facies, hæc ſunt Jovis ora ſereni;
4. Sic tonat ille Deus, cum ſine nube tonat.
5. Non ſolam tribuit Pallas tibi, Care, coronam;
6. Effigiem Domini, quam colis, illa dedit.

Verſ. 1.2. Quis artifex imitatus Imperatoris vultum in ſtatua Domitiani marmorea, quam habes in tuis ædibus, o Care, (de qua vid. ſuperius epig.) vicit ſtatuam Jovis Olympici factam ex ebore, a Phidia? *Palatinos*. Imperatorios, Cæſareos, p. 232.

3. Non eſt pulcrior facies mundi ſereni, aut Jovis pacati, quam hæc facies Domitiani.

4. Sic Jupiter, cum tonat in cœlo ſereno ac puro, junctam majeſtati clementiam præſefert.

5. 6. Non ſolum coronam oleagineam Pallas, cujus in ludis & feſtis vicisti, tibi dedit; ſed eadem illas Pallas, ut opinor, hanc Domitiani ſtatuam, quam domi tuæ colis, elaboravit, ac tibi donavit: a mortali enim arte ac manu fieri tam egregia ſtatua non potuit.

XXI.

Lectoris eruditi judicium.

1. Audet facundo, qui carmina mittere Nervæ,
2. Pallida donabit glaucia, Coſme, tibi.
3. Præſtano violas & cana liguſtra colono,
4. Hyblæis apibus Corſica mella dabit.
5. Sed tamen & parvæ nonnulla eſt gratia Muſæ:

6. Appetitur poſito vilis oliva lupo.
7. Nec tibi ſit mirum, modici quod conſcia vatis,
8. Judicium metuat noſtra Thalia tuum.
9. Ipſe tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
10. Laſcivum juvenis cum tibi luſit opus.

Verſ. 1. 2. Qui Nervæ (de quo Libro VIII. Ep. 6.) mittit carmina, tam præſtanti poetæ, idem facit, ac ille qui mitteret Coſmo vilia unguenta. Glaucium, ſive glaucinum, eſt ſuccus expreſſus ex herba, quam papaveri ſimilem, & pallidi ſeu crocei coloris eſſe, Dioſcorides affirmat. Erat ille porro Coſmus myropola celebris, qui exquiſitos ſuccos & unguenta pretioſa vendebat, cui proinde non conveniebant iſta glaucia, & viles, amarique ſucci. Legunt nonnulli *Pallia glaucina*: Id eſt, veſtes glauci coloris; voluntque iſtum Coſmum eſſe infectorem aliquem locupletem, aut interpolatorem, vel hominem lautum, & veſtibus eximiis uti ſolitum. Sed hanc vocem *Glaucinus* ea ſignificatione uſurpatam, reperiri nuſquam puto: & Coſmum pro myropola ſemper accipit Martialis.

3. De agro Pæſtano vide Lib. 4. Ep. 48.

4. *Hyblæis*. In Hybla, monte Siciliæ, mel naſcebatur ſuaviſſimum: ut amariſſimum in Corſica inſula prope Sardiniam, ob amaros flores.

6. *Lupo*. Exquiſito piſce. *Poſito*. Appoſito menſæ.

7. *Conſcia vatis modici*. Mea Muſa meæ imbecillitatis in verſibus condendis conſcia.

Thalia. Pag. 183. 326.

9. *Nero*. Non malus poeta, & ſuo judicio etiam optimus. Imperare Nero cœpit anno Chriſti 54. Nerva, 96.

10. *Tibi luſit*. Tibi, a ſe ſcriptum, recitavit; vel, dedicavit.

XXII.

Epitaphium hiſtrionis.

1. Dulce decus ſcenæ, ludorum fama, Latinus
2. Ille ego ſum, plauſus deliciæque tuæ:
3. Qui ſpectatorem potui feciſſe Catonem,
4. Solvere qui Curios, Fabricioſque graves.
5. Sed nihil a noſtro ſumpſit mea vita theatro,
6. Et ſola tantum ſcenicus arte feror:
7. Nec poteram gratus Domino ſine moribus eſſe,
8. Interius mentes inſpicit ille Deus.

9. Vos

9. Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi
10. Roma sui famulum dum sciat esse Jovis.

Vers. 1. *Scenæ*. Theatri & ludorum scenicorum. Proprie scena est umbraculum e ramis arborum, quibus theatra veterum decorabantur. Hinc ista vox, scena, theatrum ac tragœdias significat.

2. *Tuæ*. O Roma, o spectator.

3. Qui Catoni & severissimis Romanis injicere potui cupiditatem spectandi ludos: qui illis placere potui.

4. Curius fuit Romanus civis spectatæ frugalitatis ac probitatis; primus de Samnitibus triumphavit, quorum rejecit munera; cum diceret malle se imperare aurum habentibus, quam aurum habere: Pyrrhum Epirotarum regem ab Italia repulit, &c. Floruit circa annum ab U. C. 440. celebratur in eodem bello Fabricii virtus & abstinentia. Vide Plut. in Pyrrhi vita.

Solvere. Oblectare, laxare illorum animos.

5. Nihil a theatri licentia in meam vitam transtuli. Ipse probus, mores hominum improbos in theatro sum imitatus.

7. *Scenicus*. Histrio liberior ac solutior. Solent histriones esse non admodum probi & pudici. Exercui procacem, & protervam artem, at vitam vixi gravem, & severam.

7. *Domino*. Domitiano. *Moribus*. Bonis & integris.

8. Ille Deus, Domitianus, videlicet, non capitur frontis integumentis, virtutisque fucata specie: mentes ipsas introspicit ac penetrat.

9. 10. Esto sane, Phœbi fuisse parasitus dicat, at norint me omnes Domitiani famulum extitisse. Parasiti vocantur, qui aliena mensa vivunt. Histriones vulgo parasiti Phœbi dicebantur, quia versus recitabant sibi a poetis datos, iisque recitandis vitam tolerabant; & apud ipsos poetas sæpe cœnitabant. Quod histrio fuerim non contemnendus, ea levis est gloria: quod Domitiani auribus, oculisque servierim, & placuerim, hoc vero ingens decus.

XXIII.

Epitaphium anus garrulæ, ac venefica.

1. Sæcula Nestoreæ permensa, Philœni, senectæ,
2. Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas!
3. Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
4. Tempora: major erat mensibus illa tribus.
5. Heu quæ lingua silet! non illam mille catastæ
6. Vincebant; nec quæ turba Serapin amat:

7. Nec matutini cirrata caterva magistri,
8. Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
9. Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo,
10. Quæ sciet hos illos vendere lena toros?
11. Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
12. Ne tua non possint eruere ossa canes.

Vers. 2. O Philæni, quæ confeceras tot sæcula, quot Nestor vixit. (De illo vide pag. 267.) *Permensa* a permetior, id est, absolvo, conficio. *Philæni*. Vocandi casus a recto Philænis Philœnidis.

2. *Tam cito*. Ironice. *Ditis*. Orci, Plutonis. *Aquas*. Stygem, Lethen.

3. Nondum implebas ætatem Sibillæ Cumanæ. Eubœa est insula maris Ægæi contra Atticam, a qua dirimitur tenui Euripo, hodie *Negroponte*. Ejus incolæ Cumas in Italia condiderunt. Porro ista Cumæa Sibylla, si qua est fides Ovidio, 14. Metamorph. mille annis vixit.

Sibyllæ. Sibyllæ virgines erant fatidicæ, quæ ob integritatem ac pudicitiam eo divinitus præmio donatæ fuerunt, ut multa de Christo & Christianæ religionis mysteriis prædixerint, ac veluti facem ethnicis ad amplectendam fidem veram prætulerint. Decem fuisse vulgo perhibentur.

5. 6. O Superi, quam loquax mulier periit! tantum garriebat quantum mille venalium servorum catastæ id est, quantum mancipia clausa in mille catastis, sive ergastulis. (De catasta vid. epigr. 22. Lib. 6. pag. 292.) Quantum mille sacerdotes Ægypti. Serapis Deus Ægyptiorum fuit, in cujus sacris inconditi clamores edebantur[1]. Idem est atque Apis & Osiris. Colebatur sub vituli forma certis quibusdam notis insigniti, quem, post aliquot annos exactos, necabant sacerdotes, & alium similem tota Ægypto quærebant, ingenti planctu huc illuc circumcursantes.

7. 8. Erat loquacior puerulis in ludo litterario mane præceptorem expectantibus: quibus, ad Strymonem fluvium Macedoniæ, (*Stromona*, vel, *Radini*,) clangentibus. Cirri sunt capillorum annuli, & nodi: hinc cirratus, qui comam crispat, flectit in cincinnos, &c. quales pueri nobiles.

9. Quæ nunc saga, vice ac loco Philœnidis, lunam excantatam in terras devocare sciet? Deripi e cœlo tunc lunam putabant a magis, quando deficiebat: nulla tunc enim videtur. Rhombus est magicus turbo, quem incantatores illi rotabant, ad magica sacra perficienda. Vide Horatium nostrum ode 12. libri Epodon.

Thessalico. Thessalia venenatis herbis abundabat: est

est Græciæ regio, prope Macedoniam.

10. Quæ lena & meretrix, improbos amores conciliabit?

Toros Thalamos, adulteria.

11. Bene precabantur mortuis, hac solemni voce: *Sit tibi terra levis*, ut dixi Lib. 5. Epig. 34. Hoc in imprecationem scite vates convertit. Leviter humo tegaris, ut ossa tua facilius canes effodiant ac dissipent.

XXIV.

Bis vidua.

1. Cappadocum sævis Antistius occidit oris
2. Rusticus: o tristi crimine terra nocens!
3. Retulit ossa sinu chari Nigrina mariti,
4. Et questa est longas non satis esse vias:
5. Cumque daret sanctam tumulis, quibus invidet, urnam,
6. Visa sibi est rapto bis viduata viro.

Vers. 1. Cappadocia est in Asia minori: inter Armeniam, Pontum Euxinum, & Ciliciam. Vocatur sæva, quod in ea perierit Antistius Rusticus.

2. *Crimine.* Morte Antistii.

4. *Et questa est*, &c. Nimirum voluisset diutius hærere in itinere, ut mariti ossa semper haberet in sinu & ob oculos: ea quippe humo erat mandatura statim atque Romam rediisset.

Quibus invidet. Quasi se felicioribus, quippe qui reliquias viri sui complectantur. *Urnam.* In qua ossa mortui collecta erant.

6. *Bis.* Semel quidem, cum virum mortuum vidit: iterum autem, cum ejus ossa tumulo condidit; in ossibus quippe servandis, virum aliqua ex parte retinebat; quem totum amittere, illis ereptis, tumulatisque, videbatur.

XXV.

Victima pacifica.

1. Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
2. Vibius, hanc Marti pro duce vovit avem.
3. Luna quater binos non tota peregerat orbes,
4. Debita poscebat jam sibi vota Deus.
5. Ipse suas anser lætus properavit ad aras;
6. Et cecidit sanctis hostia parva locis.
7. Octo vides patulo pendere numismata rostro
8. Alitis? hæc extis condita nuper erant.

9. Quia

9. Quæ litat argento pro te non ſanguine, Cæſar,
10. Victima, jam ferro non opus eſſe docet.

Verſ. 1. 2. Vibius dum comitaretur Domitianum in bello ſeptentrionali, ſeu Sarmatico, vovit hanc avem: nempe anſerem, pro Duce, ideſt, Domitiano, ut ſalvus e bello rediret. Anſeres tanquam imperii Romani cuſtodes, in pretio habebantur, ex quo ſervatum ope anſeris bello Gallico capitolium fuerat. Flor. Lib. 1. c. 13. *Actoris*. Pag. 185.

3. 4. 5. 6. Vix erant octo menſes tranſacti, & jam, confecto bello, Mars promiſſam voto avem ſibi poſcebat. Anſer ad aras productus, ſponte in focum inſiliit, ac periit. Poſt paulo eviſceratus ex more cum ſuiſſet, in ejus alvo reperti ſunt nummi argenti octo, quos hianti roſtro in hac effigie tenet, ut cernis: iſtos nummos Vibius, ut opinor, adulandi cauſa in alvum alitis immiſerat, ut ſignificaret octo menſes in patrando bello conſumptos: utque iſtius quaſi prodigii memoriam ſervaret, imaginem illius anſeris in templo Martis poſuerat, ſummo roſtro tenentis octo numiſmata, id eſt, nummos ſeſtertios. Imagini hoc epigramma ſubjeciſſe Martialis videtur.

9. *Litat*. Sacrificium facit Superis gratum, ac auſpicatum. Videbantur enim illi octo nummi deſignare numerum annorum totidem, per quos bellum hoc geſtum revera fuerat, ſimulque abundantiam & copiam rei nummariæ portendere. Concludit vates, ferro non eſſe jam opus, pace confecta. Legitur vulgo *ceſſa*, emendat, *Cæſar*, ex optimis codd. Petrus ſcriverius quem libenter ſequor.

XXVI.

Templum Flavium.

1. Jupiter Idæi riſit mendacia buſti,
2. Dum videt Auguſti Flavia templa tholi.
3. Atque inter menſas largo jam nectare fuſus,
4. Pocula cum Marti traderet ipſe ſuo:
5. Reſpiciens Phœbum pariter Phœbique ſororem,
6. Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat;
7. Gnoſſia vos, inquit, nobis monumenta dediſtis:
8. Cernite quam plus ſit Cæſaris eſſe patrem.

Verſ. 1. 2. Jupiter cernens templum Flaviæ genti ædificatum a Domitiano, & auguſtum ejus tholum, riſit ſplendorem, & magnificentiam ſui ſepuleri, quod eſt in

in Creta insula, prope Idam montem. Mendacia busti appellat, seu mendax bustum, quia ostendebant Cretes tumulum Jovis quasi esset mortuus, quod esse nequaquam poterat, quia immortalis & immortalium omnium pater ab iis credebatur. *Busti*. Pag. 258.

Flavia templa. Supra, Epigr. 2. *Tholi*. Pag. 72. nota 10. Si lega *Poli*, ut est in quibusdam libris, exponues in eum sensum quem explicuimus supra, Epigr. 3. ubi de *Latio polo* diximus, nota ultima.

3. *Fusus*. Perfusus: maidus: vel, jacens ac supinus.

5. *Alcides*. Hercules. Pag. 14. *Arcas*. Mercurius, qui natus in Arcadia, Græciæ parte. 367.

7. 8. Vos, inquit, tumulum in Creta (ubi est urbs Gnossus) mihi condidistis; at longe augustiorem suo patri Vespasiano Domitianus posuit, in cujus demortui honorem templum illud, quod videtis, extruxit.

Plus sit. Quam esse vestrum patrem, qualis ego sum. Plus est, præstat esse, Domitiani patrem, quam Martis, Phœbi, &c. præstat Vespasianum esse, quam Jovem.

XXVII.

Parasitus garrulus.

1. Artibus his semper cœnam, Philomuse, mereris:
2. Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
3. Scis quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
4. Rhenanam numeras Sarmaticamque manum,
5. Verba ducis Daci chartis mandata resignas:
6. Victricem laurum quam venit ante vides:
7. Scis quoties Phario madeat Jove fusca Syene;
8. Scis quota de Lybico littore puppis eat.
9. Cujus Juleæ capiti nascantur olivæ:
10. Destinet ætherius cui sua serta pater.
11. Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me
12. Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.

Vers. 1. *Arsacia*. Parthica: Arsaces enim Parthorum rex priscus suum nomen regibus posteris velut hæreditarium reliquit.

Pacorus. Parthorum rex, filius Orodis, qui Orodes Crassum ad Carrhas, urbem Mesopotamiæ, cecidit: ac subinde Pacorum suum filium in Romanos immisit, a quo illi cladibus aliquot affecti anno U. C. 702. Ante Christi ortum 52. De Parthis vide plura, pag. 126. 266.

4. Nosti quot milites sint in

in Romano exercitu, ad Rhenum; quot in Sarmatico. Sarmatia Europæa obtinebat cum fere tractum, qui nunc Tartaria minor appellatur. Pag. 5. 320. 357.

5. Resignas, ideſt, aperis, epiſtolas miſſas a Duce Dacorum. Sic illi nunciorum architecti & ſatores ſolent. proferunt litteras virorum principum, quas in circulis recitant. *Daci*. Pag. 41. 101.

6. Epiſtolam laureatam vides, antequam Romam mittatur: vel, certo tempore mittendam pronuncias, quaſi jam eſſet miſſa, & a te viſa. Epiſtolæ lauro vinctæ mittebantur ab Imperatoribus ad ſenatum, victoriæ teſtes & nunciæ. Pag. 322.

7. Scis quoties in Ægypto pluat. Nunquam aut raro id contingit. *Syene*. Pag. 73.

Fuſca. Ubi hominum color eſt fuſcus: ab æſtu ſcilicet. *Pharia*. Supra.

8. Quot naves ſolvant ex Africæ littore.

9. Tenes, quinam ſint a Domitiano coronandi in Albanis quinquatribus. Supra Ep. 19. Cæſarum familia ab Julo Æneæ filio, dicta eſt Julia & Julæa.

10. *Pater ætherius*. Jupiter. Illi certamen quinquennale Domitianus inſtituit. pag. 178. Noſti quis palma ſit donandus in ludis Jovi Capitolino conſecratis.

11. 12. Omitte iſtas artes tuas & captationes; rem factam habes, cœnabis mecum, ſed ea conditione, ut iſtas tuas narrationes, nuncios, litteras, &c. ex te non audiam. Habetur epig. ſimile pag. 112.

XXVIII.

In citiſſimum ventilatorem.

1. Summa licet velox, Agathine, pericula ludas,
2. Non tamen efficies, ut tibi parma cadat:
3. Nolentem ſequitur, tenueſque reverſa per auras
4. Vel pede, vel tergo; crine, vel ungue ſedet.
5. Lubrica Corycio quamvis ſint pulpita nimbo:
6. Et rapiant fortes vela negata Noti;
7. Securos pueri neglecta perambulat artus,
8. Et nocet artifici ventus & unda nihil.
9. Ut peccare velis, cum feceris omnia, falli
10. Non potes: arte opus eſt, ut tibi parma cadat.

Verſ. 1. Gladiatores parmas, gladios, aut haſtas ſublime jacebant, & cadentes recipiebant ſumma cum venuſtate; idque dicebatur *ventilare*. Senſus di-

distichi est: licet ludas non ludos, ut alii, sed ipsa pericula, id est, cum summo periculo ludas, nempe nudum ensem, aut gravem parmam jactando, revocando, &c. parmam tamen amittere non potes.

5. Quamvis theatrum sit madidum croco, & odoratis liquoribus, atque ideo facile sit prolabi. Pulpitum locus editior theatri erat, in quo cantores, &c. *Corycio*. Pag. 6. De illis nimbis vide Lib. Spect. Ep. 3.

6. Et venti vela rapiant, quæ theatro obtenduntur, antequam exhibeatur fabula. *Negata*. Ipsis ventis non permissa, hoc est, diligenter alligata ne auferantur a ventis.

7. *Securos*. Sine periculo amittendæ parmæ: stabiles, firmos. *Neglecta*. Velut negligenter ac remisse projecta & excepta.

8. *Artifici*. Agathino summa cum arte ac dexteritate ventilanti.

9. *Ut*. Quamvis.

10. *Arte opus est*. Non potes parmam amittere, nisi de industria, & consulto: nisi eam sponte projicias.

XXIX.

Dies natalis.

1. Prima Palatino lux est hæc orta tonanti,
2. Optasset Cybele qua peperisse Jovem:
3. Hac & Santonici genita est Cæsonia Rufi:
4. Plus debet matri nulla puella suæ.
5. Lætatur gemina votorum sorte maritus.
6. Contigit hunc illi quod bis amare diem.

Vers. 1. *&c.* Hic dies est natalis Romani Jovis, id est, Domitiani: idem est natalis Cæsoniæ uxoris Rufi. *Palatino*. Pag. 236. *Tonanti*. Pag. 258. nota 8.

2. *Cybele*. Jovis mater.

3. *Santonici*. Santones in Gallia sunt, prope agrum Pictavien sem: *la Saintonge*. Hinc oriundus Rufus. Legunt aliqui: *Hinc & sancta mei*, *&c.* Sancta vero, id est, casta uxor, proba.

4. Plus debet Cæsonia suæ matri, quam ceteræ matribus suis debeant puellæ, quod nimirum eo die sit nata, qui natalis est imperatoris: quo die aliis puellis nasci non contigit.

5. 6. Lætatur Rufus, quod eodem hoc die duo vota faciat, ambo lætissima: unum pro salute Imperatoris, alterum pro uxoris incolumitate: & bis hunc diem colat; duabus de causis hunc amet.

Vota

XXX.

Vota pro amici conſulatu.

1. Campis dives, Apollo, ſic Myrinis,
2. Sic ſemper ſenibus fruare cycnis,
3. Doctæ ſic tibi ſerviant ſorores;
4. Nec Delphis tua mentiatur ulli,
5. Sic Palatia te colant, amentque;
6. Bis ſenos cito, me rogante, faſces
7. Det Stellæ bonus annuatque Cæſar.
8. Felix tunc ego, debitorque voti
9. Caſurum tibi ruſticas ad aras
10. Ducam cornibus aureis juvencum.
11. Nata eſt hoſtia, Phœbe, quid moraris?

Verſ. 1. O Apollo, velim, optoque, ut colaris ſemper in Lycia. Eſt Lycia regio Aſiæ minoris: ejus oppidum primarium, Myra, a qua voce appellantur Myrini campi; de quibus mentio eſt apud Virgilium Lib. XII. *Hic fratres Lycia miſſos, & Apollinis agris.* Pro *campis Myrinis* legendum pugnat Scriverius *campis marinis*, ſeu *murinis*, quod idem eſt, quia in veteribus libris *u* pro *a* ſcribi ſæpe ſolet. Campas Latini vocant omnes piſces majores. Per marinas autem campas intelligendum hic docet Delphinos, qui ſunt Apollini ſacri, ut diſerte Servius teſtatur in 3. Æneid. & patet e veteribus nummis.

2. Sic tibi ſemper dicati & chari ſint ſenes cycni: ſic eorum cantu oblecteris, Feruntur illi canere ſuaviſſime, præſertim letho imminente. Hinc ſacri ſunt Phœbo.

3. *Doctæ ſorores.* Muſæ.

4. Nec tua ſacerdos templi Delphici (Delphis, Delphidis) falſa cuiquam promat oracula. Pythia vulgo illa vocabatur.

5. *Palatia.* Romana aula. Illic bibliotheca locupletiſſima, dicata Apollini.

6. *Bis ſenos faſces.* Conſulatum. Quia duodecim faſces a lictore geſtabantur ante conſulem. Pag. 351.

7. *Stellæ.* Poetæ bono, ſummo amico Martialis 1.

8. *Voti.* Hoſtiæ promiſſæ.

9. *Ruſticas.* Immolandum in mea Villa.

10. *Aureis.* Floribus & inauratis lemniſcis victimarum ornabant capita.

11. *Nata.* Parata, prompta.

Her-

XXXI.

Hercules Epitrapezius.

1. Hic qui dura ſedens porrecto ſaxa leone
2. Mitigat exiguo magnus in ære Deus,
3. Quæque tulit ſpectat reſupino ſidera vultu;
4. Cujus læva calet robore, dextra mero:
5. Non eſt fama recens, nec noſtri gloria cœli,
6. Nobile Lyſippi munus opuſque vides.
7. Hoc habuit numen Pellæi menſa tyranni,
8. Qui cito perdomito victor in orbe jacet.
9. Hunc puer ad Libycas juraverat Annibal aras:
10. Juſſerat hic Syllam ponere regna trucem.
11. Offenſus variæ tumidis terroribus aulæ,
12. Privatos gaudet nunc habitare Lares.
13. Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi,
14. Sic voluit docti Vindicis eſſe Deus.

Verſ. 1. Hic Deus, iſte exiguus Hercules, ex ære, qui ſedens in ſaxo videtur illud mollius facere, inſternendo; & ſuper porrigendo leonem, id eſt, pellem leonis.

2. *Exiguo*. Solebant collocare in menſa ſtatuas exiguas Deorum, qui eſſent quaſi præſides convivii: illos ἐπιτραπεζίους vocitabant.

3. *Tulit*. Dicitur Hercules, cum Atlas in ferendo cœlo laboraret, huic oneri humeros ſuppoſuiſſe. *Reſupino*. In tergum reflexo.

4. *Robori*. Clava e quercu facta. *Calet*. Laborat geſtando robore, & quaſi æſtuat.

Mero. Scypho, in quo merum.

5. Non eſt recens opus, aut hodiernæ famæ, artifi-

Cœli. Scalpri. *Noſtri*. Romani: aut noſtræ memoriæ.

6. Lyſippus ſtatuarius floruit Alexandri Magni ævo: qui ſe ab alio fingi in ære, præterquam a Lyſippo, vetuit.

7. *Pellæi*. Alexandri Magni, qui natus eſt Pellæ, in Macedonia. *Tyranni*. Regis.

8. Qui mortuus eſt in Perſide, & orbis illa parte, quam paucis annis perdomuerat.

9. Per hunc Herculem, ante aras Africanas Annibal juravit olim. Narrant Annibalem adhuc novennem a patre ſuo Hamilcare adactum eſſe, ut ante aras juraret ſe nunquam pacem aut fœdus cum Romanis facturum. Plura de illo legere potes pag. 101. 187.

10. Eumdem Herculem Sylla domi ſuæ habuit, & ab eo juſſus eſt dictaturam deponere. De Sylla egi pluribus

pag.

pag. 289. Dictaturam ejus invidiose regnum hoc loco vocat Martialis. *Trucem*. Crudelem; sæviſſimam enim proſcriptionem inſtituit.

11. 12. Idem Hercules exoſus aulam principum, ſuperbiæ, tumultus, & impietatis plenam, gaudet in privatorum eſſe domo ac poteſtate.

13. *Molorchi*. Pag. 215. nota 30.

14. *Vindicis*. Nomen eſt proprium eruditi poetæ, Martialis amici.

XXXII.

Statua affabre facta.

1. Alciden modo Vindicis rogabam
2. Eſſet cujus opus, laborque felix.
3. Riſit (nam ſolet hoc) levique nutu:
4. Græce numquid ait, poeta, neſcis?
5. Inſcripta eſt baſis, indicatque nomen.
6. Αυσίππου lego, Phidiæ putavi:

Verſ. 1. 2. Rogabam nuper Alcidem, quem domi ſuæ amicus meus Vindex habet, ac petebam, a quo elaboratus fuiſſet.

3. *Solet*. Statuæ in menſa collocari ſolitæ, de quibus diximus in ſuperiori epigr. vulgo pingebantur hilari vultu, conviviis idoneo.

5. *Baſis*. Lapis oblongus, aut quadratus, cui ſtatua imponitur.

6. Lego ſane hanc lin baſi vocem Αυσίππου, ſubaudi, ἔργον, opus Lyſippi. At illa tamen ſtatua tam affabre eſt facta, ut non a Lyſippo, ſed ab ipſo Phidia ſtatuariorum principe confecta eſſe merito videatur. Phidias Jovis Olympici ſtatuam ex ebore fecerat arte tanta, ut inter orbis miracula numeraretur.

XXXIII.

Prometheus.

1. Miles hyperboreos modo, Marcelline, Triones,
2. Et Getici tuleris ſidera pigra poli.
3. Ecce Prometheæ rupes, & fabula montis,
4. Quam prope ſunt oculis nunc adeunda tuis?
5. Videris immenſis cum conclamata querelis
6. Saxa ſenis: dices durior ipſe fuit.
7. Et licet hoc addas: potuit qui talia ferre,
8. Humanum merito finxerat ille genus.

Verſ. 1. 2. O Marcelline, modo tuleris, id eſt, brevi con-

continget, ut feras asperitatem cœli, & soli Getici. Ad Getas & Scythas brevi iturus es, ut ibi bellum geras. De bello Sarmatico, seu Getico, quod gessit Domitianus, sæpe antea dictum.

Triones. Pag. 302. *Getici* p. 320. *Hyperborios*. Pag. 179.

3. Quam prope accedes ad illas rupes, illos montes, quos fabulæ celebrarunt, quibus affixus est Prometheus? eos oculis ipsis cernes. De Prometheo dictum. Pag. 8.

5. Cum videris illa saxa, quæ adhuc Promethei, senis miseri, de Jove & suarum pœnarum diritate conquerentis, gemitibus personant, dices profecto duriorem illum saxis fuisse, qui tam dira supplicia pati potuerit.

7. 8. Poteris hoc addere: jure homines, durum genus, & ad mala toleranda natum, ab homine tam duro formatos jactari.

XXXIV.

Ædificator.

1. Gellius ædificat semper: modo limina ponit,
2. Nunc foribus claves aptat; emitque seras:
3. Nunc has, nunc illas reficit mutatque fenestras:
4. Dum tantum ædificet, quodlibet ille facit:
5. Oranti nummos ut dicere possit amico
6. Unum illud verbum Gellius, ædifico.

Vers. 4. Nihil recusat laboris ac operæ: modo ædificet.

6. *Ædifico.* Atque adeo nihil tibi largiri, nihil mutuo dare possum.

XXXV.

Hæreditate deceptus.

1. Hæredem cum me partis tibi, Gallice, quartæ
2. Per tua jurares sacra, caputque tuum,
3. Credidimus (quis enim damnet sua vota libenter)
4. Et spem muneribus fovimus usque datis.
5. Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
6. Misimus, Ætola de Calydone putes.
7. At tu continuo populumque, patresque vocasti,
8. Ructat adhuc aprum callida Roma meum:
9. Ipse ego (quis credat) conviva nec ultimus hæsi:
10. Sed nec costa data est, caudave missa mihi.
11. De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
12. De nostro nobis uncia venit apro.

Vers. 1.

Verſ. 1. *Partis quartæ*. Tuorum bonorum. Subaudi, fore. Cùm jurares me certo a te inſtitutum iri tuum hæredem.

2. *Sacra*. Deos penates, & domeſticos. Et erant propria quædam, atque avita in certis familiis ſacrificia, religiones, ac cæremoniæ.

3. *Quis enim, &c.* Facile enim credimus, quæ cupimus.

4. Et munera tibi aſſidue dando efficere conati ſumus, ut ſpem nobis a te injectam, ratam eſſe velles, aliquando impleres.

5. *Inter quæ*. Subaudi, munera. *Laurentem*. In Laurente ſylva captum. Erat illa in Latio, & præſtantes apros paſcebat. *Rari ponderis*. Inuſitatæ molis.

6. *Ætola, &c.* Jure credas illum in ſylvis ad urbem Ætoliæ Calydonem poſitis, captum; qualis ille fuit aper a Meleagro interfectus. Conſule Librum Spect. Ep. 14.

7. *Vocaſti*. Ad cœnam.

8. *Callida*. Quaſi gauderet eſſe me deceptum. *Meum*. A me tibi miſſum.

9. *Heſi*. In ultimo lecto ad menſam cum aliis accubui. Lege Lib. 6. Ep. 50.

11. 12. De quarta parte tuæ hæreditatis, quam mihi promittebas, quid mihi ſperandum eſt, cum de meo apro, ne minima quidem particula ad me pervenerit? De quadrante, & uncia lege pag. 242.

XXXVI.

Ab amico togam argute petit.

1. Hæc eſt illa meis multum cantata libellis,
2. Quam meus edidicit lector, amatque togam.
3. Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
4. Munus; in hac ibam conſpiciendus eques;
5. Dum nova, dum nitida fulgebat ſplendida lana
6. Dumque erat auctoris nomine digna ſui.
7. Nunc anus, & tremulo vix accipienda tribuli,
8. Quam poſſis niveam dicere jure tuo,
9. Quid non longa dies, quid non conſumitis anni?
10. Hæc toga jam non eſt Partheniana: mea eſt:

Verſ. 1. *Hæc eſt, &c.* Vide Lib. 8. Ep. 28.

2. Cujus laudes illi, qui mea legunt carmina, didicerunt, & memoriter tenent.

3. *Vatis munus*. Mihi a Parthenio data, vate optimo. De illo extat Epig. 6. Lib. V. & Libro XII. Epigr. 11. Legunt nonnulli: *Memorabiles viſu munus*. Explicare etiam poſſis *vatis munus*, munus datum vati, nempe mihi: *memorabile*, quia mirum quiddam ac novum eſt dari vatibus munera.

4. *Eques*.

4. *Eques*. Lege Lib. V. Ep. 19.

7. *Tribuli*. Tribulis vocatur, qui est in aliqua tribu Romana: civis Romanus quilibet, præsertim pauper, & obscurus: quia plebeii suo nomini vulgo addebant nomen suæ tribus Pag. 124.

8. *Niveam*. Panni detriti candidum fere colorem habent; alio illo colore, quem recentes induerant, excusso & dilapso.

XXXVII.

Liber magnus, liber malus.

1. Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
2. Carmina quod faciam, quæ brevitate placent.
3. Confiteor: sed tu bis denis grandia libris
4. Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.
5. Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum:
6. Tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.

Vers. 4. *Magnus*. Egregius, ingeniosus: ironice. *Priami prælia*. Iliadem aliquam latinam fecerat, aut Homericam in versus latinos verterat.

4. Mea carmina similia sunt exiguis statutis, sed vivis ac spirantibus; qualis fuit ea pueri, quam Brutus tanto in pretio habuit, aut Lagonis. Tu longa carmina moliris, sed exanguia, & lutea, ut Gigantum statuas. *Bruti puerum*. Lib. 2. Ep. 55. *Lagona*. Erat Lagon puer festivus ac subdolus, cujus statuam Lycisçus quidem teste Plinio lib. 34. cap. 8. fecerat insigni artificio.

XXXVIII.

Fraterna pietas.

1. Quod semper Superos invito fratre rogasti:
2. Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
3. Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
4. Optabat, quamvis sit minor, ire prior.
5. Tu colis Elysios, nemorisque habitator amœni
6. Esse tuo primum nunc sine fratre cupis;
7. Et si jam nitidis alternus venit ab astris,
8. Pro Polluce mones Castora ne redeat.

Vers. 1. 2. Quod sæpe a Diis petieras, hoc tibi demum contigit, ut ante fratrem morereris. De istis fratribus, vide lib. I. Ep. 32.

5. *Elysios*. Pag. 302.

6. Cum viveres, non poteras ab eo sejungi; at nunc obita morte, times, ne tibi jungatur, ne moriatur.

8. Si-

8. Si Caſtor, qui alternis obit pro fratre (pag. 47. 259.) in Elyſium redit, moriturus nempe & petiturus inferos, interim dum Pollux ſuperos petet ac vivet: tu Caſtorem exemplo tuo mones, ne ad ſuperos redeat pro Polluce, ne vivere velit loco Pollucis fratris, ſed mori amet, ac ſemper in Elyſiis campis tecum eſſe velit. Sic pietas tua vel ipſos erudire Deos poteſt. Pag. 259.

XXXIX.

Amicitia vita potior.

1. Si credis mihi, Quincte (quod mereris)
2. Natales, Ovidi, tuos Apriles,
3. Ut noſtras amo Martias Kalendas.
4. Felix utraque lux, dieſque nobis
5. Signandi melioribus lapillis!
6. Hic vitam tribuit, ſed hic amicum:
7. Plus dant, Quincte, mihi tuæ Kalendæ.

Verſ. 1. Si credis mihi dicenti verum, quod mereris audire, o Quincte Ovidi.

2. Amo tuum diem natalem, qui incidit in menſem Aprilem; non ſecus, ac meum qui in Martias Kalendas incurrit.

3. *Kalendas*. Pag. 216.

4. *Lapillis*. Conſule Lib. VIII. Epig. 45.

7. *Plus dant*. Quia dant amicum, mihi vita mea chariorem.

XL.

Munus eleganter petit.

1. Natali tibi, Quincte, tuo dare parva volebam
2. Munera: tu prohibes: imperioſus homo es.
3. Parendum eſt monitis: fiat quod uterque jubemus;
4. Et quod utrumq; juvat: tu mihi, Quincte, dato:

Verſ. 3. 4. Fiat, quod utrique placet: recuſas tu mea munera, hoc putas ad magnificentiæ tuæ commendationem pertinere: non accipies; nulla dabo: me juvat, mihi utile eſt nec injucundum, a te accipere: da, mitte. Hoc ambobus erit percommodum, tibi ad gloriam, mihi ad rem & lucrum.

XLI.

Excuſat agreſtia munera.

1. Si mihi Picena turdus palleret oliva,
2. Tenderet aut noſtras ſylva Sabina plagas,

3. Aut

3. Aut crescente vadis traheretur arundine præda,
4. Pinguis & implicitas virga teneret aves.
5. Chara daret solemne tibi cognatio munus:
6. Nec frater nobis, nec prior esset avus.
7. Nunc sturnos inopes, fringillarumque querelas
8. Audit, & arguto passere vernat ager:
9. Inde salutatus picæ respondet arator:
10. Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.
11. Mittimus ergo tibi parvæ munuscula cortis,
12. Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

Vers. 1. Si esset mihi copia turdorum oliva saginatorum. *Picena*. Pag. 51.

Palleret. Pinguis, & obesus esset: adeps enim pallidi, & flavi ferme coloris est, eumque colorem affert.

2. Aut si venarer in sylva Sabina. Plagæ sunt retia arctiora. Venatoris est retia tendere; hoc sylvæ tribuitur, poetico more.

3. Si piscarer. Arundines, aut virgæ salignæ captandis piscibus idoneæ, crescunt in vadis seu ripis fluviorum, utpote locis humidioribus.

4. *Pinguis*. Visco imbuta.

5. Mitterem tibi solemnia munera e convivio, quo se cognati semel in anno pro more accipiunt eadem mensa. Vel exciperem te opipara cœna, ut cognati solent. Moris erat, inquit Val. Max. lib. 2. c. 1. ut 11. Kalend. Martias cognati omnes idem celebrarent convivium, Charistia vocatum, ut si quæ inter necessarios querelæ esset orta, id inter sacra mensæ, & animorum hilaritatem, tolleretur.

7. Sturni, fringillæ, aviculæ viles. *Querelas*. Imitatur avium illarum cantus vocem queritantium.

8. *Vernat*. Verno tempore personat.

11. *Cortis*. Cors, cortis, sive, cohors, locus est in villa: ubi altilia servantur. *la basse cour*.

10. Si hæc vilia munera non contemnis, illa sæpe tibi mittam, ac te instar propinqui crebro accipiam.

XLII.

Cur amicis non mittat munera;

1. Luce propinquorum, quæ plurima mittitur ales:
2. Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flace, paro.
3. Succurrit nobis ingens, onerosaque turba;
4. In qua se primum quisque meumque putat.
5. Demeruisse duos, votum est: offendere plures:

6. Vix tutum; multis mittere dona, grave eſt.
7. Qua poſſum ſola veniam ratione merebor:
8. Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

V. 1. *Luce propinquorum.* In Chariſtiis, cum ad ſe invicem propinqui ventitare & ſolemnem diem epulis muneribuſque celebrare ſolent. Vide ſuperius epigr.

3. *Succurrit.* Venit in mentem: ſe nobis offert.

4. *Meum.* Mihi cognatum.

5. Mihi eſſet in votis, nihil mihi eſſet optatius, quam duos amicos mittendis muneribus conciliare.

7. Nulli dabo munera, ita neminem offendam: nemo de me conqueretur.

Stellæ. Pag. 33. *Flacce* pag. 65. not. 4.

XLIII.

Nympha ſua carmina dedicat.

1. Nympha ſacri regina lacus, cui grata Sabinus,
2. Et manſura pio munere templa dedit.
3. Sic montana tuos ſemper colat Umbria fontes,
4. Nec tua Bajanas Sarſina malit aquas:
5. Excipe ſollicitos placide, mea dona, libellos:
6. Tu fueris Muſis Pegaſis unda meis.
7. Nympharum templis quiſquis ſua carmina donat,
8. Quid fieri libris debeat, ipſe monet.

V. 1. *Nympha, &c.* Pag. 299.

2. *Templa*, Intellige cryptam aliquam, aut ſuperimpoſitum capiti lacus ædificium, cum aliquot ornamentis. *Sabinus.* Amicus Martialis, de quo plura Vide Lib. 7. Ep. 80.

3. *Umbriæ.* Pag. 334.

4. *Sarſinia.* Pag. 169. *Bajanas.* Pag. 64. 209.

6. Eodem eris loco apud me, quo eſt apud poetas Hippocrene, ſeu fons Caballinus, a Pegaſo terram ungula ſcalpente, productus. Eſt ille fons in Bœotia, prope Heliconem, Muſis ſacer.

8. Nempe monet aqua eſſe delenda, in undas abjicienda. Nymphæ enim proprie ſunt aquarum Deæ.

XLIV.

Emptor magnificus.

1. In ſeptis Mamurra diu multumque vagatus,
2. Hic ubi Roma ſuas aurea vexat opes;
3. Ingentes menſas & opertos exuit orbes,
4. Expoſituque alte pingue popoſcit ebur.

5. Et

5. Et teſtudineum menſus quater hexaclinon,
6. Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.
7. Conſuluit nares, an olerent æra Corinthon,
8. Culpavit ſtatuas &, Polyclete, tuas.
9. Et turbato brevi queſtus cryſtallina vitro,
10. Myrrhina ſignavit ſepoſuitque decem.
11. Expendit veteres calathos &, ſi qua fuerunt
12. Pocula Mentorea nobilitata manu.
13. Et virides picto gemmas numeravit in auro:
14. Quidquid & in nivea grandius aure ſonat.
15. Sardonychas veros menſa quæſivit in omni,
16. Et pretium magnis fecit jaſpidibus.
17. Undecima laſſus cum jam diſcederet hora,
18. Aſſe duos calices emit, & ipſe tulit.

Verſ. 1. 2. *In ſeptis*. Pag. 107. nota 5. *Vexat opes*. Merces pretioſas, exponendo, deportando, oſtentando, quaſi fatigat.

3. Exuit menſas velo quodam, quo pretioſæ vulgo merces teguntur, ne pulvere, aut aura corrumpantur.

4. Mercatorem, ut opus aliquod ex ebore inſigniter elaboratum, & expoſitum in ſuperiori aliqua parte officinæ demitteret, rogavit, quaſi ſpectaturus & empturus.

5. Quater menſus eſt hexaclinon, ideſt, ſex lectulos diſcubitorios inter ſe ſimul compactos, & in circuli, ſeu ſemicirculi formam factos, teſtudinum picturis ornatos, ſed eam, cur illos non emeret, ingemiſcens cauſam edidit, quod iſte hexaclinus non eſſet ſatis amplus, ut ambiret menſam citream, quam habere ſe domi dictitabat ἓξ, ſex κλίνων lectus: ἑξάκλινος, torus major, ſex minores continens. Stibadium etiam vocabatur.

7. Admovit naribus vaſa pretioſa, ut olfaciendo cognoſceret, an eſſent ex ære Corinthiaco. L. Mummius Corinthum cepit & incendit anno ab U. C. 608. in ea erant innumeræ ex omni metallo ſtatuæ, quæ incendio conflatæ, in rivos urbe tota fluxerunt: ex ea metallorum permiſtione natum eſt æs Corinthiacum, ſive Ephyreium, tanto apud veteres in pretio.

8. Statuas Polycleti, ſtatuarii eximii, quaſi dure fuſas, & infabre, contempſit.

9. Queſtus eſt cum mercatore vaſorum cryſtallinorum, & contendit ea non e pura cryſtallo conſtare, ſed vitiata, ſcilicet admiſto vitro. Gruterus ait legendum eſſe, *nitro*: nitrum enim admiſtum liquidæ materiæ, ſive expreſſo a lapillis æquoreis, calculiſque ſucco, ex quo fit vitrum,

conciliat illi dignitatem aliquam, ac ſpeciem cryſtalli ſimillimam.

10. De poculis Myrrhinis vide Lib.4. Epigram. 71. *Sepoſuit*. Quaſi ea domum vellet emere, ac domum ferre.

11. *Calathos*. Vel ſunt elegantia vaſa e vimine, quibus mulieres lanam, fila, flores, &c. deponunt: vel calices quidam in ſacris adhiberi ſoliti.

12. *Mentorea*. Pag.159.

13. In poculis aureis, quæ gemmis erant quaſi picturata & variata, numeravit uniones.

14. Inaures e gemmis majoribus.

15. 16. *Sardonychas*. Pag. 212. jaſpis gemma eſt coloris viridis ut plurimum.

17. *Undecima*. Altera ante ſolis occaſum. Duodecim horas diei ſemper numerabant, ac totidem noctis.

18. *Ipſe tulit*. Quia ſervo carebat.

XLV.

Corona e roſis.

1. Seu tu Pæſtanis genita es, ſeu Tiburis arvis,
2. Seu rubuit tellus Tuſcula flore tuo:
3. Seu Prænestino te villica legit in horto,
4. Seu modo Campani gloria ruris eras:
5. Pulcrior ut noſtro videare corona Sabino:
6. De Nomentano te putet eſſe meo.

V. 1. *Præſtanis*. Pag.211. *Tiburis*. Pag.36. 209.

2. 3. *Tuſcula* 334. *Prænestino* 215. *Campani*. Campania, pars eſt Italiæ, ubi Roma, &c.

5. *Sabino*. Pag.365.

6. *Nomentano meo*. Villa quam habeo prope Nomentum. Eſt urbs Latii, nunc *Lamentana*.

XLVI.

Arbor feliciter ſata.

1. In Tarteſſiacis domus eſt notiſſima terris,
2. Qua dives placidum Corduba Bætin amat:
3. Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
4. Et linit Heſperium bractea viva pecus;
5. Ædibus in mediis totos amplexa Penates
6. Stat platanus denſis Cæſariana comis:
7. Hoſpitis invicti poſuit quam dextera felix,
8. Cœpit, & ex illa creſcere virga manu.

9. Aus

9. Auctorem : dominumque nemus ſentire videtur
10. Sic viret, & ramis ſidera celſa petit.
11. Sæpe ſub hac madidi luſerunt arbore Fauni :
12. Sæpe ſub hac latuit ruſtica fronde Dryas.
13. Dumq; fugit ſolos nocturnum Pana per agros,
14. Terruit & tacitam fiſtula ſera domum.
15. Atque oluere Lares, commeſſatore Lyæo,
16. Crevit & effuſo lætior umbra mero;
17. Heſterniſque rubens dejecta eſt herba coronis,
18. Atque ſuas potuit dicere nemo roſas.
19. O dilecta Deis, o magni Cæſaris arbos,
20. Ne metuas ferrum, ſacrilegoſque focos.
21. Perpetuos ſperare licet tibi frondis honores:
22. Non Pompejanæ te poſuere manus.

Verſ. 1. *Tarteſſiacis*. Hiſpanis. Adi pag. 333.

2. *Corduba*. *Bætis*. Pag. 257. nota 7.

3. 4. Ubi ovium vellera nativo quodam auri colore tincta ſunt, adeo ut videantur oves laminis, & bracteolis aureis indutæ. Pagin. 83.

Amplexa. Quæ ramos totam in domum late fundit, *Penates*. Pag. 72.

6. *Cæſariana*, a Cæſare dictatore plantata.

8. *Virga*. Tenuis arbuſcula: ſurculus.

9. 10. *Nemus*. Arbor ingens, toti ſylvæ par, quaſi conſcia ſe a Cæſare plantatam fuiſſe, læta creſcit, ac in cœlum uſque tollitur.

11. *Fauni*. Nemorum Dii. Oblongis auribus, villoſo corpore, pedibus caprinis pingebantur. *Madidi*. Ebrii.

12. *Dryas*. Pag. 192.

13. *Nocturnum*. Noctu obambulantem. *Dumque* in hoc verſu poſitum eſt pro *Dum*. Sic *quandoque* pro *quando* reperitur non ſemel apud Horat. *Jamque* pro *jam* apud Martialem, Lib. 7. Epigr. 41. *Quumque* pro *quum* apud Catonem, &c.

14. *Fiſtula*. Panos. Dum fugit Pana Dryas, venit in domum iſtam, ibique latuit ſub arbore: venit & Pan cum ſua, quam ſemper geſtat, fiſtula: & familiam ſomno ſepultam excitavit, ac terruit repentino cantu.

15. Domus tota ſæpe oluit odore vini, cum Bacchus ſub arbore illa comeſſaretur, epuliſque indulgeret. *Lyæo*. Pag. 71. *Lares*. Pag. 156. 168.

16. Et irrigata mero humi fuſo arbor crevit, umbramque hoſpitalem auxit.

17. 18. Herba rubens, ideſt, ſparſa rubris, & roſeis coronis, quæ pridie ab epulantibus Faunis ac Satyris geſtatæ fuerant, quæque illis

dormientibus, & ſtertentibus capiti deciderant, herba, inquam, ab iiſdem jacentibus dejecta fuit, ideſt, proculcata, potrita, & coronæ ipſæ roſeæ promiſcue humi jacuerunt, ita ut nemo ſuas coronas, & roſas a vicinis roſis coroniſque diſtingueret.

20. Non Pompeii victi, & infelicis, ſed Cæſaris victoris manu ſata es.

XLVII.

Olens purpura.

1. Tinctis murice veſtibus, quod omni
2. Et nocte utitur, & die Philænis,
3. Non eſt ambitioſa, nec ſuperba;
4. Delectatur odore, non colore.

V. 4. Non amat purpuram ut eam oſtentet, & ejus colore aliis placeat: verum ut ejus odore obruat, ac mitiget fœdum, quo laborat ipſa, odorem. Eſt autem purpuræ præſertim recens infectæ, aut bis tinctæ, gravis odor.

XLVIII.

Statua Domitiani.

1. Herculis in magni vultus deſcendere Cæſar
2. Dignatus, Latiæ dat nova templa viæ:
3. Qua Triviæ nemoroſa petit dum regna viator,
4. Octavum domina marmor ab urbe legit.
5. Ante colebatur voti, & ſanguine largo:
6. Majorem Alciden nunc minor ipſe colit.
7. Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores;
8. Illi ſecurus vota minora facit.

Verſ. 1. Cæſar non dedignatus Herculis cultu, vultuque poni, eidem Herculi templum extruxit in Latia, hoc eſt, Appia via.

3. 4. Qua viator petens nemus ingens Dianæ Aricinæ, in quo illa veluti regnat, coliturque; legit octavum lapidem ab urbe. Lapides in publicis viis ponebantur, in iiſque ſcribebatur, quot eſſent ab urbe paſſuum millia, pag. 36. *Triviæ*. Pag. 3. *Regna*. Sacerdos Dianæ Aricinæ vocabatur rex nemorum: eratque vulgo ſervus aliquis fugitivus, qui tandiu regnum illud obtinebat, dum fortior alius fugitivus ſuperveniens, eum ſingulari certamine ſuperaſſet.

5. 6. Antea colebatur Hercules votis hominum, & victimarum ſanguine. Nunc ipſe ſe minorem Domitiano fate-

fatetur, & eum tanquam majorem Herculem colit.

7.8. Hunc, majorem nempe Herculem, sive Cæsarem, alius opes poscit, alius honores, alius alia, illi, (minori, seu vero Herculi) facit quilibet vota minora, res viliores ab eo petit, *fecurus*, ideſt, minime dubitans quin Hercules verus, & minor, id in bonam partem accipiat; conscius nimirum se minus posse, inferiorem esse Domitiano, vel; *fecurus*, ideſt: Cum opes, honores, & alia id genus majoris momenti a Domitiano postulentur, merito quisque timet, ne illa non impetret: verum cum ab Hercule minora dona poscit, parum laborat, utrum eadem obtineat, nec ne. Vel, facile sperat se illa consecuturum, cum sint minoris momenti, ac dari facile possint, nec ausurum Herculem ea negare.

LXIX.

Herculis ſtatua Domitiani vultum gerens.

1. Alcide, Latio nunc agnoscende Tonanti,
2. Postquam pulcra Dei Cæsaris ora geris,
3. Si tibi tunc isti vultus, habitusque fuissent,
4. Cesserunt manibus, cum fera monstra tuis,
5. Argolico famulum non te servire tyranno
6. Vidissent gentes, sævaque regna pati:
7. Sed tu jussisses Eurysthea, nec tibi fallax
8. Portasset Nessi perfida dona Lichas.
9. Oetæi sine lege rogi securus adisses:
10. Astra patris summi, quæ tibi pœna dedit.
11. Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ:
12. Nec Styga vidisses Tartareumque canem.
13. Nunc tibi Junofavet, nunc te tua diligit Hebe:
14. Nunc te si videat Nympha, remittet Hylan.

Verſ. 1. 2. O Hercules, quem nunc Jupiter, qui præcipue in Latio, in Capitolio colitur, merito agnoscit pro suo filio, cum ora Domitiani geris. Herculem pro Jovis filio agnoscere negabat Juno: ille ut hoc probaret, orbem peragravit, monstra domuit, &c. Nunc istis opus non erit, inquit Martialis, facile Jovis filius agnoscetis.

5. *Argolico tyranno.* Eurysthæo Argivorum regi. Erat ille Stheneli filius, Persei nepos. Cum eodem fere tempore nasciturus esset, atque Hercules Jovis, & Alcmenæ filius; Juno impetravit a Jove, ut ille alteri imperaret, qui prior amborum nasceretur: cumque prior in lucem venturus esset Hercules, fecit ut Eurysthæus septimo mense ederetur;

tur: itaque illi adddictus in ſervitutem Hercules fuit, ac, eo jubente, graviſſima in domandis orbe toto monſtris adiit pericula. Vide Ovid. Metam.

7. *Juſſiſſes Euryſthea.* Imperaſſes Euryſtheo; eum juſſiſſes id facere, quod præcepiſſes. Euryſthea, pro, Euryſtheum, græca terminatione poſuit.

8. *Neſſi dona.* Neſſus, unus e Centauris, cum Dejaniram uxorem Herculis abripere tentaret, ab Hercule ſagitta confixus eſt. Neſſus moriens & ultionem ſpirans veſtem quamdam ſuo ſanguine, qui præſentiſſimum venenum erat, imbutam, Dejaniræ dedit, futurum affirmans, ut ſi veſtem hanc Hercules indueret, numquam alterius feminæ amore caperetur. Dejanira tunicam hanc ad virum ferendam dedit Lichæ Herculis ſervo: vix illam humeris Hercules impoſuerat, cum igne ſacro, & furore correptus, Licham in flumen præcipitavit, ipſe in rogum, quem in Oeta monte ſtruxerat, inſiluit: Dejanira laqueo ſibi fauces fregit.

9. 10. Non fuiſſet opus tibi rogo, morte, ac ſupplicio ut fieres immortalis.

11. Hercules Omphalæ, regis Lydorum filiæ, amore demens, lanam cum ea traxit, & colum tractavit.

12. Cerberum ex inferis eduxit, Euryſtheo jubente. Styx palus inferorum eſt.

13. *Tibi favet.* Juno Herculi recepto in cœlum tandem reconciliata, ſuam filiam, Heben dictam, juventutis præſidem Deam, illi nuptum dedit. Martialis idcirco placatam Herculi Junonem affirmat, quia vultum Cæſaris gereret: aut certe, illi magis, quam antea idcirco favere dicit.

14. Hylas puer charus Herculi, ab Nympha Amphidatia raptus eſt. Nunc, inquit Noſter, cum vultu Cæſaris adeo eſt formoſus Hercules, ut ipſum, Hyla remiſſo & valere juſſo, Amphidatia ſit amatura.

L.

In elamoſum ludimagiſtrum.

1. Quid tibi nobiſcum eſt ludi ſcelerate magiſter,
2. Inviſum pueris virginibuſque caput?
3. Nondum criſtati rupere ſilentia galli:
4. Murmure jam ſævo verberibuſque tonas.
5. Tam grave percuſſis incudibus æra reſultant:
6. Cauſidicum medio cum faber aptat æquo.
7. Mitior in magno clamor furit amphitheatro,
8. Vincenti parmæ cum ſua turba favet.

9. Vi-

9. Vicini ſomnum non tota nocte rogamus:
10. Nam vigilare leve eſt, pervigilare grave.
11. Diſcipulos dimitte tuos: vis, garrule, quantum
12. Accipis ut clames, accipere ut taceas?

Verſ. 2. *Inviſum*. Ob ferulam & plagas.

5. *Tam grave*. Tam graviter; (neutrum pro adjectivo) æra impoſita incudibus reſonant.

6. Cum faber ferrarius imponit ſtatuam Cauſidici alicujus ex ære factam, equo itidem æreo. Cauſidici nobiles equeſtri ſtatua ſæpe donati fuere. Juvenalis Sat. 7.

7. *Amphitheatro*. Pag. 4.

8. *Parmæ*. Gladiatori parma inſtructo. Gladiatores quidam parma utebantur, quos ob eam rem parmularios quoque nuncupabant. Vulgo Thraces appellabantur. Vide pag. 16. 99. 249.

Sua turba. Populus benevolus.

10. *Pervigilare*. Per noctem totam vigilare. Rogamus te nos vicini tui, ut per te liceat nobis aliqua ſaltem noctis parte dormire; ſi tota non licet.

12. *Clames*. Docendo diſcipulos. Viſne tibi dem tamtundem pecuniæ, ut quieſcas & taceas; quantum a tuis diſcipulis accipis, ut te noſque clamando defatiges?

L I.

O mores! o tempora!

1. Dixerat, *o Mores! o Tempora!* Tullius olim
2. Sacrilegum ſtrueret cum Catilina nefas?
3. Cum gener, atque ſocer diris concurreret armis,
4. Mœſtaque civili cæde maderet humus.
5. Cur nunc, *o Mores!* cur nunc, *o Tempora!* dicis?
6. Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid eſt?
7. Nulla ducum feritas, nulla eſt inſania ferri:
8. Pace frui certa, lætitiaque licet.
9. Non noſtri faciunt, tua quod tibi tempora ſordent.
10. Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

Verſ. 2. Catilina bellum civile movit ann. U. C. 690. Hoc Cicero conſul extinxit. Vide Saluſtium, & ipſum Ciceronem multis in locis, ac præcipue initio primæ Catilinariæ, ubi hæc habet verba. O tempora! o mores! ſenatus hæc intelligit, conſul videt, &c.

3. *Gener atque ſocer*. Pompejus & Cæſar: filiam enim Cæſaris duxerat Pompejus. Exortum eſt hoc civile bellum anno U. C. 700.

10. Tempora, & noſtri mores publice ſunt optimi; tui privatim ſunt pravi.

LII.

Leo & aries.

1. Maſſyli leo fama jugi pecoriſque maritus
2. Lanigeri, mirum qua cojere fide.
3. Ipſe licet videas: cavea ſtabulantur in una;
4. Et pariter ſocias carpit uterque dapes.
5. Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis:
6. Concordem ſatiat ſed rudis agna famem.
7. Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles,
8. Ut niteant celſi lucida ſigna poli?
9. Sidera ſi poſſent, pecudeſque feræque mereri;
10. Hic aries aſtris, hic leo dignus erat.

Verſ. 1. Leo quidam inſignis & famoſus e Maſſylis montibus (ſunt in Africa) & aries (qui vir gregis a Virgilio dicitur) mirificam inter ſe amicitiam exercent.

3. Potes frui hoc admirabili ſpectaculo: accede, contemplare.

5. 6. Glande non veſcuntur, aut herbis: agna pariter ſaturantur.

Rudis. Cruda: an tenera potius (*Sic rudem capellæ fœtum* hœdum lactentem vocat Lib. 7. Ep. 26.

7. *Nemees terror*. Leo Nemeæus. Pag. 7. 211.

Proditor Helles. Aries a quo Helle in mare excuſſa fuit. Pag. 282.

LIII.

A Libero Liberi dona petit.

1. Liber, Amyclęa frontem vittate corona,
2. Qui quatis Auſonia verbera Graja manu,
3. Clauſa mihi texto cum prandia vimine mittas,
4. Cur comitata dapes nulla lagena venit?
5. Atqui digna tuo ſi nomine munera ferres,
6. Scis, puto debuerint quæ mihi dona dari.

Verſ. 1. O liber (nomen eſt pugilis) corona donate ob victoriam pugilatu reportatam. Pugilatum exercuere maxime Spartani, eaque laude in primis floruit **Pollux**, natus Amyclis: Amyclæ porro urbs Peloponneſi prope Spartam, pag. 386. De pugilibus, pag. 336.

2. Qui Latinus cum ſit, Græcorum ludos exerces arte pari, & laude eadem, atque Græci, qui non minus

ſcite ac valenter pugno verberas adverſarium, atque aliquis pugil Græcus.

3. Cum mihi cibos mittas in ſportula. Erat illa calathus vimineus, in quo dapes olim clientibus a Dominis & patronis mittebantur, pag.145.

5. *Tuo nomine.* Liber enim Bacchum ſignificat. Magna quippe in vino libertas, vel potius licentia.

6. *Quæ dona.* Nempe vina.

LIV.

Sutores diteſcunt; egent poetæ.

1. Dentibus antiquas ſolitus producere pelles,
2. Et mordere luto putre vetuſque ſolum:
3. Præneſtina tenes decepti regna patroni,
4. In quibus indignor ſi tibi cella fuit.
5. Rumpis & ardenti madidus cryſtalla falerno,
6. Et cœnas domini cum Ganymede tui.
7. At me litterulas ſtulti docuere parentes:
8. Quid cum grammaticis rhetoribuſque mihi?
9. Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos,
10. Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

V. 1. *Producere.* Extendere: eas mordicus apprehendendo. *Pelles antiquas.* Soleas vetuſtate detritas, quibus uti ſolent illi veteramentarii.

2. *Solum.* Soleæ coriũ durius quod calceo ſubſternitur.

3. Poſſides in agro Præneſtino (Pag.215.) villam tibi legatam a tuo patrono, cujus hæreditatem captaſti: quo in agro mirum eſt & indignũ ſi cellam habuiſti antea. Servi in cellis, id eſt, anguſtis & obſcuris cubiculis, & angulis cubabant. Ne tali quidem cella dignus erat iſte ſutor.

5. *Rumpis.* Ita ut nimio vini pondere frangantur. *Madidus.* Ebrius. *Criſtalla.* Scyphos e cryſtallo. *Falerno.* Pag.36. 119.

6. *Ganymede.* Servo elegante ac lauto: qualis Ganymedes fuit, Jovis pincerna. Pag.33.

7. *Litterulas.* Studia humanitatis, poeſim, &c.

8. *&c.* Quid Muſas coluiſſe mihi prodeſt? ſi dives eſt ſutor cum ſuis, calceis, ſi tam liberales patronos invenit? dum ego cum litteris, & calamis meis, aut avaros, aut nullos habeo, egeo & eſurio? *Thalia.* Pag.183. 326.

LV.

Effigies adoleſcentis mortui.

1. Effigiem tantum pueri pictura Camoni,

2. Servat, & infantis prima figura manet.
3. Florentes nulla signavit imagine vultus,
4. Dum timet ora pius muta videre pater.

Vers. 1. 2. Hæc imago Camoni mortui, eum exhibet puerili dumtaxat cultu, & habitu, qualis infans erat.

3. 4. Pater Camoni nullam imaginem pingi voluit, in qua idem Camonus repræsentaretur, qualis erat cum obiit, nempe florenti, juvenilique vultu: ne illa imago filium grandiorem, sed mutum & tacitum exhibens, paternum dolorem augeret: maluit puerum, quam adolescentem pingi. Vid. ep. 57. infra.

LVI.

Balneum ligneum, thermæ marmoreæ.

1. Non silice duro, structilive cæmento,
2. Nec latere cocto, quo Semiramis longam
3. Babylona cinxit, Tucca balneum fecit:
4. Sed strage nemorum, pineaque compage,
5. Ut navigare Tucca balneo possit.
6. Idem beatas lautus extruxit thermas
7. De marmore omni, quod Carystos invenit,
8. Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas misit,
9. Et quod virenti fonte lavit Eurotas.
10. Sed ligna desunt: subice balneum thermis.

Vers. 1. Cæmentum sunt lapides minutatim cæsi, fragmina saxorum, quæ maxime in fundamentis ædificiorum ponuntur.

2. 3. Babylon urbs Asiæ celeberrima, quam Semiramis latere cocto, quia hæc regio lapide caret, cinxit. Vide Lib. Spect. Ep. 1.

Balneum. Accipit hoc in loco balneum pro receptaculo aquæ frigidæ, thermas pro receptaculo aquæ calidæ. Conveniebat porro, ut thermæ fierent ligneæ, & ita essent aquis calefaciendis aptiores; balnea vero marmorea, quia marmor ligno frigidus est. 6. *Thermas.* p. 5.

7. *Carystos.* Est insulæ Eubææ (*Negroponte*) oppidum, marmore suo inclytum.

8. *Synnas*; vel Synnada, est urbs Phrygiæ. *Sinnadæ. Nomas*, sive Numidia, regio Africæ. Nomades interdum appellantur ipsi incolæ, & populi Numidiæ.

6. *Eurotas.* Est fluvius Peloponensi; prope quem marmor eruitur.

10. Deficiunt ligna, quibus thermæ calefiant, ligno utere, quo balneum est constructum. *Subice.* Subjice, suppone.

Ima-

LVII.

Imago adoleſcentis mortui.

1. Hæc ſunt illa mei, quæ cernitis ora, Camoni:
2. Hæc pueri facies primaque forma fuit.
3. Creverat hic vultus bis denis fortior annis,
4. Gaudebatque ſuas pingere barba genas.
5. Et libata ſemel ſummos modo purpura cultros
6. Sparſerat: invidit de tribus una ſoror.
7. Et feſtinatis incidit ſtamina penſis,
8. Abſentemque patri retulit urna rogum.
9. Sed ne ſola tamen puerum pictura loquatur,
10. Hæc erit in chartis major imago meis.

Verſ. 5. Et purpura, hoc eſt, barba purpurea, ſive ſubrufa, ſemel libata, ideſt, detonſa, ſparſerat ſummam novaculam; deciſa fuerat acie novaculæ.

6. *Soror.* Parca. Tres numerantur. Pag. 206. 220. 303.

7. Et ſecuit ſtamina, ſeu fila, de colu, quam deproperabat, ſeu celerius evolvebat. *Penſis.* Pag. 206.

8. Et urna retulit Camoni oſſa ejus patri, qui exequiis filii non interfuerat. *Rogum.* p. 258. *Urna.* Supra, Ep. 23.

10. *Major.* Quia meæ chartæ immortales erunt, p. 360.

LVIII.

Muſica in epulis ingrata.

1. Quod optimum ſit diſputat convivium:
2. Facunda Priſci pagina:
3. Et multa dulci, multa ſublimi refert.
4. Sed cuncta docto pectore.
5. Quod optimum ſit quæritis convivium?
6. In quod choraules non venit.

Verſ. 1. *&c.* Priſcus ingenium, & eruditum librum ſcripſit, in quo diſputat quodnam convivium ſit optimum, in eoq; libro multa ſuaviter, multa ſplendide, ac magnifice, omnia docte diſſerit: ego illud optimum conviviũ arbitror, quod ſuis dapibus ſeipſum commendat, neque externis, & adſcitiis indiget ſubſidiis, puta, muſica, organis, choraule. *Choraule.* Pag. 266.

Con-

LIX.

Conjugium par egregium.

1. Funera poſt ſeptem nupſit tibi Galla virorum,
2. Picentine, ſequi vult puto Galla viros.

Verſ. 1. 2. Galla venefica, poſt ſeptem funera virorum ſuorum a ſe cciſorum, tibi venefico & parricidæ nupſit, o Picentine: vult opinor viros ſequi, ideſt, mori, & virorum ſuorum experiri ſortem, quia tu illam interficies, ut ipſa viros interfecit: es enim in uxoribus tollendis æque verſatus, atque illa in viris enecandis. Eſt hinc Epigramma ſimile lib. 8. pag. 396.

LX.

Familia Principis.

1. Oderat ante ducum famulos turbamque priorum,
2. Et Pallatinum Roma ſupercilium:
3. At nunc tantus amor cunctis, Auguſte tuorum;
4. Ut ſit cuique ſuæ cura ſecunda domus.
5. Tam placidæ mentes, tanta eſt reverentia veſtri,
6. Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
7. Nemo ſuos (hæc eſt aulæ natura potentis)
8. Sed domini mores Cæſarianus habet.

Verſ. 2. *Pallatinum ſupercilium.* Aulicorum faſtum, impotentiam, &c.

4. Ut cuique maior familiæ tuæ cura, & amor ſit quam ſuæ.

7. 8. Nemo Cæſarianus, ideſt, domeſticus, comes, libertus Cæſaris, habet ſuos mores, ſua vitia; ſed ipſius Imperatoris virtutes. Ita fit cum Imperator ſummam in aula ſua auctoritatem obtinet: cum ſuos fingit ſibi, ac regit; non a ſuis regitur, fingiturque.

LXI.

In criticum.

1. Lector & auditor noſtros probat, Aule, libellos,
2. Sed quidam exactos eſſe poeta negat.
3. Non nimium curo; nam cœnæ fercula noſtræ
4. Malim convivis quam placuiſſe coquis.

Verſ. 1. Quicumque meos libellos, ſive legunt, ſive, dum ab aliis leguntur, audiunt, eos probant.

2. Ta-

2. Tamen poeta quidam, cujus nomen consulto reticeo, ait illos esse parum accuratos, & emendatos.

4. *Coquis*. Criticum istum comparat coquo. lectores vero, convivis. Ut enim in convivio magis spectandum est, quid convivis placeat, quam quid postulent artis coquinariæ scita: sic in libris serviendum est lectoris palato magis, quam iis, quæ vulgo traduntur, artis regulis.

LXII.

In decoctorem.

1. Dixerat astrologus periturum te cito, Munna,
2. Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi.
3. Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas;
4. Hausisti patrias luxuriosus opes.
5. Bisque tuum decies non toto tabuit anno:
6. Dic mihi, non hoc est, Munna, perire cito?

Vers.5. Et bis decies, id est, vicies centena millia sestertium, non toto anno consumpsisti. Est summa librarum Turonens. 200000. Perit ille, qui opes perdit, sine opibus enim vita vitalis non est. *Tabuit*. Dilapsum est, instar nivis, quæ ad solis aspectum liquatur, & contabescit. *Tuum*. Tibi a patre relictum.

LXIII.

Recitatores tacere jussi.

1. Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,
2. Quæ vincit veterum munera clara ducum;
3. Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
4. Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

Vetuit Domitianus, ne Romani equites operam in theatro recitandis carminibus, & agendis fabulis darent: hoc edictum laudat. Multum tibi debent oculi nostri, quos pascis tam splendidis spectaculis: sed plus aures nostræ, quia nobilissimos equites recitantes amplius non audient: quia erunt spectatores equites, qui ante actores erant. Simplicius exponi potest de poetis sua carmina molestè recitantibus: qui dum spectandis ludis ipsi quoque detinebantur, aures auditorum non defatigabant. Eo nos onere, inquit Martialis, liberasti, spectant ludos poetæ, qui nos recitando solebant enecare. *Arenæ*. Pag.9. *Munera*. Ludos scenicos, gladiatorios, &c. Vide Librum Spect.

Li-

LXIV.

Libros amico mittit.

1. Cum tua ſacrilegos contra, Norbane, furores
2. Staret pro domino Cæſare ſancta fides:
3. Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
4. Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
5. Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
6. Neſcia nec noſtri nominis Arctos erat.
7. O quoties veterem non inficiatus amicum
8. Dixiſti: meus eſt iſte poeta, meus!
9. Omne tibi noſtrum, quod bis trieteride juncta
10. Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus.

Verſ. 1. Cum tua fidelitas, o Narbone, Domitiani partes tueretur contra furorem L. Antonii Saturnini; De illo vide plura pag. 184.

3. Ego iſthæc epigrammata, hos libellos componebam. *Pieria*. Pag. 350.

Umbra. Otio; umbroſis Parnaſſi ſylvis.

5. Arctos narrabat tibi Vindelicis in oris degenti, me eſſe raptum, ideſt mortuum, & illa licet tam diſſita regio, nomen meum non ignorabat. Sententia eſt, audiebas nuper, cum in arctois, ſive in ſeptentrionalibus terris eſſes, me tibi, fato ereptum fuiſſe. Vindelici erant populi Germaniæ, intra Danubium, Rhenum, & Rhætiam. Nunc *la Baviera, la Souabe, &c.*

6. *Arctos*. Pag. 13. 184.

Non inficiatus. Non negans, non erubeſcens me inter veteres amicos numerare.

9. Omnia mea carmina, quæ per ſex annos ſcripta, plerique tibi legebant, offerebantque meo nomine, cuncta jam ipſe offero.

Trieteride. Pag. 294.

LXV.

Fictus morbus.

1. Languidior noſtri ſi quando eſt Paullus Atili,
2. Non ſe, convivas abſtinet ille ſuos.
3. Tu languore quidem ſubito, ficteque laboras,
4. Sed mea porrexit ſportula, Paulle, pedes.

Verſ. 1. Paullus, ille amicus Atilii noſtri, aut libertus, ſi quando leviter ægrotat, non ſe abſtinet cibo, ſed

ſed convivas ſuos, non eos vocat ad cœnam, nullas ipſis dapes, nullam ſportulam impertitur.

3. O Paulle noſter, tu fingis morbum, & tuos clientes a conviviis repellis: heu! dum fingis te ægrotare, mea ſportula non levi morbo, non ficta, ſed vera morte conficitur: perit mihi, a te non datur. Porrigere pedes mortui dicuntur cum efferuntur, cum verſis in publicum pedibus, ad januam deponuntur.

LXVI.

Conſolatio de morte filii.

1. Feſtinata ſui gemeret cum fata Severi
2. Silius, Auſonio non ſemel ope potens,
3. Cum grege Pierio mœſtus Phœboque querebar:
4. Ipſe meum flevi, dixit Apollo, Linon:
5. Reſpexitque ſuam, quæ ſtabat proxima fratri,
6. Calliopen, & ait; tu quoque vulnus habes.
7. Adſpice Tarpejum, Pallatinumque Tonantem:
8. Auſa nefas Lacheſis læſit utrumque Jovem.
9. Numina cum videas duris obnoxia fatis,
10. Invidia poſſis exonerare Deos.

Verſ. 1. 2. Cum Silius fleret immaturam mortem Severi unius e duobus ſuis liberis. De Silio facta mentio pag. 187. 350.

2. Qui ſæpius ob eloquentiæ latinæ laudem celebratus fuit. Vel, qui orator bonus æque, ac poeta eſt.

3. *Grege Pierio*. Muſis, pag. 350.

4. *Linon*. Fuit Apollinis filius. Græca eſt inflexio, pro, Linum. Is autem Linus ab Hercule occiſus fertur. Virg. ecloga 4. verſ. 55.

5. *Fratri*. Apollini.

6. *Vulnus habes*. Defles mortem filii tui Orphei.

7. *Tarpejum Tonantem*. Jovem Capitolinum, cujus filii periere, puta, Sarpedon in bello Trojano, &c. De voce *Tarpejus* diximus, pag. 206. 349.

Pallatinum Tonantem. Domitianum. Pag. 232. Is amiſit etiam filium. De quo eſt Ep. 3. Lib. IV.

8. *Lacheſis*. Pag. 206.

9. 10. Potes jam deſinere de Superis queri: noli jam eos accuſare, quaſi, hominum odio, liberos parentibus eripiant: ſiquidem ſuos ipſi liberos a Parcis, & fato ſibi ereptos lugent. Aliquem onerare invidia facti alicujus, eſt, eum propterea in odium vocare: contra eſt, exonerare invidia.

Teſtis

LXVII.

Teſtis ebrius.

1. Septem poſt calices Opimiani,
2. Denſo cum jaceam triente blæſus,
3. Affers neſcio quas mihi tabellas:
4. Et dicis, modo liberum eſſe juſſi
5. Naſtam (ſervulus eſt mihi paternus)
6. Signa. Cras melius, Luperce, fiet:
7. Nunc ſignat meus annulus lagenam.

Verſ. 1. *Opimiani*. Subaudi, *vini*, De illo conſule pag. 43.

2. *Triente*. Vaſe quatuor cyathos capiente. Pag. 46.

Blæſus. Balbutiens, ſubebrius.

3. *Affers, &c.* Affers mihi libellum obſignandum, in quo profiteris Naſtam quemdam, unum e tuis ſervis, a te donatam eſſe libertate. Non eſt tempus obſignandi; ea res hominem ſobrium poſtulat.

6. *Signa*. Teſtis eſto, & ſignum tuum annulo appone, unde agnoſcatur iſte Naſta jure ac more manumiſſus fuiſſe.

7. In convivio non utor annulo ad ſignanda teſtamenta, aut alios id genus libellos; ſed ad lagenas obſignandas, ne a ſervis exhauriantur. Os lagenæ obturabant vulgo pice, cui ſignum annulo imprimebant, ita ut, niſi effracto ſigno, aperiri lagena non poſſet.

LXVIII.

Beneficia beneficiis alenda.

1. Dum me captares, mittebas munera nobis:
2. Poſtquam cepiſti, das mihi, Rufe, nihil.
3. Ut captum teneas, capto quoque munera mitte:
4. De cavea fugiat ne male paſtus aper:

Verſ. 1. *Captares*. Amicitiam meam coleres, opibus inhians & hæreditati.

2. *Cepiſti*. Bonis potitus es meis: extorſiſti, ut in meo teſtamento hæredem te ſcriberem.

4. Ne ego mutem teſtamentum, & alium hæredem ſcribam: inſtar feræ, quæ male a domino paſta, fugit. *Cavea*. Pag. 53.

LXIX.

Poeta extemporalis.

1. Lege nimis dura convivam ſcribere verſus

2. Co-

2. Cogis, Stella: licet ſcribere; nempe malus.

Jubes me facere verſus in convivio: faciam ſane, at malos: hoc diſtichum habe tibi. Bona carmina fieri, niſi a ſobrio, & ſumpto ad cogitandum, ſcribendumque ſpatio, vix poſſunt. Horat. Lib. 1. Serm. Sat. 4.

LXX.

Ad amicum, ut valetudinem curet.

1. Sic in gramine floreo reclinis,
2. Qua gemmantibus hinc & inde rivis
3. Curva calculus excitatur unda;
4. Excluſis procul omnibus moleſtis,
5. Pertundas glaciem triente nigro,
6. Frontem ſubtilibus ruber coronis:
7. Infamem nimio colore Cypron
8. Obſerves, moneo, precorque, Flacce,
9. Meſſes area cum teret crepantes,
10. Et fulvi juba ſæviet leonis.
11. At tu: diva Paphi, remitte noſtris
12. Illæſum juvenem, remitte votis,
13. Sic Martis tibi ſerviant Kalendæ,
14. Et cum thure, meroque, victimaque
15. Libetur tibi candidas ad aras
16. Secta plurima quadra de placenta.

Verſ. 1. &c. Quam opto ut genio indulgeas, ac epulis, in floreo gramine, &c. tam hortor te, moneoque ut ab æſtu nimio caveas. Degebat Flaccus iſte in inſula Cypro, caloribus æſtivis inſeſta, quos ut caveat, illum hortatur.

3. *Calculus.* Lapillus, quales in rivulis protruduntur.

Excitatur. Emovetur, impellitur. *Curva.* Intumeſcente.

5. Infundas vinum in glaciem. Triens pro ipſo vino, quod in triente continetur hic ſumi debet, niſi malit aliquis id per hypallagem dici, pro, perfundas trientem, & vinum glacie. Aliquãdo nivem ſuperaddebãt vino, ſeu glaciem; aliquando implebant calicem nive, eamque vino ſenſim ſuperfuſo ſolvebant. Itaque libenter hic legam cum Grutero, & Scriverio, *pertundas*, ideſt, frangas, diluas, excaves: pertunditur enim nix, dum ex alto vinum in ipſam decidit, ut guttæ ſtillatim decidentes lapidem cavant. Pag. 169. De triente dictum ſupra, ep. 67.

6. *Sutilibus.* Philyra conſutis. *Ruber.* Coronatus rubris e roſa ſertis.

7. *Cypron.* Inſulam e regione

gione Ciliciæ, in mari Carpathio. *Cipro.*

8. *Observes.* Vites, fugias.

9. *Crepantes.* Siccas.

10. *Leonis.* Pag.273.

11. *Divæ Paphi.* Venus. Paphus oppidum est Cypri, Veneri sacrum.

13. Id si feceris, opto ut semper colaris Martiis Kalendis. Martiæ Kalendæ feminis erant sacræ, ut dixi jam in ultimo ep. l.5. atq; adeo Veneri. Tum Venus amica Marti fuit, a quo Martius mensis nomen habet. *Kalendæ.* P.216.

16. *Quadra.* Vide Lib.6. Ep.51. *Placenta.* Pag.260. *Libetur.* Sacrificetur.

Candidas. Diis superis candidæ aræ ponebantur: inferis nigræ.

LXXI.

Domitiani conviva.

1. Ad cœnam si me diversa vocaret in astra
2. Hinc invitator Cæsaris, inde Jovis:
3. Astra licet propius, Pallatia longius essent,
4. Responsa ad Superos hæc referenda darem:
5. Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis;
6. Me meus in terris Jupiter ecce tenet.

Vers. 1. *Diversa.* Semota procul a terris, & disjuncta.

5. Quid esset *cœnare apud Jovem*, explicui pag.108.

LXXII.

Servitutis commoda.

1. Quæ mala sint domini, quæ servi commoda, nescis,
2. Condyle: qui servum te gemis esse diu.
3. Dat tibi securos vilis tegeticula somnos:
4. Pervigil in pluma Cajus ecce jacet.
5. Cajus a prima tremebundus luce salutat
6. Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
7. Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, & illinc
8. Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
9. Tortorem metuis? podagra, cheragraque secatur
10. Cajus; & mallet verbera mille pati.

Vers. 3. *Tegeticula.* Exigua teges, storea.

4. *Cajus.* Tuus dominus. *Pervigil.* Somni expers.

6. *Dominos.* Patronos suos, judices &c. *Nec Dominum.* Subaudi, *salutas.*

7. 8. *Phœbus, Cinnamus.* Duo fœneratores, aut creditores.

9. *Tortorem.* Si quid peccassent servi, vapulabant a lorario, vel carnifice *Cheragra.* Pag.84.

Cer-

LXXIII.

Certus cyathorum numerus.

1. Addere quid ceſſas puer immortale Falernum?
2. Quadrantem duplica de ſeniore cado.
3. Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calociſſe, Deorum
4. Sex jubeo cyathos fundere? CÆSAR erit.
5. Sutilis aptetur decies roſa crinibus, ut ſit
6. Qui poſuit ſacræ nobile gentis opus.
7. Nunc bis quina mihi da pocula, fiat ut illud
8. Nomen, ab Othryſio quod Deus orbe tulit.

Verſ. 1. *Addere*. Superioribus cyathis. *Falernum*. Pagin. 39. *Immortale*. Multos enim annos vigebat, & vim ſuam retinebat hoc vinum.

2. *Quadrantem*. Pag. 44. Vas continens tres cyathos.

3. Quis ille Deorum eſt, o Calociſſe (nomen eſt ſervuli) cujus in honorem ſex miſceri mihi a te jubeo cyathos? Cæſar eſt; in Cæſaris nomine ſex litteræ ſunt, Cæſar, ac toties bibere ſolebant, quot eſſent litteræ in ejus nomine, cujus in honorem biberent.

5. *Sutilis*. Confuta, & colligata filo aliquo.

6. Ut reſpondeat numerus coronarum, atque cyathorum, qui poſt unamquamque coronam capiti impoſitam haurientur, numero litterarum, quibus conſtat Domitiani nomen, qui Domitianus Flaviæ genti templum poſuit. De illo templo vide Ep. 2. hujus Libri.

7. Alios decem rurſum cyathos da.

8. *Nomen*. Germanicus. Id ſibi nomen cur Domitianus adſciverit, dixi pag. 230.

Othryſio. Septentrionali. Pag. 323. *Deus*. Domitianus. Pag. 321.

LXXIV.

Pro felle, mel.

1. Santonica medicata dedit mihi pocula virga,
2. Os hominis! mulſum me rogat Hippocrates.
3. Tam ſtupidus nunquam nec tu, puto, Glauce, fuiſti,
4. Chalcea donanti, Chryſea qui dederas.
5. Dulce aliquis munus pro munere poſcit amaro?
6. Accipit; ſed ſi potat, in elleboro.

Verſ. 1. Hippocrates mihi ægrotanti dedit temperatam, & conditam Santonica virga, ideſt, frutice, potionem medicam. Abſinthium indicat, quod naſcitur exqui-

quisitum apud Santonas in Gallia *la Saintonge*. Estque herba amarissima.

2. *Os hominis*. O impudentiam hominis singularem! qui a me, loco mercedis, mulsi cadum petat.

Mulsum. Est vinum melle conditum, atque adeo dulcissima potio.

3. *Chalcea*. Χάλκεα, ærea, Χρύσια, aurea. Glaucus, ut est apud Homerum Libro 6. Iliad. arma sua aurea, cum æreis Diomedis permutavit. Hoc alludens Noster innuit.

6. Accipiat sane mulsum quod poscit, sed ea lege, ut potet, ut bibat simul elleborum, quo purget suam insaniam, qui ita desipit, ut me permutationem hanc facturum esse crediderit. Elleborum est herba insignem purgandi cerebri vim habens: nascebatur optimum in insula Anticyra. Elleborum bibere insani jubebantur.

LXXV.

Medicus fur ingeniosus.

1. Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro:
2. Deprehensus dixit; stulte, quid ergo bibis?

Herodes medicus ex eorum genere, quos Clinicos vocant trullam argenteam (vas potorium est) ægro furatus erat: deprehensus in furto, finxit se non furari velle trullam, sed eam ægroto subducere, ne biberet, ac statim increpare cœpit ægroti intemperantiam: ego ne, ut te bibere, ac valetudinem affligere patiar! Non feram, trullam ipsam tibi auferam. De clinicis dictum Libro 1. Ep. 29.

LXXVI.

In Invidum.

1. Rumpitur invidia quidam, charissime Juli,
2. Quod me Roma legit; rumpitur invidia.
3. Rumpitur invidia, quod turba semper in omni
4. Monstramur digito; rumpitur invidia.
5. Rumpitur invidia, tribuit, quod Cæsar uterque
6. Jus mihi natorum; rumpitur invidia.
7. Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe est,
8. Parvaque in urbe domus; rumpitur invidia.
9. Rumpitur invidia, quod sum jucundus amicis,
10. Quod conviva frequens; rumpitur invidia.
11. Rumpitur invidia, quod amamur, quodque probamur:

12. Rum-

12. Rumpitur quiſquis rumpitur invidia.

Verſ. 6. Jus trium liberorum quodnam eſſet, dixi Lib. 2. Epig. *66. 67.*

7. Res ſub urbe. Suburbana villa.

12. Pergat ſane nobis invidere, crepet, ac diſrumpatur invidia: fiat infelix noſtra felicitate.

LXXVII.

Perfidus caupo.

1. Vindemiarum non ubique proventus:
2. Ceſſavit, Ovidi: pluvia profuit grandis:
3. Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

Non ubique ceſſit infeliciter vindemia ob crebros imbres. Pluvia vindemiæ profuit: nam Coranus centum totas fecit amphoras, ſed vini adeo diluti, & inſulſi, ut aqua verius, quam vinum dici poſſit; quod tamen non minori pretio divenderet, quam ſi eſſet optimum.

LXXVIII.

Liber ab auctore ipſo datus:

1. Marcus amat noſtras Antonius, Attice, Muſas,
2. Charta ſalutatrix ſi modo vera refert;
3. Marcus Palladiæ non inficianda Toloſæ.
4. Gloria, quam genuit pacis alumna quies:
5. Tu qui longa potes diſpendia ferre viarum,
6. I, liber, abſentis pignus amicitiæ.
7. Vilis eras, fateor, ſi te nunc mitteret emptor:
8. Grande tui pretium muneris auctor erit.
9. Multum, crede mihi, refert, an fonte bibatur
10. Qui fluit, an pigro quæ ſtupet unda lacu.

7. 8. Si ipſe mihi non blanditur, ſi vera narrat, M. Antonius in iis, quas ad me ſcribit epiſtolis, quibus me, ut amicum ſalutat identidem.

3. 4. Dignus, qui Toloſæ, (eſt urbs Galliæ) ubi ſtudia pacis vigent, ac litteræ, civis dicatur; quippe amans quietis, ac pacis, adeo ut ab ipſa quiete genitus videatur. Innuit eum longe diſſimilem eſſe M. Antonio Triumviro, qui belli civilis dira fax fuerat (p. 272.) Aut Antonio Saturnino, qui ſeditiones graviſſimas accenderat (p. 184.) Is enim de quo agitur, M. Antonius Primus, Veſpaſianum in primis adjuvit ad capeſſendum imperium: & ad bella quibus orbis terrarum laborabat

rabar ob Galbæ, Othonis, & Vitellii factiones, componenda. Tacit. Lib. II. Hist.

4. *Alumnæ*. Nutricula, vel filia.

5. *Dispendia*. Incommoda, sumptus.

7. *Eras*. More Græcorum dixit eras, pro, esses.

8. Ab auctore mittente suum librum accedet commendatio major, & gratia muneri.

9. 10. Permagni interest ad bonitatem aquæ, utrum bibatur ex ipso, qui semper fluit, ac movetur, fonte: an e lacu. Fons enim semper est purior. Tum aqua motu viget, ac fit salubrior. Sic longe melior est liber ab auctore ipso datus. *Stupet*. Languet: stagnat.

LXXIX.

Valere patronum jubet.

1. Denariis tribus invitas, & mane togatum
2. Observare jubet atria, Basse, tua:
3. Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam,
4. Ad viduas tecum plus minus ire decem.
5. Trita quidem nobis togula est, viliscque, putrisq;
6. Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

Vers. 1. *Denariis tribus*. Denarius primo decem assibus, postea 12. æstimatus est: respondet octo solidis Turonensibus, ut Galli vocant. Itaque denarii tres assibus 24. Francicis æstimantur: quæ fere summa erat Iportulæ, ut diximus sæpius.

Invitas. Me, ut te colam, affecter, deducam, &c.

2. *Observare*. Assidere tuis foribus, ut observem, quando evigilabis, prodibis, &c.

3. *Sellam*. Lecticam. Pag. 157. 161.

4. *Viduas*. Quarum hæreditates, salutando illas, visendoque, captas.

6. Plus impendii, & damni, quam lucri facio: consumo enim togam, dum te invisо, & assector, quæ non constat tribus dumtaxat denariis, sed multo pluribus, vide pag. 193. simile epigr. Togati clientes erant, ut dixi pag. 55.

LXXX.

Domitianum Herculi anteponit.

1. Appia, quam simili venerandus in Hercule Cæsar,
2. Confecrat, Ausoniæ maxima fama viæ,
3. Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
4. Disce. Lybin domuit: aurea poma tulit.
5. Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo:
6. Addidit Arcadio terga leonis apro.

7. Æri-

7. Æripedem ſylvis cervam, Stymphalidas undis
8. Abſtulit: a Stygia cum cane venit aqua.
9. Fœcundam vetuit reparari mortibus Hydram.
10. Heſperias Thuſco lavit in amne boves.
11. Hæc minor Alcides: major quæ geſſerit audi,
12. Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
13. Aſſeruit poſſeſſa malis Pallatia regnis:
14. Prima ſuo geſſit pro Jove bella puer.
15. Solus Juleas cum jam retineret habenas
16. Tradidit, inque ſuo tertius orbe fuit.
17. Cornua Sarmatici ter perfida contudit Iſtri:
18. Sudantem Getica ter nive lavit equum.
19. Sæpe recuſatos parcus duxiſſe triumphos,
20. Victor hyperboreo nomen ab orbe tulit,
21. Templa Deis, mores populis dedit, otia ferro,
22. Aſtra ſuis, cœlo ſidera, ſerta Jovi.
23. Herculeum tantis numen non ſufficit actis:
24. Tarpejo Deus hic commodet ora patri.

Verſ. 1. 2. O Appia via, quam conſecrat, ſacram, ſanctiorem, fac t Cæſar Domitianus colendus ſub imagine Herculis, in templo nuper ædificato. Quæ imago & ſtatua, quod templum, eſt fama tua, ideſt, ornamentum tuum maximum. Appia via Roma Brunduſium uſque pertinebat, eam ſilice ſtraverat Clodius Appius cæcus; hinc illi nomen. Eam hoc in loco Martialis vocat *Auſoniam viam*, quia viarum latinarum primaria & quaſi regina erat. *Auſoniæ*. Pag. 8.

4. *Lybin*. Afrum. Nempe Antæum gigantem Africæ, qui eum eſſet terræ filius, quoties humum corruens tangebat, toties exurgebet valentior, matre ipſum reficiente: Eum Hercules ſublimem tenens, præfocavit. Pag. 270.

Aurea, &c. Ex horto Heſperidum Atlantis filiarum, poma aurea ſuſtulit, interfecto dracone pervigili, qui ea ſervabat. Pag. 17.

5. Hippolytæ Amazonum reginæ bello victæ detraxit militare cingulum, ſive balteum loro & nodo revinctum: Pelta eſt clypei lunari genus. Menalippe fuit alia earumdem Amazonum regina, quam idem Hercules vicit.

Scythico. Scythiam incoluerunt Amazones prope fluvios Tanaim & Thermodontem. Erant virgines bello aſſuetæ: utebantur maxime arcu, quem ut commodius torquerent, dexteram ſibi mamillam obruebant: unde factum illis nomen ab α privativa ſeu ἄ, ſine; & μαζὸς, mamma: ἀμαζόνες, mamma carens.

6. Ad aprum in Erimantho monte Arcadiæ cæsum, adjunxit victoriam de Leone Nemæo. Pag. 8. 21.

7. Cerva quædam Dianæ sacra, in Monte Mænalo erat, incredibili velocitate prædita, ita ut non carneos, sed æreos habere pedes videretur: quam idcirco vocabant *æripedem*: hanc assecutus Hercules cepit.

Stymphalidas. Proditum fabulis est, illas volucres fuisse humana præditas forma, instar Harpyiarum, & humanis carnibus vesci solitas, ad lacum Stymphalum in Arcadia. Inde illas Hercules amovit, ac sagittis petiit; aut ænei crotali strepitu, ut quidam malunt, fugavit. Pro *undis*, aliquot exemplaria præferunt *Astris*, quia Hercules Stymphalidas volantes dejeciſſe ab ipsis nubibus dicitur.

8. *Cane*. Cerbero.

9. *Hydram*. Lege Libr. Spect. Epig. 25.

10. *Boves*. Geryonis Hispaniæ regis. pag. 270.

Hesperias. Hispania vocata est Hesperia, a stella Hespero, seu Vespero, quia est ad occidentem posita, *Lavit &c.* Vaccas victi Geronis abactas, In Italiam duxit, atque in Tiberi lavit. Tiberis e Thiscia sive Etruria fluere incipit. Pag. 332.

11. *Minor*. Verus, sive Alcides. *Major*. Domitianus. Vide supra. Ep. 48. 49.

12. Quem homines sub Herculis imagine colunt in templo, quod ipse condidit sexto lapide (pag. 36.) seu milliario ab Albana villa De qua consule pag. 177.

13. A Vitellio imperium per scelus adepto; seu a Vitellianis occupata palatia, id est, domum imperatoriam, in libertatem quasi vindicavit.

14. Eodem bello Vitelliano Capitolium tutatus est, contra furorem perduellium.

15. Cum solus, cæso Vitellio, imperium Romæ administraret, & habenas orbis terrarum regeret: (vocat Juleas, quia C. Julius Cæsar ab Julo Æneæ filio sic appellatus, primus imperium invasit) eas tamen, quas retinere poterat, suo patri, Romam ex oriente venienti, tradidit sponte, & in orbe Romano, quem suum dicere poterat, cui poterat imperare, voluit præ modestia esse tertius tantum, & patri, fratrique decedere. Vespasianus enim solus imperavit, ac post illum solus Titus, cui Domitianus, ejus frater natu minor, successit, qui solebat jactare, patri se & fratri imperium dedisse.

17. Ad Istrum, sive Danubium, (pag. 231. 222.) ter vicit: bis in Dacia, semel in Sarmatia. Cur dentur fluviis cornua, vide Ep. 7. Libri 7.

18. *Getica*. Pag. 302. 320.

19. 20. *Domitianus de Cattis, Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit*. Ita Suet. cap. 6. Sarmatis igitur victis, triumphum recusavit, & rejecta triumphi pompa, Germanici dumtaxat

xat nomen ſumpſit. *Hyperboreo*. Sarmatico, ſeptentrionali. Pag. 179. *Parcus duxiſſe*. Locutio eſt græca; id eſt, abſtinens a ducendis triumphis, eos per modeſtiam recuſans.

21. *Deis*. Jovi, Herculi, &c. *Mores*. Vide pag. 282. Epig. 3. Lib. 6. *Otia*. Pacem, bellis compoſitis.

22. *Suis*. Patri, fratri, uxori, quos in numerum Deorum retulit, ac veluti *cœlo ſidera* nova, intulit.

23. *Serta*. Laurum Sarmaticam. Vide ſupra, v. 1.

24. Minor eſt Hercules quam ut tot rebus præclare gerendis par ſit.

25. *Hic Deus* Domitianus. Sua Cæſar potius ora Jovi commodet: imponat ſtatuæ Jovis ſuum vultum, ut colatur ſub Jovis imagine melius, quam ſub imagine Herculis, quem tanto intervallo ſuperat. Vel: Hercules non ſufficit tot rebus præclare geſtis, vincitur a Domitiano: itaque *Deus hic* nempe Hercules commodet ora ſua patri Tarpejo, nempe ipſi Domitiano, qui alter Jupiter eſt. Ambiat Domitiani vultu conſpici & coli.

Tarpejo. Capitolino pag. 205. 349.

LXXXI.

Nihil debens.

1. Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas;
2. Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
3. Quære alium, cui te tam vano munere jactes:
4. Quod tibi non poſſum ſolvere, Phœbe, meũ eſt:

Verſ. 1. O Phœbe, (nomen eſt fœneratoris, vel creditoris alicuius) reddis mihi tabellas & ſyngraphamm meam, qua teſtabar me a te accepiſſe ſeſtertia 400. (efficiunt libras, ſeu Francicos 40000.) rectius faceres & liberalius ſi centum ſeſtertia mutua (libras 10000.) mihi dono dares.

3. 4. Noli putare te liberalem eſſe, remittendo & donando mihi tot ſeſtertia: quære alium a quo iſtam liberalitatis laudem colligas. Nihil mihi das, nihil tibi debeo, quia non poſſum ſolvere tantam ſummam. Eſt epig. ſimillimum, pag. 101.

M. VAL. MARTIALIS.

EPIGRAMMATUM

LIBER DECIMUS.

EPIGRAMMA I.

Liber brevis.

1. SI nimius videor, ſeraque coronide longus
2. Eſſe liber: legito pauca, libellus ero.
3. Terque quaterque mihi finitur carmine parvo
4. Pagina: fac tibi me quam cupis eſſe brevem.

Verſ. 1. *Coronide*. Finem. Coronis eſt nota quædam, ſive ornatus, operi abſoluto additus, quo totum opus quaſi coronatur. Hinc adagium, *Coronidem imponere*, ideſt, finire.

3. *Ter, &c.* Toties videtur finiri pagina, quot in ea continentur epigrammata.

4. *Quam cupis*. Quantum cupis: tam ero brevis quam volueris: epigrammate uno duntaxat perfecto, poteris finem libro imponere.

II.

Soli libri non moriuntur.

1. Feſtinata prior decimi mihi cura libelli
2. Elapſum manibus nunc revocavit opus.
3. Nota leges quædam, ſed lima raſa recenti;
4. Pars nova major erit: lector, utrique fave:
5. Lector, opes noſtræ; quem cum mihi Roma dediſſet,
6. Nil tibi quod demus majus habemus, ait.
7. Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,

8. Et

8. Et meliore tui parte ſuperſtes eris.
9. Marmora Meſſalæ findit caprificus, & audax
10. Dimidios Criſpi mulio ridet equos.
11. At chartis nec furta nocent, nec ſæcula præſunt;
12. Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Verſ. 1. Ordo eſt: cura prima libelli decimi edendi, nimis feſtinata, revocavit opus elapſum mihi manibus: hoc eſt, Ego qui curam, & laborem in hoc decimo libro cum primum factus eſt, ſive editus, poſueram nimis feſtinanter: curavi ut idem liber, qui mihi velut e manibus erat elapſus, revocaretur ad limam. *Curæ prior*. Dicuntur vulgo curæ ſecundæ eſſe meliores, & ſapientiores.

3. *Nota*. Jam edita. *Limæ*. Vide ſuper hac voce p. 278. *Utrique*. Parti jam editæ, & illi, quæ recens addita, eſt: veteribus verſiculis emendatis, & novis adjectis de integro.

5. *Opes noſtræ*. O Lector, quem ego ſi candidum nanciſcor, ſatis me beatum & divitem puto. Cujus favore vivo, & regno.

Ait. Roma, cum te mihi, o Lector, daret.

7. Ille tuum nomen ab oblivione vindicabit: dona-bit te immortalitate. *Lethes*. Pag. 344.

8. *Meliore parte*. Ingenii fama.

9. Marmoreas ædes Meſſalæ vetuſtas evertet, ſubnaſcentibus inter lapides caprificis, & eos emoventibus. *Meſſalæ*. Pag. 372. *Caprificus*. Eſt ſilveſtris ficus, numquam matureſcens, e muris veteribus erumpit, eoſque disjicit. Pag 204.

10. *Dimidios equos*. Statuas equeſtres; vel, equos quadrigis lapideis junctos altera parte annis exeſa diminutos.

Criſpi. Pag. 206. *Mulio*. Ponitur hic pro quolibet e vulgo.

11. *Furta*. Quibus opes ſurripiuntur. *Præſunt*. Imperant: chartæ, libri ſunt extra jus, & imperium vetuſtatis. Vide Ovid. Lib. ult. Metam. Horatium noſtrum od. 7. & 8. Lib. 4. Legunt quidam, *& ſæcula profunt*. Earum pretium vetuſtas auget.

III.

Scriptor innoxius.

1. Vernaculorum dicta, ſordidum dentem,
2. Et fœda linguæ probra circulatricis,
3. Quæ ſulphurato nolit empta ramento
4. Vatiniorum proxeneta fractorum,
5. Poeta quidam clancularius ſpargit;

6. Et vult videri noſtra: credis hoc, Priſce,
7. Voce ut loquatur pſittacus coturnicis?
8. Et concupiſcat eſſe Canus aſcaules?
9. Procul a libellis nigra ſit meis fama,
10. Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
11. Cur ego laborem notus eſſe tam prave,
12. Conſtare gratis cum ſilentium poſſit?

Ordo ſententiæ totius ducendus eſt a verſu 5. Poeta quidam occultus, & ſine nomine, ſpargit neſcio quæ carmina plena locis illiberalibus, & ſordida maledicentia, & ea ſub noſtro nomine, tanquam eſſent noſtra, circumfert.

Verſ. 1. *Dicta vernaculorum*. Sales ineptos, verba ſcurrilia. De vernis, ſeu vernaculis lege epig. 36. Libri 1. nota 2.

Sordidum dentem. Fœdam dicacitatem.

1. *Linguæ circulatricis*. Circulatoris maledici. Circulator vocatur mercator circumforaneus, præſtigiator, qui remedia, cantilenas, ſuccos &c. in circulis urbanæ fœcis, & agreſtium concione vendit.

3. 4. Quæ dicta, quas argutias, nolit emere ſulphurato uno, is qui vitra cum ſulphuratis permutat. Solebant Romani fractis vitris emere ſulphurata. Pag. 48. nota 4. Inter vitreos calices erant uſitatiſſimi Vatiniani, ſeu Vatinii, ab Vatinio quodam ſutore Beneventano inventi. *Proxeneta*. Ponitur hoc loco pro emptore, ſeu permutatore vitrorum cum ſulphuratis. προξενήτης: a προξενέω, interpres ſum & conciliator duorum in aliquo negotio. Ramentum porro eſt pars exigua ligni, qualis intingitur ſulphure ad ignem e carbone vel ignario excipiendum.

7. Crediſne, o Priſce, pſittacum poſſe abſurda coturnicis voce canere? me ineptos poſſe verſus condere?

8. *Canus*. Nomen eſt proprium tibicinis Imperatori Galbæ chari. Aſcaules vocatur, qui utrem inflat, utricularius agreſtis, ἀσκὸς uter, utris, & αὐλὸς tibia, vel fiſtula. Senſus eſt: Crediſne fieri poſſe ut Canus imperiti aſcaule gloriam & nomen ambiat? neutiquam ſane. Ita ego hujus poetæ clanculárii verſus mihi nolim adſcribere.

9. 10. Abſit ut ego ſordida mordacitate, verſibus nigris, quales ille ineptus facit, colligere mihi famam turpem velim.

11. *Laborem*. Enitar, ſatagam. *Notus*. Famoſus, celebris.

12. Cum poſſim ſilere, quod ſilentium nullo mihi labore conſtabit, cur malim ſudare, ac vexare me ſcribendis verſibus maledicis, cum tacere & ſeriari tuto poſſim?

Car-

I V.

Carmina utilia.

1. Qui legis Oedipoden, caligantemque Thyeſten,
2. Colchidas, & Scyllas, quid niſi monſtra legis?
3. Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, & Atys?
4. Quid tibi dormitor proderit Endymion?
5. Exutuſve puer pennis labentibus? aut qui
6. Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
7. Quid te vana juvant miſeræ ludibria chartæ,
8. Hoc lege, quod poſſit dicere vita, meum eſt.
9. Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiaſque,
10. Invenies: hominem pagina noſtra ſapit.
11. Sed non vis, Mamurra, tuos cognoſcere mores,
12. Nec te ſcire, legas ἀντία Callimachi.

Verſ. 1. *Oedipoden*. Eſt quartus caſus a recto Oedipodes, Oedipodæ. Dicitur etiam Oedipus, Oedipi. Fuit ille Laii Thebanorum regis & Jocaſtæ filius, qui patrem ignotum imprudens interemit; Jocaſtamq; matrem inſcius duxit, argumentum ingens fabularum. *Caligantem*. In tenebris trepidantem: ſole nimirum abdito, & ad Atrei ſcelus refugiente, ut explicui p. 161. *Thyeſten*. Pag. 171. 265.

1. *Colchides*. Tragœdias de Medea p. 22. 265. *Scyllas*. Pag. 339. 342.

3. *Hylas*, pag. 150. Puer Herculi charus, qui cum aquam forte hauriret, decidit in frontem, & ab Naiadibus nymphis raptus fuiſſe dicitur. *Parthenopæus*. Pag. 311. *Atys*. Pag. 137.

4. *Endymion*. Aſtrologiæ peritus fuit, quem, quod noctes totas ſolus in Latino Cariæ monte, obſervandis aſtris, contemplandiſque traduceret, finxerunt a luna fuiſſe adamatum, & ſomno gravi obrutum periiſſe.

5. *Puer*. Icarus, pag. 203.

6. *Hermaphroditus*. Fuit filius Mercurii, qui Græcis Ἑρμῆς; & Veneris, quæ Ἀφροδίτη, dicitur: is ab fonte Salmacide amatus perhibetur, cujus tamen amore capi non potuit.

7. Quid te juvant, o Lector, fabuloſi verſus & ludicri? hos lege de quibus quiſque poſſit dicere, mei ſunt, ad me, moreſque meos, ad vitam quotidianam recte inſtituendam pertinent.

6. *Centauros*, p. 374. Centauri

tauri artem domandorum equorum primi invenere : cumque in iis hærentes eminus primum ſunt aſpecti, putati ſunt eſſe monſtra quædam ex hominibus & equis conſtantia. Ovid. lib. 12. Metamorph. Ita ſunt appellati a verbo græco πκντίω ſtimulo & ταῦρος taurus, cum enim tauri quidam in Theſſalia, furore correpti montem Pelion vaſtarent, & obvios peterent, eos domuere Centauri, & ſtimulis, iaculiſque abegerunt, equis inſidentes.

Gorgonas. Gorgones fuere treſ, ut fabulis proditum eſt, Phorci filiæ; earum una Meduſa fuit, de qua dictum Ep. 1. Libri 7. Harpiæ, monſtra quædam erant vigineo vultu, uncis manibus, alato tergo. Vide Virg. 3. Æneid.

10. Noſtra carmina, mores hominũ pingunt & monẽt: nõ feras & monſtra deſcribunt.

11. *Mamurræ*. Pro nobili quolibet improbo ponitur. Mamurrarum familia Romæ in primis erat nobilis.

12. Αἴτια. Principia, cauſas, a recto αἴτιον. Librum ſcripſerat Callimachus (pag. 191.) in quo rerum cauſas & origines explicabat. Quod argumentum nullius eſt profecto ad mores emendandos utilitatis.

Te ſcire. Tua cognoſcere vitia. Id ſi ita eſt, cenſeo legas Callimachum.

V.

Dira in poetam maledicum.

1. Quiſquis ſtolæve, purpuræve contemptor,
2. Quos colere debet, læſit impio verſu,
3. Erret per urbes pontis exul & clivi,
4. Interque raucos ultimus rogatores
5. Oret caninas panis improbi buccas.
6. Illi December longus, & madens bruma,
7. Clauſuſque fornix triſte frigus extendat.
8. Vocet beatos, clamitetque felices,
9. Orciniana qui feruntur in ſponda.
10. Et cum ſupremæ fila venerint horæ,
11. Dieſque tardus: ſentiat canum litem,
12. Abigatque moto noxias aves panno.
13. Nec finiantur morte ſimplices pœnæ;
14. Sed modo ſeveri ſectus Æaci loris,
15. Nunc inquieti monte Siſyphi preſſus,
16. Nunc inter undas garruli ſenis ſiccus,
17. Delaſſet omnes fabulas poetarum:
18. Et, cum fateri Furia juſſerit verum,

19. Pro-

19. Prodente clamet conſcientia, SCRIPSI.

Verſ. 1. Stola erat veſtis matronarum : purpura vero magiſtratuum . Pag. 376. Si quis igitur matronas petulanter pulſat , magiſtratus quos colere debet, contemnit, is erret &c.

3. *Pontis exul*. In pontibus vulgo ſtabant mendici ſtipem a prætereuntibus rogitantes. Iidem in clivis deſidebant . Romæ vici quidam celeberrimi erant declives, ut via ſacra. In clivo Aricino plurimus mendicorum grex. Pag. 111. 299.

Exul. Erro, & vagus, nullo certo lare. Mendici, vel in urbe media, exulare dici poſſunt, qui domum, & quaſi ſolum ſemper vertant. Legitur alibi aliter hic verſus . *Pontes per urbis exul erret, & clivos*.

4. *Rogatores*. Mendicos.

5. *Caninas buccas* . Offas atri panis , qualis canibus datur.

7. *Fornix*. Cella obſcura , & clauſa , nempe obſtructo, ad vim venti arcendam, aditu ac feneſtris. *Extendat* . Longiorem hyemem , ac moleſtiorem efficiat .

9. Mortuos , qui ad rogum efferuntur : ſive gladiatores & beſtiarios in arena interfectos , qui ſandapila in ſpoliarium abjiciuntur inſepulti . Feretrum autem ſive ſandapilam vocat ſpondam orcinianam , ideſt , feralem ſeu avernalem lectum ; a voce Orcus , ideſt , Pluto , cujus in ditione ſunt mortui . Sponda proprie latus eſt lecti ; ſive aſſeres , qui utrinque lectum ſuſtinent .

10. *Fila* . Parcæ hominum vitam nere dicebantur. Pag. 206. 220.

11. *Dies tardus*. Mors diu expectata. *Canum litem*. Canes litigantes de ſuis oſſibus , quinam ea eruta ſepulcro ſint voraturi . Canis latrans , omen infauſtum morientibus eſſe ferebatur.

12. Ita ſit ab omnibus in ſupremo illo die , ac morbo deſtitutus , ut cogatur noctuas , corvos , vultures , abigere a ſuo lectulo , quaſſando pannum . Vel , ipſe mortuus , projecto cadavere , & appenſo ſublime panno volante , illas abigat .

13. *Simplices* . Una, & ſimplici morte non finiantur , durent etiam poſt mortem .

14. *Æaci* . Unus e judicibus inferorum . Tres vulgo nominantur . Æacus , Minos , & Rhadamantus.

15. *Siſyphi* . Pag. 278.

16. *Garruli ſenis* . Tantali . Is enim , cum Jovis arcanis, & convivio Deorum adhibitus , multa quæ audierat , perperam denarraſſet , ea pœna in inferis cruciari dicebatur , ut mediis in undis ſitiat ; aquis , cum eas appetit , fugientibus , ac ſubſidentibus .

17. Fatiget poetas ſuis illis pœnis narrandis occupatos .

19. *Scripſi* . Ego ſum iſtorum auctor verſuum . Furiæ in inferis extorquent a ſceleratis criminum confeſſionem . Virg. 6. Æn. verſu 568.

VI.

Trajani in urbem adventus.

1. Felices, quibus urna dedit ſpectare coruſcum
2. Solibus arctois ſideribuſque ducem.
3. Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
4. Lucebit Latia culta feneſtra nuru?
5. Quando moræ dulces, longuſq; a Cæſare pulvis.
6. Totaque Flaminia Roma videnda via.
7. Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
8. Ibitis; & populi vox erit una, VENIT,

Verſ. 1. 2. *Urna*. Sors, fortuna. Felix ille, cui hoc datum eſt, ut clariſſimum ducem Trajanum in ſeptentrionalibus ſideribus, ideſt, regionibus viderit. Ibi verſabatur quando eſt adoptatus a Nerva. Poteſt hoc intelligi de legatis ad eumdem miſſis, ut delatum ipſi Imperium ſignificarent: nam legati ad principem mittendi, conjectis in urnam nominibus ſorte legebantur. *Arctois*. pag. 185. *coruſcum arctois ſideribus*. Quaſi Germaniam & ejus aſtra velut illuſtrabat ſuis virtutibus, ſua præſentia.

Ducem, M. Ulpium Nervam Trajanum Cæſarem. Interfecto a ſuis Domitiano, ſucceſſit Nerva, Nervæ Trajanus, anno Chriſti 98.

3. 4. *Campus*. Quando ob viam effuſi prodibunt cives ex urbe in campos, & arbores viſendi ſtudio conſcendent? quandonam omnes feminæ lautius ornatæ & cultæ, ex ædibus proſpectabunt? *Nuru*. pag. 221.

5. *Moræ dulces*. Per quas Cæſarem diutius licebit contemplari, lentius præ multitudine populi occurrentis & ſtipati, procedentem, *a Cæſare*. Ab eo, ejuſque comitibus excitatus inter eundum.

6. Quando Roma tota conſpicetur in via Flaminia. Pag. 215. Hæc via ſpectabat ſeptentrionem; atque adeo per eam Trajanus erat ingreſſurus, e Germania veniens.

7. *Nilotide*. In Ægypto, ubi Nilus eſt, texta: Equites Mauri adhibebantur, pompæ cauſa, qui præirent triumphantibus, &c.

VII.

Ad Rhenum, pro reditu Imperatoris.

1. Nympharum pater amniumque Rhene,
2. Quicumque Othyrſias bibunt pruinas,
3. Sic ſemper liquidis fruaris undis,

4. Nec

4. Nec te barbara contumelioſi
5. Calcatum rota conterat bubulci;
6. Sic & cornibus aureus receptis,
7. Et Romanus eas utraque ripa:
8. Trajanum populis ſuis, & urbi,
9. Tybris te dominus rogat, remittas.

Verſ. 2. Quicumque amnes aluntur, & augentur imbribus plagæ ſeptentrionalis. Rhenus illorum pater vocatur, quia major ceteris & nobilior.

Othryſias. Septentrionales. *Liquidis*. Nunquam gelu aſtrictis.

5. *Calcatum*. Per hyemem, dum gelu fluvios conſtringit. *Bubulci*. Plauſtrum ſupra glaciem agentis.

6. *Aureus*. Pulcher, victor. *Cornibus receptis*. Pag. 322. nota 3. Rhenus prope oſtium in duos alveos, & duo brachia velut in bina cornua finditur; unum ex his alveis cum vicina regione hoſtes populi Romani obtinebant, & ipſi Rheno quaſi unú cornu eripuerant: alter autem alveus Rom. ditionis erat.

7. *Romanus*. Romano imperio ſubjectus, & quaſi donatus civitate. Germania, cis tranſque Rhenum Romanis pareat.

9. *Tybris, &c.* Nerva Imperator cum ſe propter ſenectutem & facilitatem contemni videret, Trajanum evocavit e Germania, & Imperii ſocium adſcivit. *Rogat*. Quaſi amicus & cognatus.

Dominus. Quia Romæ urbium principis fluvius.

VIII.

Uxor anus.

1. Nubere Paulla cupit nobis, ego ducere Paullam
2. Nolo; anus eſt: vellem, ſi magis eſſet anus.

V. 2. *Vellem*. Si enim eſſet magis anus, citius moreretur, ac me ſuorum bonorum hæredem relinqueret. Jocus eſt ab inexpectato; nolo eam ducere: quid ita? ſcilicet quia eſt anus? imo ſatis anus non eſt. *Nubere, Ducere*. Pag. 378.

IX.

Contempta littera.

1. Undenis pedibuſque, ſyllabiſque,
2. Et multo ſale, nec tamen protervo,
3. Notus gentibus ille Martialis.
4. Et notus populis: quid invidetis?

5. Non ſum Andremone notior Caballo.

Verſ. 1. *Undenis*. Verſibus Phaleuciis, qui conſtant undecim ſyllabis, unde Ἑνδεκασύλλαβοι vulgo appellantur: quales iſti modo, & alii quidam ſunt. *Undeni pedes* accipi poſſunt pro diſticho, conſtante verſu Hexametro, cujus ſex pedes: & Pentametro, cujus quinque. Epigrammata porro diſtichis vulgo conſtant.

2. *Sale*. Jocis, dicacitate. *Protervo*. Illiberali, maligno.

5. Andremon Caballus, fuit ſcurra famoſus temporibus Veſpaſiani. Nonnulli volunt Andremonem eſſe nomen celebris equi circenſis. Qualis Hirpinus ille erat, de quo mentionem facit Libro 3. Ep. 50. verſu 12. & Juvenalis, initio Satyræ 8. Sententia eſt, quamvis multum gloriæ meis carminibus ſim adeptus, tamen multo plus Andremon (ſive equus, ſive ſcurra) eſt conſecutus; adeo jacent hac tempeſtate litteræ, & artes bonæ.

X.

Divitum ſervilis avaritia.

1. Cum tu laurigeris annum qui faſcibus intras,
2. Mane ſalutator limina mille teras.
3. Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinqui,
4. Quid de plebe Numæ, denſaque turba ſumus?
5. Qui me reſpiciat, dominum regemque vocabo?
6. Hoc tu, ſed quanto blandius! ipſe facis.
7. Lecticam, ſellamve ſequar? nec ferre recuſo;
8. Per medium pugnas ſed prior ire lutum.
9. Sæpius aſſurgam recitanti carmina? tu ſtas,
10. Et pariter geminas tendis in ora manus.
11. Quid faciet pauper, cui non licet eſſe clienti?
12. Diviſit noſtras purpura veſtra togas.

Verſ. 1. Cum tu, qui conſulatum hoc anno geris, &c. *Faſcibus*. Pag. 351. 371.

4. Qui de plebe Romana ſumus. Numa ſecundus Romanorum rex fuit. *Denſa turba*. Nos numerus ſumus, inquit Horatius Ep. 2. Lib. 1.

5. *Reſpiciat*. Arridendo, ut lauti ſolent alios cives tenuiores reſpicere. Ego igitur patronum, qui me aſpicere dignabitur, appellabo dominum, & regem.

6. *Hoc tu &c.* Hoc idem tu facis: ſed multo blandius ac ſervilius.

7. *Lecticam*. Vide l. 3. ep. 27. 36.

9. *Aſ-*

9. *Assurgam*. Ut solent qui applaudunt.

10. *In ora*. Patroni recitantis: sic illi applaudis, nempe jactando, & protendendo manus. Erat illa gaudii, & admirationis significatio usitata.

11. *Non licet*. Quia locum clientium, & munia omnia invadunt, ac sibi vendicant divites.

12. Vestra purpura, ideſt vos, o patroni, o nobiles purpurati, divisistis nostram togam, hoc est, nostra togatorum (clientes enim erat vulgo togati) officia partiti estis; partem nobis reliquistis, partem vobis, eamque meliorem, sumpsistis. Sunt qui scribant *dimisit* eo sensu: o divites patroni, fecistis ut dimitteremus, coegistis nos dimittere nostras togas, & clientium officia prorsus abjicere.

XI.

Omnia inter amicos communia.

1. Nil aliud loqueris, quam Theseа, Pirithoumque:
2. Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
3. Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
4. Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.
5. Donavi tamen, inquis, amico millia quinque,
6. Et lotam (ut multum) terque quaterque togam.
7. Quid? quod nil unquam Pyladi donavit Orestes.
8. Qui donat quamvis plurima, plura negat.

Vers. 1. Theseus, & Pirithous ob mutuam amicitiam celebrantur. Fuit Theseus Ægei regis Athenarum filius. Cum amico suo Pirithoo Ixionis filio descendit ad inferos Proserpinam rapturus, sed a Plutone conjectus in vincula, vix ab Hercule liberatus est: Pirithoux a Cerbero interfectus.

2. *Pyladi*. Pag. 285.

3. Indignus es, qui Pyladis, aut Pirithoi mancipium sis, qui ministres ipsis in rebus despicatissimis, nedum eorum sis amicus.

5. *Millia quinque*. Subaudi, sestertiorum libras Turon. 500.

6. *Ut multum*. Enim vero munus ingens, (inquit Martialis) sane prædicanda liberalitas! Domitius exponit illud *Ut multum*, ad summum. *Lotam*. Pexam, recentem, nitidam, purgatam sordibus.

7. 8. Atqui Orestes, reponit Martialis, nihil unquam Pyladi donavit. Cur? Quia scilicet habebant omnia communia. Qui vero aliquid amico donat, quamvis donet plurima, plura tamen illi negat, nempe ea omnia, quæ cum eo non habet communia; alioquin dare non posset, neque haberet aliquid, quo amicus careret.

Ut

XII.

Urbanus aer.

1. Æmiliæ gentes, & Apollineas Vercellas,
2. Et Phaetonthei qui petis arva Padi:
3. Ne vivam, nisi te, Domiti, dimitto libenter,
4. Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
5. Sed desiderium tanti est, ut messe vel una
6. Urbano releves colla perusta jugo.
7. I precor, & totos avida cute combibe soles,
8. Quam formosus eris, dum peregrinus eris!
9. Et venies albis non cognoscendus amicis,
10. Livebitque tuis pallida turba genis.
11. Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
12. Niliaco redeas tu licet ore niger.

Vers. 1. 2. 3. O Domiti, qui populos Æmiliæ ac Vercellas petis, patior te abire, ut valetudini consulas, &c. *Æmiliæ*. Pag. 142.

Vercellas. Oppidum olim Insubriæ, ubi Apollo præcipue colebatur. Nunc est in Pedemontio, *Vercelli*.

Padi. Padus, est fluvius Italiæ maximus, *il Pò*, ab Alpibus ad mare Adriaticum defluens, aliter Eridanus. In eum Phaethon curru solis excussus, fertur cecidisse. *Dimitto*. Mavult Gruterus, *permitto*: hoc enim verbum fere idem atque adeo plus aliquanto significat, quam dimitto: sic Ovidius dixit: *Onus permittere in hostem* pro, penitus ac longius mittere. Metam. XII.

5. 6. Ac licet cruciandus sim tui absentis desiderio, tamen absentia tua mihi erit tanti: hoc est, potior mihi erit voluptate, quam ex tua præsentia caperem, quia tu illud commodi ex hoc itinere capies, ut saltem per æstatem unam, te curis urbanis oppressum relaxes ac recrees; *Perusta*. Attrita, vexata. *Jugo*. Molestiis occupationibus.

7. *Soles*. Amabant, valetudinis causa, sedere in aprico ad solem, & ejus vitali calore se reficere.

8. *Formosus*. Ironice. Nempe fuscus, ater.

9. *Albis*. Nobis Romæ degentibus, non perustis sole, ut tu. Vel pallidis propter sollicitudinem & molestiam.

10. Ori tuo fusco ac rubicundo invidebunt cives, macie & pallore confecti, ob curas scilicet urbanas. Vulgo legitur: *Libabitque tuas pallida turba genas*. Id est, amici pallidi te redeuntem osculabuntur.

11. 12. Sed quamvis Æthio-

thiope nigrior ſis, colorem hunc nigrum quem tibi dederit via & peregrinatio ab æſtu & itinere collectum, cito Romanus aer deteret, ac mutabit: priſtinum pallorem, & candorem brevi recipies. *Niliaco*. Pagin. 313. Ægyptii ſunt fuſci.

XIII.

Felicitas miſera.

1. Cum cathedralitios portet tibi rheda miniſtros,
2. Et Libys in longo pulvere ſudet eques;
3. Strataque non unas cingant triclinia Bajas,
4. Et Thetis unguento palleat uncta tuo;
5. Candida Setini rumpant cryſtalla trientes,
6. Dormiat in pluma nec meliore Venus:
7. Urere nec miſerum ceſſant ſuſpiria pectus.
8. Vis dicam, male ſit cur tibi, Tucca? bene eſt.

Verſ. 1. 2. Cum habeas tecum in curru, quoties iter facis, pueros elegantes, ac ſervos delicatos; cum Afri equites te præcurrant honoris cauſa. Cathedralitii miniſtri, ſervi ſunt effæminati, quales miniſtrant feminis; quia cathedra proprie eſt ſella muliebris. *Rheda* Currus rotarum quatuor.

3. Cum prope thermas tuas & balnea (Bajas illas vocat, quia Bajanæ thermæ erant laudatiſſimæ. Pag. 64. 213.) extructa ſint multa triclinia, in quibus ſcilicet opipare cœnes, recens a balneo.

4. Et balneas, ſive piſcina marinis aquis plenas, (Thetis, Dea maris fuit; pro aqua ponitur) unguentis perfundas. Sæpe ipſas, ubi lavabant, aquas unguento odorato reſpergebant.

5. *Setini trientes*. Poculà plena vino Setino. Triens eſt poculum majus cyathos 4. continens. Pag. 44. e trientibus in minores cryſtallinos calices vinum fundebatur. Rumpi dicuntur pocula cum ita implentur, ut oneri & vino ferendo paria non eſſe videantur.

7. *Urere*. Vexare, angere. Tamen ingemiſcis, triſtis es, identidem ſuſpiras, &c.

8. Tibi male eſt, quia nimis bene eſt: laboras nimia felicitate.

XIV.

Putida familiaritas.

1. Cedere de noſtris nulli te dicis amicis.
2. Sed ſit ut hoc verum, quid, rogo, Criſpe, facis?

3. Mu-

3. Mutua cum peterem ſeſtertia quinque, negaſti:
4. Non caperet nummos cum gravis arca tuos.
5. Quando fabæ nobis modium farriſve dediſti;
6. Cum tua Niliacus rura colonus aret? (mæ?
7. Quando brevis gelidæ miſſa eſt toga tempore bru-
8. Argenti quando miſſa ſelibra mihi eſt?
9. Nil aliud video, quo te credamus amicum.
10. Quam quod me coram pedere, Criſpe, ſoles.

Verſ. 3. Quinque ſeſtertia libræ ſunt Turonicæ 500.
6. Cum tu in Ægypto plena fabis & farre rura poſſideas.
8. *Selibra*. Dimidia libra, pag. 86. 244.
10. *Pedere*. Crepitum alvo edere.

XV.

Ludus crudelis.

1. Dotatæ uxori cor arundine fixit acuta:
2. Sed dum ludit Aper, ludere novit Aper.

Verſ. 1. 2. Aper (viri nomen) dum inter ludendum, ſagittas, quaſi joco, in uxorem bene dotatam, & divitem conjiceret, illi cor tranſfixit: certe egregie ſcit Aper ludere, qui ludo facili opes uxoris ac dotem ſibi comparaverit: dum ludit, novit quid ludat, & ſerio agit: Legunt aliqui: *Lædere novit Aper.* Dum ludit, lædit.

XVI.

Dare verba.

1. Si donare vocas promittere, nec dare, Cai,
2. Vincam te donis muneribuſque meis.
3. Accipe Callaicis quicquid fodit Aſtur in arvis,
4. Aurea quicquid habet divitis unda Tagi;
5. Quicquid Erythræa niger invenit Indus in alga,
6. Quicquid, & in nidis unica ſervat avis;
7. Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aeno:
8. Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

Verſ. 3. *Callaicis*. Pag. 198. *Aſtur*. Aſturia eſt Hiſpaniæ regio ſeptentrionalis inter Gallæciam, & Biſcajam, *les Aſturies*.
4. *Tagi*. Pag. 55. 207.
5. *Quicquid &c.* Gemmas omnes Indiæ, *Erithræa*. 257. *Alga*.

Alga. Eſt herba inutilis quam æſtus maris in littora projectat cum lapillis, & ſpuma. *Indus*. Pag. 385.

6. *Avis*. Phœnix, qui unicus orbe toto eſſe dicitur. Pag. 234.

7. Omnes purpuras, quæ Tyri inficiuntur & tinguntur in ahenis. *Tyros*. Pag. 122. 286. 377. Improbam Tyrum vocat, quæ colores purpureos mitteret, quibus delicati & effæminati vulgo utebantur.

Agenoreo. Agenor, Phœniciæ rex, Tyrium condidit.

8. *Quomodo das*. INempe verbis, & promiſſis, quæ ſola das. Nihil das, nihil accipe: das verba, do verba.

XVII.

Nugæ ab occupatis non legendæ.

1. Saturnalitio Macrum fraudare tributo,
2. Fruſtra, Muſa, cupis: non licet, ipſe petit.
3. Solemneſque jocos, nec triſtia carmina poſcit,
4. Et queritur nugas obticuiſſe meas.
5. Menſorum longis ſed nunc vacat ipſe libellis:
6. Appia, quid facies, ſi leget iſta Macer?

Verſ. 1. O Muſa, fruſtra cupis fraudare Macrum eo munere, quod ipſi ſoleo mittere Saturnalibus, inſtar annui tributi. *Saturnalitio*. pag. 136. 280.

3. *Solemnes*. Solitos quotannis ipſi dari. *Non triſtia*. Feſtiva, ludicra epigrammata, quas nugas verſu 4. vocat.

5. Sed ille nunc geometrarum, & eorum qui metiuntur itinera, libros legit. Præfectus fuerat Macer Appiæ viæ reficiendæ, ac ſternendæ.

6. Si meos libellos Macer legit, o Appia via, detrimentum inde capies, ac de me populus conqueretur. *Appia*. V. l. 9. ep. 80. p. 473.

XVIII.

Patronus illiberalis.

1. Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
2. Nec ſpondet, nec vult credere; ſed nec habet.
3. Turba tamen non deeſt, ſterilem quæ curet amicũ.
4. Eheu quam fatuæ ſunt tibi, Roma, togæ!

Verſ. 2. *Nec ſpondet*. Non ſe prædem pro amicis offert creditori, aut fœneratori. *Credere*. Mutuam dare pecuniam. *Habet*. Quod credat, quod donet.

3. *Turba*. Clientium.

4. Heu, quam fatui ſunt Ro-

Romani clientes, qui navent operam adeo ſibi inutilem! Diximus jam ſæpius, eos in patronorum honorem, toga uti ſolitos, quippe quæ lautior, & honeſtior veſtis eſſet.

XIX.

Librum Plinio, quem laudat, mittit.

1. Nec doctum ſatis, & parum ſeverum;
2. Sed non ruſticulum nimis libellum,
3. Facundo mea Plinio, Thalia,
4. I perfer: brevis eſt labor peractæ
5. Altum vincere tramitem Suburræ.
6. Illic Orphea protinus videbis
7. Udi vertice lubricum theatri.
8. Miranteſque feras, avemque regis
9. Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti,
10. Illic parva tui domus Pedonis
11. Cælata eſt aquilæ minore penna.
12. Sed ne tempore non tuo diſertam
13. Pulſes ebria januam, videto:
14. Totos dat tetricæ dies Minervæ,
15. Dum centum ſtudet auribus virorum,
16. Hoc quod ſæcula, poſterique poſſint
17. Arpinis quoque comparare chartis.
18. Seras tutior ibis ad lucernas:
19. Hæc hora eſt tua, cum furit Lyæus,
20. Cum regnat roſa, cum madent capilli:
21. Tunc me vel rigidi legant Catones.

Verſ. 3. *Plinio*. Vide Lib. VII. Ep. 68. *Thalia*, Pag. 183. 326.

4. Non eſt longa via ad Plinii domum, & poſt peractam, hoc eſt, emenſam Suburram, vicus erat Romæ celebris, pagina 110. 246. facile eſt tramitem altum ſuperare, ſeu jugum & clivum Eſquiliarum. Pag. 559.

6. Tranſibis prope theatrum, cujus in vertice ſtatua eſt Orphei tota madida ob pluviam e ſummo theatro defluentem: & feras videbis lapideas, quas ille ſuavitate cantus illectas trahere videtur. Lubricus etiam dici poteſt Orpheus, ſive ejus ſtatua, eo quod croco, & odoratis aquis perfunderetur, ut diximus Libi Spectac. Epigram. 3. Scriverius negat poſſe fuiſſe

fuisse in aliquo theatro statuam hanc Orphei, sed aliquod e ligno theatrum, seu solarium instar theatri vult extructum fuisse in summo domus Plinianæ fastigio, in quo theatro hæc statua viseretur, ut & aquila, de qua mox. Affert in hanc sententiam Plinii locum Lib. 35. c. 12. *Dibutades Sicyonius figulus plastes, primos personas, tegularum extremis imbricibus imposuit, &c.*

8. *Avem regis*. Aquilam Jovis ministram. Solebant in ædium sacrarum, ac privatarum interdum fastigiis aquilæ imponi, unde αἰετώμα culmen domus significat, a voce αἰετὸς, aquila. *Phrygæ*. Ganimedem, Trois Phrygiæ regis filium. Pag 33.

10. Non procul aspicies domum tui amici Pedonis (poetæ præstantis, seu oratoris) cujus in fastigio est aquila, non tanta illa quidem, quanta est ea quæ in summo ædium Plinii tecto visitur: quia minor est Pedonis domus. Cælatam dicit, idest, sculptam; fictili quodam ac cælato opere factam: effigies enim istas fastigiis domorum imponi solitas, factas fuisse simplici, at mira cælatura Plinius docet eo, quem supra laudavi, loco.

12. Sed cave ne Plinii januam alieno tempore, male petulans ac ebriorum instar, pulses. Thalia ceteris Musis hilarior, vino, & unguentis gaudebat. Pag.372. nota 9.

14. *Tetricæ Minervæ*. Studiis severioribus, philosophiæ, vel foro.

15. 16. 17. Dum elaborat orationes recitandas coram Centumviris, (de illis fuse dictum Lib.6. Epig.26.) quas posteri *chartis arpinis*, hoc est, orationibus Tullianis, merito comparabunt. Arpinum, *Arpino*, Italiæ oppidum, patria Ciceronis.

18. Commodius illum adibis sub noctem: cum cœnabit.

19. *Lyæus*. Bacchus. Pagin. 72.

20. *Rosa*, Qua coronati potabant. *Madent*. Unguentis, quibus crines perfundebantur.

21. *Tunc, &c.* Inter vina possum Plinio, possum Catonibus placere. *Catones*. Pag.29. 34.

X X.

Cum amico locus omnis gratus.

1. Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
2. Pendula quod patriæ visere tecta libet,
3. Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
4. Et prætextata cultus amicitia,
5. Tu facis; in terris quo non est alter Iberis
6. Dulcior, & vero dignus amore magis.
7. Tecum ego vel sicci Getula mapalia Pœni,
8. Et poteram Scythicas hospes amare casas.
9. Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,

10. In

10. In quocumque loco Roma duobus erit.

Verſ. 1. Quod velim Hiſpaniam reviſere, & Bilbilim, quam rigat Salo. Pag. 55. *Celtiber*. Pag. 54.

Auriferas. Tagus Hiſpaniæ fluvius aureas arenas volvere dicebatur, pag. 207.

2. *Pendula*. In edito, & declivi loco ſita.

3. *Simplicibus*. Puerilibus.

4. Et a me cultus quando gerebam adhuc prætextam. Erat veſtis ornata limbo purpureo: geſtabant eam pueri uſque ad annum 17. quo virilem togam ſumebant.

5. *Tu facis*. Tu unus in cauſa es; nempe cur redire velim in patriam, &c.

7. Getulia eſt regio Africæ; *mapalia* ſunt caſæ ruſticorum. *Sicci*. Siticuloſa eſt, ob æſtum, Africa.

Pœni. Carthaginenſes ita ſunt vocati quaſi Phœni venerunt enim e Phœnicia, parte olim Syriæ, duce Didone. Pag. 101. 187 289.

8. *Scythicas*. Scythia, regio fuit Aſiæ ad ſeptentrionem longe lateque patens. Eam nunc obtinent Tartari.

10. Perinde vivemus, ac ſi eſſemus Romæ: nullo in loco Romam deſiderabimus. Amor mutuus Romæ deſiderium leniet, Romæ inſtar nobis erit.

XXI.

Liber obſcurus.

1. Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
2. Et vix Claranus; quid, rogo, Criſpe, juvat?
3. Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline, libris:
4. Judice te, major Cinna Marone fuit.
5. Sic tua laudentur: ſane mea carmina, Criſpe,
6. Grammaticis placeant, & ſine grammaticis.

Verſ. 1. 2. Modeſtus, & Claranus, grammatici fuere celebres. De Modeſto agit Svet. lib. de illuſtribus Grammaticis. Adi Voſſium de Hiſtoricis lat. c. 20.

3. *Apolline*. Qui tua carmina velut ænigmata explicet.

4. *Cinna*. Scripſit ille novennio toto egregium, at perobſcurum poema, quod Smyrnam inſcripſit: hunc Virgilius laudat ecloga nona. Præfers igitur Cinnam Virgilio, quia eſt obſcurior, Virgilius vero apertior, & clarior.

5. *Sic*. Propter obſcuritatē.

6. *Placeant grammaticis*. Hoc eſt, nihil habeant mendoſum, quod arguere merito grammatici poſſint. *Et ſine grammaticis*. Hoc eſt, neque tamen ita ſint obſcura, ut egeant grammaticis, qui ſolent obſcuros auctorum locos explanare.

XXII.

Bis vivere.

1. Jam numerat placido felix Antonius ævo
2. Quindecies actas Primus Olympiadas;
3. Præteritosque dies, & tutos respicit annos:
4. Nec metuit Lethes jam propioris aquas.
5. Nulla recordanti lux est ingrata, gravisque:
6. Nulla fuit, cujus non meminisse velit.
7. Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus; hoc est
8. Vivere bis, vita posse priore frui.

Vers. 1. 2. Antonius Primus jam vixit annos sexaginta. Lib. IX. Ep. 78. *Olympiadas.* Pag. 203. 316. 340.

3. *Tutos.* Quasi extra fortunæ aleam positos, cui nihil juris est in præterita.

4. Mortem imminentem non reformidat. *Lethes.* 344.

7. *Ampliat.* Amplificat, duplicat. *Unus dies eruditorum plus patet, quam imperiti longissima ætas.* Senec. Ep. 79. quod de viris probis longe certius dici potest.

8. *Frui.* Voluptatem ex ea percipiendo. Improbi non fruuntur iis annis, quos in scelere traduxerint: eos enim, si quid sapiunt, nullos fuisse velint.

XXIII.

Vitam longiorem frustra petit.

1. Natales mihi Martiæ Kalendæ,
2. Lux formosior omnibus Kalendis,
3. Quas mittunt mihi munus & puellæ,
4. Quinquagesima liba, septimamque
5. Vestris addimus hanc focis acerram.
6. His vos (si tamen expedit roganti)
7. Annos addite bis, precor, novenos:
8. Ut nondum nimia piger senecta,
9. Sed vitæ tribus aureis peractis,
10. Lucos Elysiæ petam puellæ.
11. Post hæc tempora, nec diem rogabo.

Vers. 1. *&c.* O Martiæ Kalendæ, qua die sum natus, jam vestris aris quinquagies septies placentas ac thura obtuli: his 57. annis addite annos 18. ut tres quasi aureos annorum expleam. *Kalendæ.* Pag. 216.

3. *Et*

3. *Et puellæ*. Non ſolum viri amici mei, ut natali die aſſolet, mittunt munera; ſed etiam feminæ. Erant enim ſacræ feminis Martiæ Kalendæ, Pag. 280. nota 9.

5. *Acerram*. Eſt vas thuriferum: libum, placentæ eſt genus. *Veſtris focis*. Natalem ſuum diem ſolemni ſacrificio colebant.

6. *Si expedit*. Recte; ſæpe enim cito mori præſtat, quam diu vivere.

9. *Aureis*. Tres aurei Romani conficiunt denarios 75. Tot igitur annos petit, quot ſunt denarii in tribus aureis; ſinguli enim denarios 25. continebant: & hanc ſibi quaſi aueam ætatem poſtulat. Legit Scriverius; *Tribus areis*, non *aureis*. Metaphora ducta nimirum a circo, cujus ſpatium, & vacua planities, area vocatur, & cum quo ſæpe curſus vitæ humanæ comparatur. Porro autem currus in circo certare, ac aream decurrere ſoliti, vicies quinquies per unum diem e carceribus emittebantur, Servio teſte ad verſum 18. Lib. III. Georg. & quemadmodum viginti quinque miſſus, ſive curruum emiſſiones, unam circi aream conficiebant, ſic anni 25. una quaſi vitæ area ſunt. Favet huic explicationi, & eam illuſtrat Scaliger in ſuis ad Manilium notis. Simplicius locum hunc Brodæus exponit. Tribus areis, inquit, id eſt tribus vitæ circulis, ſive ætatibus, pueritia, juventa, & ſenecta: nam decrepitam ætatem ſibi non optat.

10. *Elyſiæ puellæ*. Proſerpinæ, quæ campis, & locis Elyſiis præſt. Pag. 304.

11. Moriar libens poſt expletum hoc vitæ tempus, neque illam mihi, vel ad unum diem, prorogari poſtulabo.

XXIV.

Ignava fortitudo.

1. In matutina nuper ſpectatus arena
2. Mucius, impoſuit qui ſua membra focis,
3. Si patiens, fortiſque tibi, duruſque videtur,
4. Abderitanæ pectora plebis habes.
5. Nam cum dicatur, tunica præſente moleſta,
6. Ure manum: plus eſt dicere, Non facio.

Verſ. 1. 2. *&c.* Ille Mucius Scævola, ille gladiator, qui Mucium repræſentabat, cum ſpectacula mane nuper ederentur, & manum foculo ardenti impoſuit, ſi tibi fortis & patiens videtur, næ tu valde ſtolidus es, & Abderitano populo ſimilis. Abdera civitas Thraciæ, Democriti patria, cujus aer ita erat craſſus, cælum adeo grave, ut homines ibi plerumque ſtupidi, hebeteſque

naſcerentur. De vero Mucio Scævola habes Epig. 22. Lib. 1. De iſto ficto, 39. Lib. 8. pag. 387.

5. Qui enim jubetur manum urere & foculo imponere, ea conditione, ut niſi manum urat, induatur tunica moleſta, in eaque vivus comburatur; ille ſi nolit urere manum, ſi malit tunicam moleſtam induere, certe fortior & generoſior erit, quam ſi manum igni imponeret. Videbat iſte gladiator præſentem tunicam moleſtam ſibi imponendam niſi manum foco injiceret, injecit, ne indutus moleſta tunica, ureretur, ignavus fuit: fortis fuiſſet, ſi juſſus dexteram urere, dixiſſet, non faciam, non uram, malo tunicam moleſtam induere. *Tunica moleſta*. Erat illa imbuta & contexta muſco, pice, reſina, & aliis id genus rebus quæ ignem facile concipiunt. Indutus ea reus torrebatur lento igne. Vide Lib. 4. Ep. 72. pag. 226. necnon Juvenalem Satyra 1. ſub finem, item 8.

XXV.

Amici mortem deflet.

1. Vare, Parætonias Latia modo vite per urbes
2. Nobilis, & centum dux memorande viris:
3. At nunc Auſonio fruſtra promiſſe Quirino,
4. Hoſpita Lagæi littoris umbra jaces.
5. Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
6. Pinguia nec mœſtis addere thura rogis:
7. Sed datur æterno victurum carmine nomen.
8. Numquid & hoc, fallax Nile, negare potes?

Verſ. 1. 2. O Vare, qui centurionis munere nuper in Ægypto functus es.

Paretonias, Ægyptias. Parætonium, urbs Ægypti, *Berton*.

Vite, Vitis ſeu virgula e ſarmento erat inſigne centurionum. Illi centum olim militibus præerant: *centum dux memorandæ viris*. Poſtea paucioribus.

3. At nunc licet fruſtra promiſſus fueris nobis rediturus Romam, tamen mortuus jaces in Ægypto, terra peregrina & aliena. Quirinus idem eſt ac Romulus, Romæ conditor. *Lagæi littoris*. Ægypti. Nam Lagus fuit pater Ptolemæi regum Ægyptiorum primi, poſt Alexandri Magni mortem.

Auſonio. Pag. 7.

4. *Hoſpita umbra*. Quaſi exul & peregrina.

7. Sed per me immortalis tibi gloria & fama datur in meis carminibus.

8. Hoc meum carmen æternum fore, ne ipſa quidem Ægyptus negabit, ſed vere fate-

fatebitur, etsi fallax & mentiri solita. Ægyptii mendaces, & perfidi habebantur. Vel: O Ægypte, an quemadmodum potuisti prohibere, ne Romam rediret Varus, ita quoque impedies quominus eum hoc munere, & carmine prosequar? Ipsi hoc solatium non negabis, non eripies, etsi reditum, & vitam eripueris.

XXVI.

Natalis hominis nunquam nati.

1. Natali, Diodore, tuo conviva senatus
2. Accubat, & rarus non adhibetur eques;
3. Et tua tricenos largitur sportula nummos.
4. Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

Vers. 2. *Non rarus*. Frequens, plurimus eques adhibetur convivio.

3. Triginta viritim nummos das clientibus tuis. Vulgo deni tantum sestertii, sive centum quadrantes pro sportula dabantur. Consule Ep. 51. Lib. 1. & 6. Lib. 3.

4. Nemo te dignum luce putat. Ita Seneca de homine improbo: *Nemo illum unquam natum putavit*. Vel: nemo de tuis natalibus curat, adeo viles, obscuri, fortasse spurii sunt. Tuam omnes cœnam, tua munera, magni faciunt, te, nihili.

XXVII.

Ad Janum, pro pace.

1. Annorum nitidique sator pulcherrime mundi,
2. Publica quem primum vota precesq; vocant,
3. Pervius exiguos habitabas ante penates,
4. Plurima qua medium Roma terebat iter:
5. Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
6. Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.
7. At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,
8. Ferrea perpetua clausira tuere sera.

Vers. 1. Janus annorum & mundi sator, idest, pater vocatur, quia Januarius primus est mensium anni: Vide Lib. VIII. Ep. 2. & 8. vel, quia Janus idem erat, ac tempus, & cœlum, a quo omnia procreata censebant.

2. *Publica, &c.* Explicui jam. Lib. VIII. Ep. 8. versu 3.

3. Antea templum habuisti exiguum. Nempe in foro transitorio, quod ita vocabatur, quia ex eo in alia vicina facilis transitus erat, pag. 30. 74.

4. Ac

4. Ac per tuum templum ultro, citroque cives commeabant.

5. *Cæsareis*. Domitiani, qui templum Jani refecit, ac donis ornavit; Nervæ, qui illud amplificavit, &c.

6. In eo templo erant portæ quatuor, quia Jani statua quadrifrons inventa fuerat: & e portis prospiciebantur totidem fora: nimirum Vetus, Julium, Augustum, & Transitorium pag. 74.

8. Serva portas tui templi semper clausas: idest, Præsta nobis æternam pacem. Solebant Jani valvæ bello aperiri; pace claudi pag. 410.

XXVIII.

Servi dominis feliciores.

1. O temperatæ dulce Formiæ littus!
2. Vos, cum severi fugit oppidum Martis,
3. Et inquietas fessus exuit curas,
4. Apollinaris omnibus locis præfert.
5. Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
6. Nec Tusculanos Algidosve secessus,
7. Prænestе nec sic, Antiumve miratur.
8. Non blanda Circe, Dardanisve Cajeta
9. Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
10. Nec in Lucrina lota Salmacis vena.
11. Hic summa leni stringitur Thetis vento,
12. Nec languet æquor; viva sed quies ponti
13. Pictam phaselon adjuvante fert aura:
14. Sicut puellæ non amantis ætatem
15. Mota salubre purpura venit frigus.
16. Nec seta longo quærit in mari prædam,
17. Sed a cubili lectuloque jactatam
18. Spectatus alte lineam trahit piscis.
19. Si quando Nereus sentit Æoli regnum,
20. Ridet procellas tuta de suo mensa.
21. Piscina rhombum pascit, & lupos vernas:
22. Natat ad magistrum delicata muræna.
23. Nomenculator mugilem citat notum,
24. Et adesse jussi prodeunt senes mulli.
25. Frui sed istis quando Roma permittis?
26. Quot Formianos imputat dies annus
27. Negotiosis rebus urbis hærenti?
28. O janitores, villicique felices.
29. Dominis parantur ista; serviunt vobis:

Vers. 1. *&c.* O Formiæ temperatæ, dulce littus, id-est quarum littus est amœnum, & jucundum ad rusticationem, vos Apollinaris, ubi *Martis oppidum*, id-est, Romam (pag. 409.) fugit, locus omnibus præfert. Formiæ, vox pluralis numeri, Latii oppidum fuit, Læstrigonum olim sedes, inter Cajetam, & Minturnas, a Saracenis excisum. Est in ejus loco pagus *Mola* nuncupatus.

5. Non ille ita miratur, & amat Tiburtinos colles, patriam castæ suæ uxoris. Formias Tiburi præfert. *Tibur*. Pag. 36. 209. 212. *Tusculanos*. Pag. 334. Algidum mons est prope Romam, Dianæ olim sacer ubi aura frigidior, & salubrior. In hoc monte est nemus, Algidum quoque dictum, nunc *Selva dell' Aglio*: & oppidum ejusdem etiam nominis, quod vocatur hodie *Rocca di Papa*.

6. *Præneste*. Pag. 215.

Antium. Pag. 229. Cum versatur Apollinaris in sua villa Formiana, non requirit, non desiderat, amœnos receſſus, qui sunt prope oppidum Circæum, (pag. 229.) aut prope Cajetam Dardanidem, ideſt, conditam ab Ænea, & Trojanis (p. 229.)

9. *Marica*. Fauni conjux fuit: hujus templum erat ad ripam Liris fluvii, qui nunc dicitur Italis *Carigliano*.

10. Nec Bajani fontes. Eos hic vocat *Salmacida lotam in Lucrina vena*, ideſt, in lacu Lucrino, qui non procul Baiis ab est. Pag. 66. Salmacis enim fons fuit in Caria, fabulis inclytus, cujus aqua effæminare hominum animos, & corpora jactabatur: huic apte comparat Bajanos fontes, suis deliciis, & Romanorum luxu nobiles.

11. Hic leni ventorum flamine mulcetur aquæ superficies, & placidum æquor.

Thetis. Pelagi Dea: pro mari ponitur.

12. *Viva quies ponti*. Non languidæ, & stagnantis aquæ, sed fluctuantis leniter grata tranquillitas.

13. *Phaselon*. Phaselus est cymba exigua.

14. 15. Aura propellens phaselum, & quietem illam pelagi velut animans, similis est ventulo, quem puella, calorem æstivum temperans, facit, mota veste purpurea, & ante frontem ventilata.

18. *Trahit*. Ut escam hamo insertam voret. *Setam*. Lineam piscatoriam. *Alte ſpectatus*. Visus e superiore loco. Vel; in aqua pellucida, licet alta, & profunda, facile apparens.

19. 20. Si quando mare ventis agitatur, nec piscari licet. Æolus præest ventis, qui turbant mare.

Nereus. Deorum marinorum antiquissimus. Mensa de suo tuta, ideſt, de piscibus, qui domi servantur in piscinis, & vivariis. Procellas ridet, non est sollicita utrum mare sit procellosum necne; paratas dapes, ac tutas habet. Rhombi, lupi, murenæ, mugiles, mulli, pisciumsunt nomina, de quibus sparsim ante dictum.

21. *Vernas*. Domi natos 52.

23. *Nomenculator*, sive Nomenclator is est qui appellat

lat nomina, eratque certorum apud Romanos servorum nomen & munus, qui dominis suis civium nomina, ut quisque occurrebat, ac salutandus erat, suggerebant. Porro piscibus quibusdam insignioribus, quos alerent domi, nomina imponebant: & vocati sic pisces, prodibant, seque sistebant.

26. Quam pauci dies Formiani numerantur, & tanquam candidi, & felices ponuntur in beneficii loco, ab Apollinare, aut alio urbanis negotiis affixo? Pauci certe: illæ omnes deliciæ in servorum, & villicorum gratiam videntur esse comparatæ! *Imputat*. Pag. 145. nota 3. 224. 245. nota 13. 278.

XXIX.

Ἀνθαυτοφίλος.

1. Addixti servum nummis here mille ducentis,
2. Ut bene cænares, Calliodore, semel;
3. Nec bene cænasti: mullus tibi quatuor emptus
4. Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.
5. Exclamare libet; non est hic, improbe, non est
6. Piscis, homo est: hominem, Calliodore, voras.

Vers. 1. *Addixti*. Pro, addixisti, idest, dedisti, vendidisti. Proprie dicitur aliqua res addici, cum in auctione traditur pluris licitanti. Nummi sestertii mille & ducenti conficiunt libras Turonicas 120. *Here*. Heri pag. 50.

2. Ut conficeres pecuniam, quam in cœnam oppiparam impenderes.

3. 4. Tamen magnifice, & laute non cœnasti, siquidem primarium & palmarium cœnæ tuæ ferculum, fuit unus tantum mullus, librarum quatuor.

Mullus. Piscis: *un barbone*.

6. *Homo est*. Quia hominis pretium est: vita servi constitit.

XXX.

Imago viri probi.

1. Hæc mihi quæ colitur violis pictura, rosisque,
2. Quos referat vultus, Cæciliane, rogas?
3. Talis erat Marcus mediis Antonius annis
4. Primus: in hoc juvenem se videt ore senex.
5. Ars utinam mores animumque effingere posset.
6. Pulchrior in terris nulla tabella foret.

Vers. 3. De illo M. Antonio Primo vide pag. 471. & Ep. 22. hujus libri. *Mediis annis*. Florenti ætate.

XXXI.

Vitia culpanda: personis parcendum.

1. Simplicior priscis, Munati Galle, Sabinis,
2. Cecropium superas qui bonitate senem:
3. Sic tibi consoceri claros retinere Penates
4. Perpetua natæ det face casta Venus:
5. Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
6. Forte malus livor dixerit esse meos,
7. Ut facis, a nobis abigas: nec scribere quemquam
8. Talia contendas carmina, qui legitur.
9. Hunc servare modum nostri novere libelli;
10. Parcere personis, dicere de vitiis.

Vers. 1. *Sabinis*. Fuerunt in media Italia versus mare Adriaticum: viri antiquæ probitatis, & simplicitatis laude præstantes.

2. *Senem Cecropium*. Socratem, qui Apollinis oraculo vir optimus est judicatus. *Cecropium*. Pag. 47. 231.

3. 4. Sic tibi det, faxit Venus, perpetua face, ideſt, perpetuo matrimonio pag. 390. tuæ natæ, ut retineas, & habites Penates, domum, tui consoceri. Consoceri dicuntur illi, quorum alter filium suum alterius filiæ dat in matrimonium. Æternum sit, absque divortio, & repudio, matrimonium tuæ filiæ cum filio tui consoceri; & ita in eadem domo cum eo conjunctissimus semper vivas.

5. *Ut tu &c.* Istud *ut* respondet particulæ *sic*, positæ in disticho superiori. Ita opto te in consoceri ædibus semper esse, ut tu velim abigas, ea conditione ut abigas &c. *Ærugine*. Est tabes æris; quemadmodum rubigo, ferri: hæc rubra, illa viridis: utraque æs, aut ferrum corrodit. Pro invidia interdum metaphorice usurpatur, quia invidus arroditur & conficitur. In hoc loco significat maledicentiam, & obtrectationem, quæ est invidiæ partus.

7. *Abigas*. Meos esse neges: expungas e meis libris.

8. *Qui legitur*. Quemquam qui probetur, qui multos habeat lectores.

XXXII.

Patroni, & clientes a Trajano servati.

1. Di tibi dent quicquid, Cæsar Trajane, mereris;
2. Et rara perpetuo, quæ tribuere, velint:

3. Qui

3. Qui ſua reſtituis ſpoliato jura patrono:
4. Libertis exul non erit ille ſuis.
5. Dignus es, ut poſſis totum ſervare clientem,
6. Et (liceat tantum vera probare) potes.

Verſ. 2. *Rata.* Faxint ut quæ tibi ſunt largiri beneficia, ea ſint perpetua. Conſtantem tibi felicitatem largiantur.

3. *Jura.* Poterat patronus ſive dominus, a libertis ſuis clientibus (liberti omnes erant clientes, licet non omnes clientes liberti forent) certam in rebus quibuſdam operam exigere; alimenta, ſi egeret, bonorum ſemiſſem, ideſt, dimidiam partem, cum teſtamentum conderent; denique revocare illos poterat in ſervitutem, ſi in officio, & fide non manerent. Hoc jure (quod Trajanus reſtituit) patronos Domitianus ſpoliaverat, voluerat-que, ut libertini, hoc eſt libertorum filii, in quos idem atque in libertos jus erat, pares eſſent militibus, qui hoc jure ſoluti erant.

4. Non eris deinceps patronus libertis ſuis pro exule, non tractabitur ab iis, ut exul; non ſpoliabitur bonorum ſemiſſe. Exulibus nullum jus erat gaudendi teſtamento, aut bonis defunctorum fruendi. Exules etiam, & proſcripti carebant omni civium jure. Talis eſſe patronus videbatur, ſuo privatus jure.

5. Dignus es, qui omnes viciſſim clientes ſerves, & ab omni patronorum vindices injuria: hoc tua magnificentia, & bonitate dignum.

6. Omnino id facies, ſi modo clientes juſta probabunt illa eſſe, quæ a patronis petent: aut vere ſe læſos ab iis fuiſſe oſtendent.

XXXIII.

Laus Sulpitiæ poetriæ.

1. Omnes Sulpitiam legant puellæ,
2. Uni quæ cupiunt viro placere.
3. Omnes Sulpitiam legant mariti,
4. Uni qui cupiunt placere nuptæ.
5. Non hæc Colchidos aſſerit furorem,
6. Diri prandia nec refert Thyeſtæ:
7. Scyllam, Byblida, nec fuiſſe credit:
8. Sed caſtos docet, & pios amores,
9. Luſus, delicias, facetiaſque.
10. Cujus carmina qui bene æſtimarit,
11. Nullam dixerit eſſe nequiorem,
12. Nullam dixerit eſſe ſanctiorem.

13. Tales Ægeriæ jocos fuisse
14. Udo crediderim Numæ sub antro.
15. Hac condiscipula vel hac magistra
16. Esses doctior, & pudica, Sappho.
17. Sed tecum pariter simulque visam
18. Durus Sulpitiam Phaon amaret;
19. Frustra: namque ea nec Tonantis uxor,
20. Nec Bacchi, nec Apollinis puella
21. Erepto sibi viveret Caleno.

Vers. 1. *Sulpitiam*. Matrona fuit e nobilissima Sulpitiorum familia, & eodem quo Martialis, ævo floruit. Poema scripsit, præter alia, egregium, de amore conjugali. Hinc ait vates eam esse legendam illis puellis, quæ uni viro servare fidem, quæ castæ conjuges esse velint:

5. 6. Non describit Sulpicia Medeæ scelera, quæ filios trucidavit, &c. nec Thyestæ dapes. Pag. 161, 265. *Colchidis*. Pag. 23. *Asserit*. Tuetur, ac defendit, laudando comprobat.

7. Imo ne credit quidem umquam extitisse Scyllam: (pag. 338.) aut Byblidem. Hæc in fontem conversa fuisse fingitur a poetis. Ovid. 9. Metamorph.

11. *Nequiorem*. Festiviorem, jocosiorem.

13. *Ægeriæ*. Numa secundus Romanorum rex simulabat se ab illa Dea doceri, & accipere leges, quas Romanis imponebat, & cum ipsa colloqui in quodam antro prope Ariciam. Vid. ep. 32. lib. 6.

16. *Sappho*. Pag. 354.

18. *Phaon*. Phaonem amabat Sappho, nec ab eo redamari poterat: Phaon tamen, inquit Noster, Sulpitiam diligeret æque ac tu, simul atque ipsam vidisset, optaretque sibi conjugem tam castam: sed frustra; nec enim erepto sibi viro suo Caleno, vellet esse puella, idest, uxor, pellex, ipsius Jovis, Apollinis, aut Bacchi.

XXXIV.

Vinum pessimum.

1. Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
2. Accipit ætatem quisquis ab igne cadus:
3. A te, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
4. Per freta, per longas toxica sæva vias.
5. Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni
6. Testa sit, aut ullis Setia chara suis.
7. Non venias quare tam longo tempore Romam,
8. Hæc puto causa tibi, est, ne tua vina bibas.

Vers.

Verſ. 1. 2. Quidquid vini in horreis Maſſilæ ſervatur, & fumo cogitur: id eſt, denſatur, miteſcit ac ſeneſcit. Vel *cogunt*, ideſt: continent, ſtipant.

Fumaria. Sunt apothecæ; ubi vinum ætatem, ideſt, maturitatem quamdam, & properatam vetuſtatem a fumo & igne accipit. *Improba* vocantur, quia illa vina fumo excocta, parum ſalubria ſunt. Maſſilia, *Marſilia*; eſt urbs Galliæ Narbonenſis, ad mare Mediterraneum, portu amplidimo.

4. *Toxica*. Venena: vinum peſtiferum. Pag. 175.

5. 6. Nec vina iſta Maſſilitana vili pretio vendis, ſed tanto, quanto ſi venderetur amphora vini Falerni, aut Setini, ſatis caro vendita putaretur.

Falerni. Pag. 39.

Setia. Pag. 216.

Cellis. Apothecis vinariis.

XXXV.

In Hiſpaniam profecturus.

1. Juri, & æquarum cultor ſanctiſſime legum,
2. Veridico Latium qui regis ore forum,
3. Municipi, Materne, tuo veterique ſodali,
4. Gallaicum mandas ſi quid ad Oceanum.
5. An Laurentino turpes in littore ranas,
6. Et ſatius tenues ducere credis acos?
7. Ad ſua captivum quam ſaxa remittere mullum,
8. Viſus erit libris qui minor eſſe tribus?
9. Et fatuam ſumma cænare pelorida menſa,
10. Quoſque tegit levi cortice concha brevis:
11. Oſtrea Bajanis quam non liventia teſtis,
12. Quæ domino pueri non prohibente vorent?
13. Hic olidam clamoſus ages in retia vulpem,
14. Mordebitque tuos ſordida præda canes:
15. Illic piſcoſo modo vix educta profundo
16. Impedient lepores humida lina meos.
17. Dum loquor, ecce redit ſporta piſcator inani;
18. Venator capta marte ſuperbus adeſt.
19. Omnis ab urbano venit ad mare cœna macello.
20. Callaicum mandas numquid ad Oceanum

Verſ. 2. *Qui regis*, &c. Dum jus reſpondes. Erat inſignis juriſperitus. *Municipi*. Pag. 216. Mihi, qui ex eodem ſum ortus ac tu, municipio; nempe Bilbili.

4. Si quid habes, quod in Hiſpania curatum velis, dicito.

Callaicum. Pag. 198.

5. 6. 7. 8. An præſtat ranas & acos prope Romam in Laurentino littore piſcari, (acus eſt piſcis viliſſimus,) quam ingentes mullos in Hiſpania capere (piſces eximios; ſupra, Ep. 29.) qui cum ſunt capti, & captivi, remittuntur tamen ad littorea ſaxa unde capti ſunt, ſi videantur eſſe minores tribus libris, niſi ſint trilibres.

Ducere. Trahere linea piſcatoria.

6. *Fatuam* Inſulſam. *Summa*. Extrema, poſt alias dapes. *Pelorida*. Peloris eſt e cancrorum genere, ſeu oſtreorum; vilis quoque piſciculus. Pag. 285.

10. Et oſtrea parva, ſeu piſciculos, qui concha, tanquam cortice, teguntur.

11. 12. Num præſtat Romæ cœnare peloridas, &c. quam in Hiſpania cœnare oſtrea non liventia, ideſt, non invidentia, nihil cedentia, Bajanis oſtreis, quæ optima; quorum tamen in Hiſpania tanta copia eſt, ut ſervi, & mancipia illis ad ſatietatem, annuentibus dominis, veſci poſſint. *Bajanis*. Pag. 66. 209.

13. *Hic &c.* Romæ ſi venari voles, vulpem aliquam forte capies, idque magno cum clamore, & ſudore. *Olidam*, Pag. 181. nota 10.

15. *Illic &c.* In Hiſpania tendam retia, in quibus paulo ante piſcatus fuerim, quæ recens ex aqua educta ſint, in iiſque lepores pulcherrimi confeſtim capientur.

17. Ecce, dum hæc ſcribo, fidem illis facit iſte piſcator, qui ſporta (eſt vas vimineum) vacua redit; adeo vacui ſunt, & ſteriles Italiæ fluvii: & venator, qui captam martem reportat, ac tam exigua præda ſuperbus eſt. Martes, martis, *una martora*, eſt muſtelæ genus, de quo Plin. Lib. 39. c. 4. Legunt nonnulli *mele*. Meles animal eſt mordax, & alitibus infeſtum, *une fovine*.

19. Ipſum Italiæ mare adeo ſterile eſt, ut piſces ab ipſa urbe Roma veniant, ac deportandi ſint ad naves, ad urbes maritimas, ſi quis in iis cœnare piſces velit. Vides, quam jure Oceanum Callaicum repetam; tu ſi quid curatum iſtic a me velis, ſignifica. Cum diſcedentes aliquem ſalutarent, iſtis vulgo vocibus utebantur, *Numquid vis? numquid rogas?*

XXXVI.

Fortunati conjugis epitaphium.

1. O molles tibi quindecim, Calene,
2. Quos cum Sulpitia tua jugales
3. Indulſit Deus, & peregit annos!
4. Vixiſti tribus, o Calene, luſtris.
5. Ætas hæc tibi tota computatur;

6. Et

6. Et ſolos numeras dies mariti.
7. Ex illis tibi ſi diu rogatam
8. Lucem redderet Atropos vel unam,
9. Malles quam Pyliam quater ſenectam.

Verſ. 1. *Calene*. Fuit Sulpitiæ vir, de qua ſupra, Ep. 33.

2. *Jugales*. Conjugales. Quibus in eodem cum Sulpitia jugo, ſeu conjugio fuiſti. Matrimonium jugum vocatum, quia jugum, & grave eſt, & a duobus fertur, eoſque ex æquo alligat, oneratque.

3. *Peregit*. Copiam tranſigendi dedit: peractos, & plenos conceſſit.

4. *Luſtris*. Pag. 87. 178.

5. Omne illud ſpatium temporis puta bene tranſactum; in vitæ rationibus veluti ponis. Lege ſupra Ep. 22. & 28. verſu 36.

6. Solos illos numeras dies candidos, fortunatos arbitraris, quibus Sulpitiæ maritus fuiſti, Lib. 8. Epig. 45. nota 2.

7. 8. 9. Si unum ex illis diem, poſt multas, ac diuturnas preces, a Parca Atropo, exorare poſſes, illum anteponeres Neſtoris ſenectuti, qui tres ætates conſeciſſe dicitur pag. 266. Pylius vocatur, quia rex Pyli erat, in Græcia. *Atropos* 206.

XXXVII.

Anus annoſa.

1. Conſule tu Bruto quid juras, Lesbia natam?
2. Mentiris, nata es, Lesbia rege Numa.
3. Sic quoque mentiris, namq; ut tua ſæcula narrant,
4. Ficta Prometheo diceris eſſe luto.

Verſ. 1. *Bruto*. Primus, poſt exactos reges, conſul Romanus fuit anno U. C. 245. Numa rex ſecundus Rom. prior Bruto annis fere ducentis.

3. *Ut tua*, &c. Ut eſt hæc tua ætas, & ſenectus, quæ multa ſæcula præ ſe fert.

4. Prima es omnium feminarum; illa ipſa, quam e luto finxit Prometheus. Pag. 9.

XXXVIII.

Divortium utile.

1. Menſe novo Jani veterem, Proculeja, maritum
2. Deſeris; atque jubes res ſibi habere ſuas.
3. Quid rogo, quid factū eſt? ſubiti quę cauſa doloris?
4. Nil mihi reſpondes, dicam ego: prætor erat.

5. Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
6. Millibus, ut nimium munera parca dares
7. Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.
8. Diſſidium non eſt hoc, Proculeja; lucrum eſt.

Verſ. 1. Menſe quolibet Januario, initio cujuſque anni, repudias maritum.

2. Erant hæc divortii concepta verba, quæ conjux conjugem repudians apud prætorem dicebat: *Res tibi tuas habe*. Ideſt, ſarcinas eollige, faceſſe.

4. *Prætor erat*. Ea cauſa fuit mariti deſerendi, quod prætor eſſet; quo in magiſtratu ſumptus magni erant faciendi, quos ille facere non poterat, niſi uxor nummos de ſuo daret.

5. 6. Conſtitiſſet centum millibus ſeſtertium, (ideſt, libris Francicis 10000.) veſtis purpurea, quam, utpote prætur, geſtare debebat in ludis Megalenſibus. In honorem magnæ Deorum matris, ſive Cybeles celebrabantur iſti ludi pridie Non. Aprilis uſque ad quintum Idus. Et munera quædam populo tunc diſtribui ſolebant a prætore. Cybele, Mater μεφάλη, ideſt magna, dicebatur: unde vox Megalenſis facta. Illos ludos celebrabant prætores, aliique magiſtratus, purpurati, in toga & prætexta, ceteroque ornatu exquiſito; unde purpura Megalenſis in proverbium abiit.

7. *Populare ſacrum*. Sacrificium pro populo peragi ſolitum in Megalenſibus *bis dena*, ſeu viginti millia ſeſtertiorum (ſunt libræ Francicæ 2000.) *tuliſſet*. Abſtuliſſet. Conſtitiſſet 20. millibus nummum.

8. Divortium hoc appellandum non eſt, ſed lucrum.

XXXIX.

Ager fœcundus.

1. Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
2. Plus nulli, Phileros, quam tibi, reddit ager.

Verſ. 2. *Plus &c.* Quia uxores in eo ſepultæ amplam tibi ſingulæ dotem ſupeſque relinquerunt.

XL.

Sibi amicus.

1. Quinte Caledonios Ovidi viſure Britannos,
2. Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem;
3. Ergo Numæ colles, & Nomentana relinques

4. Otia?

4. Otia? nec retinet ruſque focuſque ſenem?
5. Gaudia tu differs: at non & ſtamina differt
6. Atropos; atque omnis ſcribitur hora tibi.
7. Præſtiteris charo (quis non hoc laudet) amico,
8. Ut potior vita ſit tibi ſancta fides:
9. Sed reddare tuis tandem manſure Sabinis;
10. Teque tuas numeres inter amicitias.

Verſ. 2. *Ovidi*. De illo vide Lib. 7. Epigr. 38. Cæſonium exulantem voluntarius comes in Britanniam eſt ſecutus pag. 341. *Caledonios*. Pag. 9.

3. *Colles Numæ*. Romam. Numa rex Romanorum ſecundus. *Nomentana* p. 93.

4. *Otia*. Villam, in qua otiaris.

5. *Stamina*. Fila; colum. Pag. 220.

6. *Atropos*. Pag. 206. 220. *Scribitur*. In tuis rationibus veluti perſcribitur.

7. 8. Eſto ſane, concedo tibi ut in gratiam amici tui Cæſonii, fidem, & amicitiam vita ipſa ducas potiorem: ut perire malis, quam eum deſerere.

9. 10. Sed velim tamen, ut redeas in Italiam, & villam tuam Sabinam: ac te ipſum inter tuos amicos numeres. Non te ipſe deſeras, qui aliis deeſſe non vis.

XLI.

Lector faſtidioſus.

1. Si quid lene mei dicunt, & dulce libelli,
2. Si quid honorificum pagina blanda ſonat:
3. Hoc tu pingue putas, & coſtam rodere mavis,
4. Ilia Laurentis cum tibi demus apri.
5. Vaticana bibas, ſi delectaris aceto:
6. Non facit ad ſtomachum noſtra lagena tuum.

Verſ. 3. *Pingue*. Rude, inelegans. *Coſtam rodere*. Oſſa rodere, in quibus nihil carnis ſuccique ſit, mavis; cum apri eximii ilia, inteſtina mollia, & bene condita, tibi apponamus. Præfers carmina maledica, & aſpera, noſtris dulcibus, & innoxiis.

4. *Laurentis*. Libro 9. Epigr. 35.

5. *Vaticana*. Vina peſſima.

XLII.

Laudanda negligentia.

1. Omnia vis belle, Matho, dicere; dic aliquando
2. Et bene; dic neutrum: dic aliquando male.

Vers. 1. *Belle*. Eleganter, ingenioſe, acute.
2. *Bene*. Mediocriter, ut-cumque. *Male*. Negligenter, omiſſis pigmentis, & oratorio fuco Pag. 362.

XLIII.

Vita felix.

1. Vitam quæ faciunt beatiorem,
2. Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
3. Res non parta labore, ſed relicta:
4. Non ingratus ager; focus perennis:
5. Lis nunquam; toga rara; mens quieta
6. Vires ingenuæ; ſalubre corpus,
7. Prudens ſimplicitas, pares amici;
8. Convictus facilis; ſine arte menſa;
9. Nox non ebria, ſed ſoluta curis;
10. Non triſtis torus, & tamen pudicus:
11. Somnus qui faciat breves tenebras;
12. Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis:
13. Summum nec metuas diem, nec optes.

Verſ. 2. *Martialis*. Alloquitur amicum cognominem. Pag. 214.
3. *Res*. Opes, fortunæ. *Relicta*. Patrimonio, teſtamento. Proprie dicitur hæreditas relinqui.
5. *Toga rara*. Rara urbana officia, ſalutationes, obſequia, &c. ad quæ obeunda togis utebantur, ut veſte honeſtiori.
10. *Torus*. Conjugium.
11. Somnus lenis, & arctus, adeo ut nox brevis appareat.
12. Tua ſorte ſis contentus.
13. *Summum diem*. Mortem. Eam qui metuit, anxius eſt, dum ſpoliari bonis, quibus fruitur, timet, qui eamdem optat, id vitæ præſentis odio, vel faſtidio facit, quod ipſum eſt miſerum.

XLIV.

Frugale convivium.

1. Nunciat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
2. Atque pilata redit jamque ſubitque cohors.
3. Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
4. Halat & immodico ſexta Nerone calet.
5. Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis?

6. Se-

6. Septem ſigma capit: ſex ſumus; adde Lupum.
7. Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
8. Attulit, & varias quas habet hortus opes.
9. In quibus eſt lactuca ſedens, & ſectile porrum:
10. Nec deeſt ructatrix mentha, nec herba ſalax.
11. Secta coronabunt rutatos ova lacertos;
12. Et madidum thynni de ſale ſumen erit.
13. Parvus in his una ponetur cœnula menſa
14. Hœdus, inhumani raptus ab ore Lupi.
15. Et quæ non egeant ferro ſtructoris ofellæ,
16. Et faba fabrorum, prototomique rudes.
17. Pullus ad hæc cœniſque tribus jã perna ſuperſtes
18. Addetur: ſaturis mitia poma dabo.
19. De Nomentana vinum ſine fœce lagena,
20. Quæ, bis Frontino conſule, plena fuit.
21. Accedent ſine felle joci, nec mane timenda
22. Libertas: & nil quod tacuiſſe velis.
23. De Praſino conviva meus Venetoque loquetur:
24. Nec facient quemquam pocula noſtra reum.

Verſ. 1. Iſidis ſacerdotes ſacris abſolutis pulſant tintinnabulum de more, ac horam eſſe octavam, ideſt, ſecundam poſt meridiem, admonent. Octava hora exercebant Romani corpora. Pag. 283. *Juvencæ* pag. 108. *Phariæ* pag. 82.

2. *Pilata*. Raſa: calva, pilis vulſis e capite. *Redit*. Sacerdotes Iſidis poſtquam ejus templum aperuerant mane, totam urbem circumcurſabant, fingentes ſe quærere filium Iſidis, ab ea olim amiſſum, quam cæremoniam, in Ægypto ſolemnem, Romæ repræſentabant. Mox ad templum redibant, & ſactis quibuſdam peractis, templum claudebant. Sunt qui legant: *Et pilata redit, &c.* explicantque de militum prætorianorum cohorte pilis, ideſt, brevibus jaculis armata, quæ peractis excubiis rediret in prætoriana caſtra, dum ſubiret altera cohors, illius vices exceptura. *Jamque* ponitur pro jam, ut dixi p. 453.

3. Hac ora octava thermæ ſunt temperatæ, & tepidæ, quæ, hora ſeptima, plus nimio adhuc calidæ ſunt; calidiores etiam, ſexta. *Prior hora*. Septima, quæ octavam præcedit.

4. *Immodico Nerone*. Immodico calore, quo æſtuant thermæ Neronianæ, p. 397.

5. O amici, num tandem venitis? Ecquid ad cœnam properatis?

6. *Sigma*. Lectus erat diſcubitorius, factus in morem litteræ græcæ ſigma, quæ, ut priſco more ſcribebatur, accedebat ad ſimilitudinem litteræ latinæ *c*. Itaque lectus ille hemicyclum, ideſt, ſemicirculum, imitabatur.

Se-

Septem convivas figma capiet: estis jam quinque, nempe Stella, Nepos, Canius, Cerealis & Flaccus: sextus ego sum: addatur Lupus (nomen est viri) septimus erit.

7. Malvæ solvunt alvum ac lubricant.

9. *Sedens*. Sessilis, capitata. Porrum aliud sectivum, aliud capitatum, p. 163.

10. *Ructatrix*. Quæ ructus ciet. *Salax*. Eruca, quæ libidinem proritare dicitur.

11. *Rutatos*. Ruta conditos. In orbem igitur composita ova dura & secta, patinæ oras ambient &c.

Lacertos. Pag. 356.

12. *Sumen*. Mamillæ sunt porcinæ. *Madidum thynni sale*. Conditum garo, seu muria confecta est ilibus thynnorum.

13. Inter illas dapes, una & eadem in mensa, ponetur hœdus. Legitur etiam, *Gustus in his*, &c. quasi dicat. Priora illa erunt leviora ineuntis cœnæ fercula: sequetur cœnæ caput, hœdus, &c. Quid sit *gustus*. V. l. 11. ep. 17.

15. *Structoris*. Structor dividebat carnes, &c. Vide Juvenalem Sat. 11.

Osellæ. Sunt carnium particulæ assatæ in craticula, vel in olla elixæ.

16. *Et faba*, &c. Nempe cibus fabrorum, & deliciæ. Vel, faba certo modo condita, qualem fabri adamant.

Prototomi. Brassicarum cymæ, cauliculi delicatiores, primo vere decisi, Italis *broccoli*: πρωτότμοι πρῶτος, *primus*, τέμνω, *seco*.

17. *Perna*. Suilla coxa.

20. Quæ prima omnium lagenarum impleta est vino, cum Frontinus iterum consul fuit. Ille Martialis ævo floruit, ac librum de Stratagematis scripsit.

21. *Mane timenda*. Postridie, insequenti mane. Domitiani ævo fiebat sæpe, ut quæ in conviviis dicta erant liberius, ad Imperatorem deferrentur, & rei fierent mane, qui simul pridiano convivio indulserant.

23. *De Prasino*, &c. Confabulabimur de aliquo auriga factionis Prasinæ, vel Venetæ. Vide Lib. 6. Ep. 31.

XLV.

Vina plumbea, aureum vas.

1. Cum potes amethystinos trientes,
2. Et nigro madeas Opimiano:
3. Propinas modo conditum Sabinum:
4. Et dicis mihi, Cotta, Vis in auro?
5. Quisquam plumbea vina vult in auro?

Vers. 1. *Amethystinos trientes*. Calices ornatos lapides amethysto. Is ebrietatem impedire putabatur, unde illi nomen, ab α privante & μεθύω ebrius sunt. De

De trientibus dictum est p. 44.

2. *Opimiano*. Subaudi, *vino*, pag. 45.

3. *Modo conditum*. Recens, nuperrime, in amphoras fusum.

Sabinum. Deterrimum; natum in Sabinorum regione, posita ad mare Adriaticum e regione Latii.

4. *Vis*. Subaudi, bibere. *In auro*, poculis aureis.

5. *Plumbea*. Pessima pag. 87. nota 15.

XLVI.

In mortem aurigæ.

1. Frangat Idumæas tristis Victoria palmas:
2. Plange Favor sæva pectora nuda manu.
3. Mutet Honor cultus; & iniquis munera flammis
4. Mitte coronatas, Gloria mœsta, comas.
5. Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, juventa
6. Occidis, & nigros tam cito jungis equos.
7. Curribus illa tuis semper properata, brevisque,
8. Cur fuit, & vitæ tam prope meta tuæ?

Vers. 1. *Idumæas*, p. 101.

2. *Plange*. Tunde; percute.

3. *Cultus*. Vestes: pullas v. g. pro candidis induat.

Et iniquis, *&c.* Gloria tondeat capillos (id in luctu fieri solebat) & eos in ignem projiciat, cum laureis suis coronis.

6. *Nigros*. Nempe iturus ad Plutonem. Omnia in inferis nigra.

7. 8. Qui metam in circo tam propere, tam breviter, attingebas; cur vitæ metam, idest mortem, tam festinanter attigisti?

XLVII.

Mors decepta.

1. Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria circi;
2. Plausus Roma tui, deliciæque breves:
3. Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,
4. Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Vers. 1. *Ille ego sum*, *&c.* Videtur carmen hoc epitaphii loco positum fuisse.

Circi. Pag. 23. 307.

3. *Lachesis*. Pag. 276.

Trieteride nona. Anno ætatis 27. Vide pag. 294.

4. *Palmas*. Quas in circo sum adeptus. Lege paginam 218.

Laus

XLVIII.

Laus vitæ ruſticæ.

1. Sidera jam Tyrius Phryxæi reſpicit agni
2. Taurus, & alternum Caſtora fugit hyems.
3. Ridet ager, veſtitur humus, veſtitur & arbos:
4. Iſmarium pellex Attica plorat Ityn.
5. Quos Fauſtine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
6. Abſtulit! o ſoles! o tunicata quies!
7. O nemus, o fontes, ſolidumque madentis arenæ
8. Littus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis?
9. Et non unius ſpectator lectulus undæ,
10. Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris.
11. Sed neque Marcelli, Pompejanumque, nec illic
12. Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater:
13. Nec Capitolini ſummum penetrale Tonantis,
14. Quæque nitent cœlo proxima templa ſuo.
15. Dicere te laſſum quoties ego credo Quirino:
16. Quæ tua ſunt, tibi habe: quæ mea, redde mihi.

Verſ. 1. Jam ſignum Tauri oritur, & Arietis ſidus antea exortum reſpicit. Aries primum eſt Zodiaci ſignum, & initium anni aſtronomici, ac veris: hunc proxime conſequitur Taurus, quem Tyrium appellat, quia fabulis proditum eſt, eum in ſidera relatum fuiſſe, poſtquam Europam Agenoris, qui Tyrum condidit, filiam per mare in Cretam vexiſſet. Aries vero cum Phryxæus vocetur, explicui pag. 282. Oritur ille die 25. Martii: Taurus 21. Aprilis: Gemini 21. Maji. Ita vernos tres menſes complectitur, ac deſcribit hoc diſticho.

2. *Alternum*, *&c.* Jam Maius menſis inſtat, de quo Geminos, ſignum cœleſte in Zodiacum tertium, ſol ingreditur, & hyems omnino abſcedit. Sunt autem illi Gemini, Caſtor, & Pollux, alternis vivere, & mori dicti, ut explicatum Ep. 38. Lib. 5. & 21. Lib. 8.

4. *Pellex Attica*. Philomela. Pandionis enim Athenienſium regis erat filia. Pellex dicitur, nempe Terei, a quo temerata eſt.

Ityn. Filium ſororis ſuæ Procnes, quem ipſa Procne, illatam ſorori ſuæ Philomelæ injuriam non ferens, ſectum in fruſta, & elixum, Tereo marito ſuo epulandum appoſuit. Pag. 271.

Iſmarium. Thracium, quia Tereus ejus pater, Thraciæ rex erat, in qua mons Iſmarus.

5. Quam candidis, & amænis diebus caruiſti, quibus Ra-

Ravennæ, (pag. 165.) in tua villa frui poteras, & quos tibi Roma, dum te occupatum tenet, male invidit, & abstulit!

Tunicata quies. Libera a negotiorum tumultu, ambitione, &c. Populus, Romæ, cives in municipiis, rustici in pagis, erant fere tunicati.

7. 8. *Solidum littus*. Non molle & paludosum, sed arena duriore, licet madida, firmum & stipatum.

Anxur. Pag. 230.

9. 10. O rem suavem! cum e suo lectulo potest aliquis mare, & circumfusa flumina contemplari, ut Anxure licet. *Non unius*. Non tantum fluvialis, sed etiam marinæ.

11. Atqui non est illic theatrum Marcelli, & Pompeji. Augustus in honorem Marcelli, filii Octaviæ sororis suæ theatrum extruxit inter Capitolium & Tiberim: *Pompejanum*, pag. 284.

12. *Thermæ*. Pag. 5. *Triplices*. Triplici contignatione ædificatæ: vel, tres maxime celebres, Agrippæ, Neronis, & Titi. De foris quatuor dictum supra, ep. 27. Lipsium ad Lib. 5. de admirandis Romæ.

13. Non templum Jovis Capitolini, p. 206. 237. 355.

14. Templum Flaviæ gentis, de quo lege plura Lib. 9. Ep. 2. & 3.

15. O quoties Romulo & Romæ dicis, ut opinor, serva tibi tuos honores, curas, templa magnifica, & theatra: otium, rus, villam meam, mihi redde! *Quirino*. Romulus cum hasta fere pingebatur, utpote bellator; hasta autem Sabinorum lingua vocabatur quiris. Inde Romulo nomen Quirini.

XLIX.

Oculorum dapes.

1. Mensas, Ole, bonas ponis; sed ponis opertas.
2. Ridiculum est: possum sic ego habere bonas.

Vers. 1. *Opertas*. Tectas, clausis lancibus, quas aperire nemini licebat, præter Olum fortasse.

2. *Ego*, Licet pauper, tales habere mensas possum, nempe ubi lances opertæ sint, ac vacuæ.

L.

Clientes ægroti.

1. Totis, Galle, jubes tibi me servire diebus,
2. Et per Aventinum ter quater ire tuum.
3. Eximit aut reficit dentem Cascellius ægram;
4. Infestos oculis uris; Higine, pilos.
5. Non secat, & tollit stillantem Fannius uvam:

6. Tri-

6. Triſtia ſervorum ſtigmata delet Eros.
7. Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.
8. Qui ſanet ruptos, dic mihi, Galle, quis eſt?

Verſ. 1. *Servire*. Officia clientum, & obſequii, vel ſervitia potius, præſtare.

2. *Aventinus*. Pag. 307. *Tuum*. In quo habitas.

4. *Pilos*. Cum pili palpebrarum ſunt longiores, eas vellicant, ac lædunt, itaque uri debent, aut evelli, hoc præſtabat egregie Higinus quidam, medicus ophthalmicus. Pag. 414.

5. *Uvam*. Eſt morbus quidam, cum in faucibus naſcitur tuberculum, ab uvæ ſimilitudine, uva dictum; quod, niſi a peritiſſimis medicis, ſanari ſine ſectione non poteſt. Fannius ſanat uvam, eam non ſecando.

6. Eros chirurgus quidam, delet notas ferro candenti ſervis inuſtas. Pag. 415.

7. Hermes medicus, fertur eſſe Podalirius, ideſt, non inferior Podalirio, antiquo & celebri medico, Machaonis fratre, Æſculapii filio, in ſanandis Enterocelis, ἐντερόκηλα Græcis, inteſtinum eſt: κήλη, tumor, ἐντερόκηλη, morbus Hernia vulgo dictus, quo inteſtina in ſcrotum decidunt, diducta, & fracta pellicula interiore, qua continentur.

8. *Ruptos*. Hoc in loco non videtur ea vox poni pro homine graviori hernia laborante, id quod vulgo ſignificat; ſed pro cliente qui currendo, & ſerviendo patronis, ruptus, fatigatus, ac fractus eſt, cujus rupta toga, rupti calcei, &c. Talis ego ſum, inquit, neque hujus mali remedium eſt invenire.

LI.

Pretioſum piper.

1. Argenti libram mittebas: facta ſelibra eſt:
2. Sed piperis: tanti non emo, Sexte, piper.

Verſ. 1. *Argenti libram*. Pag. 133. *Selibra*. Pag. 86. 244. *Facta*. Mihi a te miſſa eſt, pro argenti libra, ſemiliora piperis.

2. *Tanti*. Tot laboribus, quot ſumo in te ſalutando, comitando, &c.

LII.

Amor non officioſus.

1. Anxuris æquorei placidos, Frontine, receſſus,
2. Et propius Bajas, litoreamque domum,

3. Et

3. Et quod inhumanæ Cancro fervente cicadæ
4. Non novere nemus, flumineoſque lacus
5. Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat
6. Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.
7. Hic mihi, quando dies meus eſt? jactamur in alto
8. Urbis, & in ſterili vita labore perit;
9. Dura ſuburbani dum jugera paſcimus agri,
10. Vicinoſque tibi, ſancte Quirine, Lares.
11. Sed non ſolus amat, qui nocte dieqi frequentat
12. Limina: nec vatem talia damna decent.
13. Per veneranda mihi Muſarum ſacra, per omnes
14. Juro Deos, & non officioſus amo.

Verſ. 1. 2. *Anxuris*. P. 230. *Bajas*. 66. 209. Ducenda ſententia eſt a verſu 5. *Dum colui*. Dum habitavi Anxur, Bajas, & loca maritima.

3. Quando frequentabam illud nemus, illos lacus, quos facit flumen Alix, ubi cicadæ, vel media in æſtate, ſilent. Eſt illud nemus in agro Rheginо, ubi ultima Italia Siciliam reſpicit. Ibi Alix agros Locrenſem, & Rheginum dividit, cujus in ripa, quæ Rhegium ſpectat, cicadas obmuteſcere, Plinius teſtatur Lib. XI. cap. 27. in ea vero, quæ Locros, canere. Sed cur inhumanæ cicadæ? an quia ſtridore querulo obſtrepunt? an legendum, ut Scaliger putat, *inhumano cancro*? ideſt, æſtuanti, ſævo *Cancro*. Pag. 273. *Cicadæ*. Cicada inſectum quoddam eſt e genere locuſtarum, canorum, & ſtreperum.

6. *Terit*. Vexat, fatigat. *Pieridas*. Pag. 350.

7. Hic, in urbe, quando diem habeo meum? ideſt, in quo mihi, & meis amicis vacare poſſim? nullum.

8. *In alto urbis*. In urbe, tanquam in mari jactor. *Et in ſterili &c.* In illis urbanis curis, & procellis vitam laborioſam, nullo fructu, & operæ pretio totam perdo.

9. Maneo autem Romæ, ut colam domum ſuburbanam vicinam templo Romuli: quæ adeo ſterilis eſt, ut a me paſcatur potius magno ſumptu, quam me fructibus ſuis paſcat. *Sic* infra. *Paſcitur; ibi paſcit ager*, Epig. 82.

11. *Amat*. Amici viri partes implet.

12. *Limina*. Domum amici. *Vatem*. Scribendo occupatum. *Damna*. Temporis.

14. *Et non officioſus*. Licet urbanitate operoſa te non proſequar, amo te tamen. Multi amicitiam inanibus officiis male metiuntur.

Lector

LIII.

Lector delicatus.

1. Consumpta est uno si lemmate pagina, transis,
2. Et breviora tibi, non meliora, placent.
3. Dives & ex omni posita est instructa macello
4. Cœna tibi; sed te mattya sola juvat.
5. Non opus est nobis nimium lectore guloso.
6. Hunc volo qui fiat non sine pane satur.

Vers. 1. Cum vides paginam repletam uno tantum epigrammate, quod proinde longiusculum sit, hanc transis, non legis. *Lemma* est inscriptio carminis, titulus & summa, sive comprehensio: λῆμμα, a λαμβάνω, capio, comprehendo; pro toto epigrammate hic sumitur.

4. *Mattya*. Significat ea vox cupedia, crustula delicata, & alia id genus, quæ a pistoribus dulciariis confici solent, a voce græca ματτύη, quam vocem Athenæus l. 14. ait significare, omne obsonium exquisitius. Μάττω, pinso, subigo. Ita usurpat Svet. in Calig. *Multis venenatas mattyas misit*.

5. *Guloso*. Cupediarū amāte.

6. Hunc probo, qui solidis etiam cibis, & pane delectetur: qui nolit epulari, nisi apponatur panis.

LIV.

In ludimagistrum.

1. Jura trium petit a Cæsare discipulorum,
2. Assuetus semper Munna docere duos.

Qui tres habebant liberos certo gaudebant jure. Pag. 140. Quidam indoctus ludimagister ad similitudinem illius juris trium liberorum, trium discipulorum jus petebat a Cæsare, quamvis ad eo esset desertus & contemptus, ut numquam discipulos plures duobus habuisset.

LV.

Epitaphium.

1. Hic festinata requiescit Erotion umbra,
2. Crimine quam fati sexta peremit hyems,
3. Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
4. Manibus exiguis annua justa dato.

5. Sic

5. Sic lare perpetuo, ſic turba ſoſpite, ſolus
6. Flebilis in terra ſit lapis iſte tua.

Verſ. 1. *Erotion*. Puella, de qua vide Lib. V. Ep. 34. 37. *Feſtinata umbra*. Morte immatura.

2. Quam confecit ſextus annus crudeli fato, & prope ſcelerato. Legitur etiam *peregit*, ideſt, cujus vitam abſolvit.

4. *Manibus*. Umbræ Erotii. *Juſta*. Sic vocabantur ſacrificia pro mortuis fieri ſolita, quia iſto, qui defunctis habetur, honore nihil eſt juſtius.

5. 6. Precor viciſſim, ut ſis ipſe tota cum domo tua, & familia, ſalvus, & incolumis; nullumque tumulum præter hunc, in agro tuo videas. *Lare*. Pag. 156. 166. Lapidem ſive cippum tumulis imponebant, in quo ſcriberent aliquid; epitaphii loco. Similem habes clauſulam Epigr. 21. Lib. VI.

LVI.

Æſtas puerorum ſtudiis inopportuna.

1. Ludi magiſter parce ſimplici turbæ:
2. Sic te frequentes audiant capillati,
3. Et delicatæ diligat chorus menſæ;
4. Nec calculator, nec notarius velox
5. Majore quiſquam circulo coronetur:
6. Albæ leone flammeo calent luces,
7. Toſtamque fervens Julius coquit meſſem.
8. Cirrata loris horridi Scythæ pellis,
9. Qua vapulavit Marſyas Celænæus,
10. Ferulæque triſtes, ſceptra pædagogorum,
11. Ceſſent, & Idus dormiant in Octobres:
12. Æſtate pueri ſi valent; ſatis diſcunt.

Verſ. 2. *Capillati*. Cincinnati, & nobiles pueri. P. 168. not. 30.

3. *Chorus menſæ*. Pueri in chorum, & inſtar coronæ, cingentes menſam, in qua legunt, ſcribunt, audiunt.

4. *Calculator*. Qui tradit putandi, & numerandi artem; qui arithmeticam docet. *Notarius*, Pag. 263.

5. *Majore circulo*. Pluribus diſcipulis in orbem circumſtantibus cingatur.

6. Dies calidi ſunt, ac puri, æſtate ſicca. Leo, ſidus æſtivum, quintum in Zodiaco, p. 7. 211. 403.

8. *Scythæ horridi pellis*. Corium, quo utitur immanis Scytha, ad conficienda lorea flagra, ſeu ſcuticas. Dicitur iſta pellis, ſive ſcutica *loris cirrata*: nempe loris e manubrio, tanquam cirris, capilliſque ex capite, pen-

pendentibus. *Scythæ horridi*, qui horridus est ob lora immania, quibus servos castigare solet. Scythæ enim crudeles admodum erant & loris ac pellibus plurimum utebantur. De illis habita mentio supra, Ep. 20.

9. *Marsyas*. Pastor Phrygius fuit, qui ausus Apollinem fistula provocare, prope Celænas oppidum Phrygiæ, victus ab eo, loris cæsus, demum pelle ipsa spoliatus est. Ovid. 6. Metam.

11. *Dormiant*. Quiescant, non tractentur usque ad medium Octobrem: cum remittet æstus. Tota æstate pueri ne vapulent, nec laborare cogantur. *Idus*. Pag. 147. 217.

LVII.

Epitaphium nobilis matronæ.

1. Marmora parva quidem, sed non cessura, viator,
2. Mausoli saxis, Pyramidumque legis.
3. Bis mea Romano spectata est vita Terento;
4. Et nihil extremos perdidit ante rogos.
5. Quinq; dedit pueros, totidem mihi Juno puellas:
6. Clauserunt omnes lumina nostra manus.

Vers. 1. Tumulum parvum e marmore vides: non cedet ille tamen Mausoleis omnibus & Pyramidibus. De utrisque vide pag. 3. 4.

3. Quo vixi tempore, bis celebrari fuere ludi sæculares. Oportet vixerit hæc matrona fere annis 110. Nam totidem interceſſere inter ludos ab Augusto celebratos, & eos quos Domitianus edidit, ut dixi Libro IV. Ep. 1. Recens nata erat sæcularibus Augusti ludis; senio confecta ludis Domitiani: unde non ait utrosque sibi spectatos fuisse, sed in utrisque se vixisse, spectatam se fuisse, id est, fuisse admirationi omnibus, ob diuturnitatem vitæ. In illis sæcularibus ludis fiebant sacra quædam Diti, in Terento. De illo habui mentionem, pag. 71. 178.

4. *Nil perdidit*. Non dentes, non usum oculorum, aut alia id genus, quæ anni adimunt. *Rogos*. Pag. 258.

6. Clauserunt mihi morienti oculos omnes mei liberi. Hoc votum parentum est, ut liberos sibi superstites relinquant.

LVIII.

In hominem effeminatum.

1. Cum te municipem Corinthiorum
2. Jactes, Carmenion, negante nullo,

3. Cur

3. Cur frater tibi dicor, ex liberis
4. Et Celtis genitus, Tagique civis?
5. An vultu similes videmur esse?
6. Tu flexa nitidus coma vagaris:
7. Hispanis ego contumax capillis.
8. Levis dropace tu quotidiano;
9. Hirsutis ego cruribus, geniisque.
10. Os blæsum tibi, debilisque lingua est;
11. Nobis filia fortius loquetur.
12. Tam dispar aquilæ columba non est;
13. Nec dorcas rigido fugax leoni.
14. Quare desine me vocare fratrem:
15. Ne te, Carmenion, vocem sororem.

Vers. 1. Municipes erant cives quarumdam urbium, jure civitatis Romanæ fruentium. Pag. 216. Municeps aut civis Corinthius hoc loco significat hominem improbum & mollem, quia Corinthus (Pag. 256.) deliciarum & nequitiæ fama laborabat.

2. *Negante nullo*. Quoniam id mores tui satis loquuntur & probant.

3. 4. Ego natus in Celtiberia provincia Hispaniæ, pag. 55. *Tagi* 55. 207.

6. *Flexa*. Crispata, calamistrata. Pagina 117. *Nitidus*. Unguentis delibutus.

7. *Contumax*. Incultus, asper, hirsutus.

8. *Dropace*. Dropax medicamenti quoddam genus est, e pice conflatum, quo pili e cute velluntur.

11. Apud nos, Hispanos videlicet, filia, puella, fortiori voce ac magis virili, quam tu, loquetur.

13. *Dorcas*. Sylvestris caprea.

Sororem. Nempe feminæ quam viro similiorem.

LIX.

Elegans coquus.

1. Quis rogo tam durus, quis tam fuit ille superbus,
2. Qui jussit fieri te, Theopompe, cocum?
3. Hanc aliquis faciem nigra violare culina
4. Sustinet? has uncto polluit igne comas?
5. Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit?
6. Qua sapient melius mista Falerna manu?
7. Si tam sidereos manet exitus iste ministros,
8. Jupiter utatur jam Ganymede coco.

Vers.

Verſ. 4. *Uncto igne*. Nidore: igne culinario fumoſo & pingui.

5. *Potius*. Potiori jure. Decentius.

7. *Sidereos*. Dignos ſideribus: elegantes.

Exitus iſte. Culina,

8. Poterit ipſe quoque Ganymedes eſſe coquus Jovis, neque illum culina dedecebit.

LX.

Epitaphium vetulæ.

1. Pirrhæ filia, Neſtoris noverca,
2. Quam vidit Niobe puella, canam,
3. Laertes aviam ſenex vocavit,
4. Nutricem Priamus, ſocrum Thyeſtes,
5. Jam cornicibus omnibus ſuperſtes,
6. Hoc tandem ſita conditur ſepulcro
7. Calvo Plotia cum Melanthione.

Verſ. 1. *Pyrrhæ*. Fuit Pyrrha uxor Deucalionis. Neſtor multo ante Homerum, bello Trojano vixit.

2. *Niobe*. Uxor Tantali, quæ dicitur hic fuiſſe puella, cum jam anus eſſet iſta Plotia.

3. *Laertes*. Pater Ulyſſis.

Avia. Eſt patris, vel matris mater.

4. *Socrum*. Eſt ſocrus, uxoris, aut mariti mater, *belle mere*.

Thyeſtes. Pag. 161, 203, 265.

5. *Cornices*. Diutiſſime vivere feruntur.

8. *Melanthione*. Suo viro.

LXI.

Uxor imperitans viro.

1. Cuſtodes das, Polla, viro; non accipis ipſa:
2. Hoc eſt uxorem ducere, Polla; virum.

Verſ. 1. *Cuſtodes*. Apponebantur a viris interdum cuſtodes uxoribus, ut eas obſervarent: hæc Polla viro apponebat, licet illo fortaſſe non caſtior.

2. Id cum facis, virum ducis, viros imperitas: cum tamen uxorem vir ducere, illi imperare debeat. Lux affulgebit huic epigrammati ex Ep. 12. lib. 8. pag. 377.

LXII.

Quare ſegnior in ſcribendo ſit.

1. Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,

2. Deſi-

2. Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
3. Justius at quanto mirere; quod exeat unus,
4. Labantur toti cum mihi sæpe dies.
5. Nunc resultantes video nocturnus amicos,
6. Gratulor & multis; nemo, Potite, mihi.
7. Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam;
8. Nunc me prima sibi; nunc sibi quinta rapit.
9. Nunc consul, prætorve tenet; reduces choreæ:
10. Auditur toto sæpe poeta die.
11. Sed nec causidico possis impune negare,
12. Nec si te rhetor, grammaticusve rogent:
13. Balnea post decimam lasso, centumq; petuntur
14. Quadrantes: fiet quando, Potite, liber?

Vers. 1. *Exeat*. In lucem edatur.

4. *Labantur*. Inanes, vacui a Musis litterisque, dilabantur & effluant: cum sim totos sæpe dies otiosus.

5. Nunc resalutor ab amicis vesperi, quos mane salutavi.

6. *Gratulor*. Convenio multos, ut iis vel honores ipsis oblatos, vel opes, &c. gratuler, cum nemo istis de causis mihi gratuletur.

7. Nunc vocor in montem Aventinum, ubi Diana colitur, ut signem annulo, tabulas, testamentum, &c. Lucifera vocatur Diana, quod pueris in lucem edendis præsit: qua etiam de causa Lucina nuncupatur, p. 12.

8. *Prima*. Diei hora prima post ortum solem.

Rapit. Ad varia negotia obeunda. Vide Lib. 4. Ep. 7.

9. *Consul, Prætor, &c.* Comitandi, reducendi, observandi, consulendi de jure. De Consulibus plura, si cupis, quære pag. 351. De prætoribus, pag. 218.

Choreæ. Vel histrionum, vel sacerdotum Isidis, de quibus fit supra mentio Ep. 44.

10. Sæpe operam do per totum diem alicui poetæ suos versus recitanti.

11, 12. *Negare*. Te ad futurum illi agenti causam in foro, rhetori declamanti, grammatico aliquid artis suæ proprium edenti.

13. Balneis utor duabus horis tardius, quam ceteri, nempe hora decima, (id est, quarta post meridiem) & sportulam peto. *Quadrantes*. Pag. 64. 145.

14. In tot iniquis occupationibus ecquod spatium supereſt libro scribendo.

LXIII.

Epitaphium senis.

1. Quisquis læta tuis, & sera parentibus optas

2. Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.
3. Condidit hac charas tellure Rabirius umbras:
4. Nulli ſorte jacent candidiore ſenes.
5. Bis ſex luſtra tori nox mitis & ultima clauſit;
6. Arſerunt uno funera bina rogo.
7. Hos tamen ut primis raptos ſibi quærit in annis,
8. Improbius nihil his fletibus eſſe poteſt.

Verſ. 2. *Rabirius*. Quis ille ſit, diſces pag. 348.

3. *Umbras*. Utriuſque ſui parentis.

4. Nulli ſenes feliciore mortis conditione ſunt uſi, quam pater, & mater Rabirii.

5. Annos ſexaginta, eodem toro, & matrimonio juncti peregerunt. *Luſtra*. pag. 87. 178. *Rogo*. 258.

7. Tamen Rabirius illos ita deſiderat, lugetque, ut ſi florentes ætate, ac juvenes, ſibi erepti forent.

8. Non recte facit, qui eos longa, & felici vita functos plores; gaudeat potius tandiu tam beate utrumque vixiſſe.

LXIV.

Ingenioſe Trajano blanditur:

1. Fruſtra, Blanditiæ, venitis ad me.
2. Attritis miſerabiles labellis:
3. Dicturus Dominum Deumque non ſum:
4. Jam non eſt locus hac in urbe vobis,
5. Ad Parthos procul ite pileatos,
6. Et turpes, humileſque, ſuppliceſque
7. Pictorum ſola baſiate regum.
8. Non eſt hic dominus, ſed Imperator,
9. Sed juſtiſſimus omnium Senator;
10. Per quem de Stygia domo reducta eſt
11. Siccis ruſtica Veritas capillis.
12. Hoc ſub principe, ſi ſapis, caveto
13. Verbis, Roma, prioribus loquaris.

Verſ. 3. *Dominum Deumque*. Qualem antea ſe Domitianus appellari jubebat.

5. *Ad Parthos*. Vel quia in Oriente longe ſunt poſiti vel quia genus impenſe adulatrix. Pag. 126. 266. Pileos autem gerebant, quales nunc fere Armeni, ut patet ex antiquis numiſmatibus.

7. *Pictorum*. Auro, & Purpura, picta & ſuperba veſte, indutorum.

Sola. Pedes, calceos, qui ſub ſunt pedibus. Pathorum regum faſtus inſignis perhibetur

betur, qui se regum reges dictitabant, & duplex gerebant diadema &c. *Basiate*. Osculamini.

11. *Siccis*. Non madidis unguento. *Rustica*. Inculta: sine fuco. Rustici sunt vulgo candidi simplicesque.

13. *Prioribus*. Adulatoriis, servilibus. De modestia Trajani, & moribus plura vide in aureo, quem scripsit Plinius, panegyrico.

LXV.

Amici eruditi donum.

1. Littera facundi gratum mihi pignus amici
2. Pertulit, Ausoniæ dona severa togæ:
3. Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti,
4. Vellet Mæcenas Cęsarianus eques.
5. Vilior hæc nobis alio mittente fuisset:
6. Non quacumque manu victima cæsa litat:
7. A te missa venit: possem nisi munus amare,
8. Marce, tuum, poteram nomen amare meum.
9. Munere sed plus est, & nomine gratius ipso,
10. Officium docti judiciumque viri.

V. 1. Significavit mihi per litteras amicus, missam a se mihi fuisse togam.

2. *Ausoniæ*. Qua Romani utuntur. Pag. 8. *Severa dona*. Quia toga vestis erat dignitatis, & gravitatis plena, cum qua prodibant in publicum, quam in honorem amicorum, cum eos excipierent aut convenirent, adhibebant, &c.

3. *Fabricius*. Romanus homo, admirandæ frugalitatis: de quo libro 9. facta mentio. Pag. 434. *Apicius* Helluo celebris. Pag. 131.

4. *Mæcenas*. Fuit in corporis cultu lautitiisque nimius. Pag. 403. *Cæsarianus*. Sic appellatur, quia Cæsari Augusto semper addictissimus fuit. *Eques*. pag. 404. nota 9.

6. *Licet*. Superbos placat. Superis placet. Ita multum interest, a quo munus donetur.

8. *Nomen*. Et amici, & meo simile, qui Marcus, itidem, ut tu, vocor. Is erat Marcus Antonius Primus.

10. *Officium*. Urbanitas, liberalitas. *In licium*. De me existimatio. Est mihi perhonorificum tanti fieri a tanto viro, & isto coli munere.

LXVI.

Poeta laboris pertæsus.

1. Jam parce lasso, Roma, gratulatori,

2. Laſſo clienti: quamdiu ſalutator.
3. Anteambulones, & togatulos inter
4. Centum merebor plumbeos die toto;
5. Cum Scorpus una quindecim graves hora
6. Ferventis auri victor auferat ſaccos.
7. Non ego meorum præmium libellorum
8. (Quid enim merentur) Apulos velim campos,
9. Non Hybla, non me ſpicifer capit Nilus,
11. Nec quæ paludes delicata Pomptinas
11. Ex arce clivi ſpectat uva Setini.
12. Quid concupiſcam quæris ergo? dormire.

Verſ. 1. *Gratulatori*. Qui patronos obſervat, colit, iis gratulatur.

Togatulos. Ita clientes vocat, qui togati ferme ſemper erant. Pag. 56.

4. *Plumbeos centum*. Subaudi, nummos. Centum quadrantes. Erant ii nummuli vulgo ex ære, raro plumbei. Sic illos ergo per contemptum vocat. Pag. 86.

5. *Scorpus*. Supra Ep. 46.

47. *Ferventis*. Recentis a camino: nitidi.

8. *Apulos*. Frumenti feraces. Pag. 124.

9. *Hybla*. Mons Siciliæ, dives mellis. *Spicifer Nilus*. Ægyptus frumenti ferax.

10. *Paludes Pomptinas*. Eſt palus Pomptina, ſeu Pontina (*Paludi Pontine*) in Latio, ad oram maris Tyrrheni, inter Setiam, Privernum, Norbam, &c.

11. *Setini*. pag. 216. 316.

12. *Dormire*. Otiari, quieſcere.

LXVII.

Poeſis contempta.

1. Hoc Fortuna tibi videtur æquum?
2. Civis non Syriæve, Parthiæve,
3. Nec de Cappadocis eques cataſtis,
4. Sed de plebe Remi, Numæque verna,
5. Jucundus, probus, innocens, amicus,
6. Lingua doctus utraque; cujus unum eſt,
7. Sed magnum vitium, quod eſt poeta,
8. Pullo Mævius alget in cucullo:
9. Cocco mulio fulget Incitatus.

Verſ. 1. 2. *&c.* Hoccine eſt juſtum, o Fortuna? Mævius, homo Romanus, non ej Syro mancipio, vel Partho factus civis; non eques e ſervo, at ingenuus.

Syriæ.

Syriæ. Eſt pars Aſiæ, prope Palæſtinam, & Phæniciam. Inde multa mancipia. *Parthiæ*. Pag. 126. 266.

3. *Cataſtis*. pag. 292. Cappadocæ vocantur, quia e Cappadocia, regione minoris Aſiæ, multa mancipia Romam deportabantur.

4. *Remi*. Qui Romam cum Romulo fratre condidit. *Numæ*, pag. 505. *Vernæ*, pag. 48.

6. *Utraque*. Latina & græca.

8. *Cucullo*. Eſt capitis tegmen vile ac plebejum: pag. 59.

9. *Incitatus*. Equorum agitator, quem per contemptum vocat mulionem. Ille, inquit, cocco & purpura veſtitus lucet; locuples & lautus eſt. *Cocco*, pag. 119. Fuit etiam *Incitatus*, equus Caligulæ, cui domum, familiam, & ſuppellectilem eburneam dedit, conſulatum etiam deſtinavit: &c. Sveton. c. 55. Quamobrem legunt quidam in hoc verſu, *mulio incitati*, ideſt, equiſo, hippocomos Incitati.

LXVIII.

In medici mortem.

1. Nequius a Caro nihil unquam, Maxime, factū eſt,
2. Quam quod febre perit; fecit & illa nefas.
3. Sæva, nocens, febris ſaltem quartana fuiſſet!
4. Servari medico debuit illa ſuo.

Verſ. 1. Nihil fecit unquam Carus, quod medicum veteratorem, & aſtutum deceret magis, quam cum febrem paucorum dierum quaſi elegit qua periret.

2. *Fecit & illa nefas*. Fecit improbe febris, quæ cito, leniterque ſuſtulit hominem, qui lenta morte, & multo perire cruciatu debuerat.

3. Utinam febris illa fuiſſet quartana, diu illum torſiſſet. Quartanæ vix remedium invenitur.

4. Debuit febris quartana medico ſervari, ut eum puniret, a quo tot homines necati ſunt.

LXIX.

Ad amicum peregre proficiſcentem.

1. Ibis littoreas, Macer, Saloñas:
2. Ibit rara fides, amorque recti,
3. Et ſecum comitem trahet pudorem.
4. Semper pauperior redit poteſtas.
5. Felix auriferæ colone terræ,
6. Rectorem vacuo ſinu remittes,

7. Optabisque moras, & exeuntem
8. Udo Dalmata gaudio sequeris:
9. Nos Celtas, Macer, & truces Iberos
10. Cum desiderio tui petemus.
11. Sed quæcumque tamen feretur illinc
12. Piscosi calamo Tagi notata
13. Macrum pagina nostra nominabit.
14. Sic inter veteres legar poetas,
15. Nec multos mihi præferas priores,
16. Uno sed tibi sim minor Catullo.

Vers. 1. Salonæ, (*Salona*) urbe olim Dalmatiæ, in ora maris Hadriatici.

4. Magistratus probus, & pecuniæ abstinens, (qualem Macrum descripsit) semper e provincia redit pauperior, quam iverat. Quia multa largitur, nihil rapit.

3. *Colone*. Pag. 106. 209.

Auriferæ. Aurum a Dalmatis in summa tellure colligi testis est Plin. lib. 33. cap. 4.

6. *Rectorem*. Macrum, tuum præfectum. *Vacuo sinu*. Non onustum tuis ipoliis, ut ceteros.

8. *Udo*. Madido lacrymis. *Dalmata*. Dalmatæ, populi sunt Europæ, ad sinum Hadriaticum, in eo tractu, qui Italiæ partem Orientalem respicit.

9. 10. Nos Celtiberiam repetemus. De illa mentio jam habita pag. 54. *Desiderio tui*. Dolore tuæ absentiæ.

11. Sed quæcumque tamen e Celtiberia mittetur a me Epistola, in ea de te loquar. Utebantur aliquando ad scribendum arundinibus, sive calamis, qui in piscosis locis & ripis fluviorum nascuntur. *Tagi*. pag. 53. 207.

Notata. Exarata, scripta.

14. 15. 16. Ita me superi ament, ac me locum inter veteres habere poetas velint. Ita nulli priorem, nisi forte Catullo, judice te, cedam: ut tui semper memor ero. *Catullo*. pag. 35.

LXX.

Stulta æmulatio.

1. Ad Lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
2. Ad quartum breve rus emit Otacilius.
3. Torquatus nitidas vario de marmore thermas
4. Extruxit: cucumam fecit Otacilius.
5. Disposuit daphnona suo Torquatus in agro:
6. Castaneas centum sevit Otacilius.
7. Consule Torquato, vici fuit ille magister,
8. Nec minor in tanto visus honore sibi.

9. Gran-

9. Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim:
10. Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Vers. 1. Ad quartum ab urbe milliarium, ad passus quater millenos. Vide pag. 36.

Prætoria. Villam magnificam. Quales erant basilicæ prætorum. 218.

3. 4. *Thermas.* pag. 5.

Cucumam. Cucuma, cucumella, proprie vasis genus est, idoneum ad aquam calefaciendam; hic pro balneolo, vel tuguriolo ponitur;

5. *Daphnona.* Lauretum, agrum lauris consitum, δαφνῶνα; δάφνη laurus, δαφνών, lauretum.

7. *Consule.* pag. 38. 351.

Vici magister. Singulis vicis in urbe curatores quidam præponebantur, qui dicti etiam Viocuri.

Minor. Inferior.

8. *In tanto honore.* Ironice.

9. *Grandis, &c.* Est ea fabula lib. 1. apud Phædrum: est apud Hor. Lib. 2. Serm. Sat. 3.

10. *Rumpet.* Coget omnes fortunas suas impendere in sumptus inutiles, & luxum sibi non congruentem.

LXXI.

Risus foris, intus lacryma.

1. Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ
2. Inspicit, aut pueros, nobiliusve citrum.
3. Et gemitus imo ducit de pectore, quod non
4. Tota miser coemat Septa, feratque domum.
5. Quam multi faciunt quod Eros, sed lumine sicco.
6. Pars major lacrymas ridet, & intus habet.

Vers. 1. *Myrrhæ.* p. 225.

2. *Pueros.* Mancipia. *Citrum.* Mensas citreas.

4. *Septa.* pag. 107. Merces omnes in septis prostare solitas.

5. *Faciunt quod Eros.* Vellent lauti esse, ac sumptuosi.

6. Pauperes egestatem deplorantes irridentur a multis, qui ipsimet intus & in sinu plorant. Quia etsi nobiles sunt, tamen pecunia carent: aut certe non eam habent, quæ sufficiat illorum luxui, ambitioni, cupiditati.

LXXII.

Obsequia inutilia, & damnosa.

1. Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
2. Mane, vel a media nocte, togatus ero.
3. Stridentesque feram flatus Aquilonis iniqui,

4. Et patiar nimbos, excipiamque nives.
5. Sed si non fias quadrante beatior uno,
6. Per gemitus noſtros, ingenuaſque cruces:
7. Parce precor feſſo, vanoſque remitte labores,
8. Qui tibi non proſunt, & mihi, Galle, nocent.

V. 1. Si labor quo me vexo, & macero, ut te ſalutem, colam, &c. tibi, rebus tuis, ac negotiis prodeſſet, non dubitarem apparere tibi togatus, ut clientes ſolent, (pag. 58.) mane ſummo, &c.

5. *Quadrante.* Quarta parte aſſis, pag. 44. 244.

6. *Cruces ingenuas.* Moleſtias, quas ego ingenuus patior: dignas ſervis & mancipiis; non autem hominibus liberaliter inſtitutis.

LXXIII.

Calvus comatus.

1. Raros colligis hinc, & hinc capillos,
2. Et latum nitidæ, Marine, calvæ
3. Campum temporibus tegis comatis:
4. Sed moti redeunt jubente vento,
5. Reddunturque ſibi, caputque nudum
6. Cirris grandibus hinc, & inde cingunt.
7. Inter Spendophorum Teleſphorumque
8. Cydæ ſtare putabis Hermerotem.
9. Vis tu ſimplicius ſenem fateri;
10. Ut tandem videaris unus eſſe?
11. Tonſor jam reliquos metat capillos:
12. Calvo turpius eſt nihil comato.

Verſ. 1. *Colligis.* A temporibus in medium caput calvum reducis.

6. *Cirris.* Tenuibus capillis tortis, & criſpis. Illi vento flante in tempora repelluntur.

7. Cum video caput tuum calvum, & in medio, & hinc inde circa tempora, comatum; videre mihi videor Hermerotem Cydæ filium, qui calvus eſt, ſtantem inter duos adoleſcentes bene capillatos, Spendophorum & Teleſphorum. Is enim ſi inter ambos illos ſteterit, repræſentabit mediam tui capitis aream candidam, & calvam; illi vero ambo, tua tempora comata. Cydas iſte, Cretenſis fuit, quem Tullius Philippica 5. n. 13. vocat audaciſſimum & perditiſſimum. Hermeros porro dubium eſt, an puer Cydæ fuerit, an ſtatua. Nam Cicero in Epiſtol. ad Atticum lib. 1. Ep. 7. ita loquitur: *Signa noſtra & Hermerotas &c.* Quo nomine innuit ſtatuas

tuas quasdam, quæ simul junctæ forent, ac in uno & eodem lapide Mercurium & Cupidinem exhiberent: quod ipsa vox *Hermeros* indicat: coalescit enim ex Ἑρμῆς Mercurius, & Ἔρως, Amor, Cupido. *Sic Hermathena* Mercurii & Minervæ juncta in eodem lapide simulacra significat.

12. *Comato*. Qui comas habeat paucas, calvitiemque dissimulet.

LXXIV.

Navis demersa, nauta asylum.

1. Jam senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ,
2. Proxima dilectis rura paravit aquis.
3. Quæcum sæpe vagus præmeret torrentibus undis
4. Tybris, & hiberno rumperet arva lacu:
5. Emeritam puppim, ripa quæ stabat in alta,
6. Implevit saxis, oppositque vadis:
7. Sic nimias avertit aquas: quis credere posset?
8. Auxilium domino mersa carina tulit.

Vers. 1. 2. Ladon quidam nauta, qui cymbulam in Tiberi agitabat, postquam senectute præpeditus artem nauticam exercere amplius non potuit, coemit sibi villulam prope eumdem Tiberim.

5. *Emeritam*. Quasi defunctam suo tempore & labore. Emeriti vocabantur milites, qui certa & legibus definita stipendia confecerant: quique ea de causa, militia solvebantur, p. 351.

8. Carina mersa vulgo perdit dominum: hic servat.

LXXV.

Lusor ludibrium factus.

1. Nemo novo caluit sic inflammatus amore,
2. Flagravit quanto Laurus amore pilæ.
3. Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
4. Nunc, postquam desit ludere, prima pila est.

Vers. 1. *Novo amore*. Rei alicujus recens dilectæ.

4. *Prima pila est*. Omnibus est ludibrio. Instar pilæ compitalis, ab omnibus vexatur primus & rejicitur. Solebant in compitis, uti hodieque fit, pilam pulsare vel: Similiter vexatur, atque prima ex illis pilis, quæ solent objici feris in amphitheatro. Consule: p. 11. 16. 190.

LXXVI.

Poeta munus, carmina.

1. Octobres age ſentiat Kalendas
2. Facundi pia Roma Reſtituti.
3. Linguis omnibus & favete votis;
4. Natalem colimus, tacete lites.
5. Abſit cereus aridi clientis,
6. Et vani triplices, breveſque mappæ
7. Expectent gelidi jocos Decembris.
8. Certent muneribus beatiores:
9. Agrippæ tumidus negotiator
10. Cadmi municipes ferat lacernas.
11. Pugnorum reus, ebriæque noctis
12. Cœnatoria mittat advocato.
13. Infamata virum puella vicit?
14. Veros Sardonychas, ſed ipſa, tradat.
15. Mirator veterum ſenex avorum,
16. Donet Phidiaci toreuma cœli.
17. Venator leporem, colonus hœdum,
18. Piſcator ferat æquorum rapinas.
19. Sic mittit ſua quiſque; quid poetam
20. Miſſurum tibi, Reſtitute, credis?

Verſ. 1. 2. Age ſentiat pia Roma eſſe Octobris Kalendas, quibus natus eſt Reſtitutus. Omnes diem hunc ſacrificiis, & muneribus colant. *Pia*. Grata, memor. Erat quippe Reſtitutus, patronus, & cauſidicus eloquentiſſimus, cujus proinde multi clientes.

3. *Favete linguis*. Adeſte ſacris cum ſilentio, & attentione. Vota pie ac reverenter nuncupate. Nihil profanum, turpe, mali omnis dicite.

5. 6. 7. Sint procul minuti clientes cum ſuis illis munuſculis, cereo, pugillaribus, &c. Iſta leviora munera in menſem Decembrem reſerventur, quando per jocum miſſitari ſolent. *Triplices*. Pag. 347.

8. Locupletes, lauti, certatim Reſtituto dona mittant.

9. Negotiator dives, ac ſuperbus, qui tabernam ſuam habet in porticu Agrippæ. De hac porticu dixi Lib. 1. Ep. 89. & Lib. 3. 15.

10. Ferat lacernas purpureas, Tyrias. *Cadmi*. P. 122. *Municipes*. Pag. 216. & ſupra, Ep. 58.

11. Aliquis reus factus de illata vi, quod pugnos adhibuerit ad aliquem pulſandum

dum nocte, cum esset ebrius, mittat suo causidico Restistituto vestes cœnatorias, sive syntheses. De illis egimus pag. 124. & Lib. 4. Epigramma 36.

13. 14. &c. Puella, mulier recens nupta, quæ infamata, & insimulata de adulterio, vicit causam, te defendente, contra virum a quo accusabatur; mittat tibi, sed ipsa, ut munus tutius sit, sardonychas non adulterinos, at veros. De illis facta mentio pag. 212. nota 6.

15. 16. Senex aliquis vetustatis laudator, & veterum poculorum mirator, mittat tibi vas a Phidia cælatum. Cœlum est instrumentum sculptorum! ut celtis latomorum. *Toreuma*. Pag. 156. 203. *Phidiaci*. Pag. 156.

19. *Quid &c.* Nempe mittet carmina. Hæc habe.

LXXVII.

Homo nequiter officiosus.

1. Omnes persequeris prætorum, Cotta, locellos:
2. Accipis & ceras: officiosus homo es.

Vers. 1. Assectaris prætores omnes, & eorum loculos, idest, crumenas, sacculos, gestare cupis, quasi ut ipsos onere leves, reipsa ut fureris, & aliquid surripias. *Prætorum*. Pag. 218.

2. Tabulas eorumdem accipis portandas, ut eas corrumpas. Nimium es officiosus, omitte istam urbanitatem. *Ceras*. Pag. 220. Aliter explicat Scriverius vocem *Officiosus*, aitq; officium prætoris vocari, & locum ubi jus reddit; & eos qui illi assident. Cottam fuisse leguleium quemdam, qui omnia armaria, & loculos Prætoriani officii, tabellas & ceras excuteret, si posset aliquam litem nancisci, unde proficeret, ac lucri quidpiam faceret: ideo vocari Officiosum, ab Officio prætoris: non quod bene alicujus causa vellet, qui nihil quærebat aliud, nisi ut rem faceret.

LXXVIII.

Statua Junonis.

1. Juno, labor, Polyclete, tuus, & gloria felix
2. Phidiacæ cuperent quam meruisse manus,
3. Ore nitet tanto, quanto superasset in Ida
4. Judice convictas non dubitante Deas.
5. Junonem, Polyclete, suam nisi frater amaret,
6. Junonem poterat frater amare tuam.

Vers. 2. Quam gloriam cuperet meruisse, quam statuam vellet elaborasse ipse Phidias, cui prima laus inter statuarios tribuitur.

3. 4. Tam insigni est forma,

ma, ut, si hanc habuisset, quando in Ida Phrygiæ monte certavit de pulchritudine cum Venere, & Minerva, eas proculdubio fuisset superatura, convictas, & fatentes jure se vinci; ipso judice Paride annuente.

5. *Suam*. Sororem. *Frater*. Jupiter.

6. *Tuam*. A te hac in statua posita. Quamvis odisset Junonem Jupiter, hanc tamen uti exhibetur in hac statua, hanc ejus imaginem, non amare non posset.

LXXIX.

Suam villam amico peregre profecturus commendat.

1. Mari, quietæ cultor & comes vitæ,
2. Quo cive prisca gloriatur Atina;
3. Has tibi gemellas, barbari decus luci,
4. Commendo pinus, iliceſque Faunorum;
5. Et semidocta villici manu structas
6. Tonantis aras: horridique Silvani,
7. Quas tinxit agni sæpe sanguis, aut hædi:
8. Dominamque sancti Virginem Deam templi,
9. Et quem sororis hospitem vides castæ
10. Martem, mearum principem Kalendarum,
11. Et delicatæ laureum nemus Floræ.
12. Hoc omne agelli mite parvuli numen
13. Seu tu cruore, sive thure placabis:
14. Ubicumque noster Martialis est, dices
15. Hac, ecce, mecum dextera litat vobis
16. Absens sacerdos: vos, putate præsentem,
17. Et date duobus, quicquid alter optarit.

Vers.2. Atinæ. Urbs olim Latii: juxta Pontinas paludes, *Atina*; nunc vicus.

4. *Faunorum*. Pinus vulgo Pani; ilices, sive quercus Faunis sacræ erant.

5.6. Et aras agresti opere ab indocto villico Jovi extructas; & Silvano.

6. *Silvani*. Sylvarum Deus erat.

Horridi. Ob dumos, & senticeta, quæ in sylvis. Tum isti agrestes Dii hispida facie, & villosa pingebantur.

8. Dianam hujus rusticani sacelli præsidem.

9. Et statuam Martis, qui in Dianæ sororis æde, ut hospes, & inquilinus, manet.

10. Qui præsidet menſi Martio, cujus Kalendis natus sum. *Kalendarum*. Pag.216.

11. *Floræ*. Hortorum, & florum Deæ.

15. 16. Sacrificat vobis hac manu mea, licet absens.

17. *Duobus*. Mihi, & illi. *Alter optaret*. Ego illi, ille mihi.

LXXX.

Liber recens.

1. Si prior Euganeas Clemens Helicaonis aras,
2. Pictaque pampineis videris arva Jugis:
3. Perfer Ateſtinæ nondum vulgata Sabinæ
4. Carmina, purpurea ſed modo culta toga.
5. Ut roſa delectat, metitur quæ pollice primo;
6. Sic nova nec mento ſordida charta juvat.

Verſ. 1. O Clemens, ſi prior veneris in regionem, quam Veneti & Patavini colunt, quam olim obtinuere Euganei, (pag. 192.) & ubi regnavit Antenor, (pag. 74.) ejuſque filius Helicaon.

2. Arva vitibus conſita.

3. 4. Fer tecum hos recentes meorum carminum libellos, quos tradas Sabinæ. Erat Clementis uxor.

Ateſtinæ. A teſte, urbs Italiæ, in agro Patavino (*Eſte.*)

Toga purpurea. Membrana minio picta: involucro purpureo.

Culta. Ornata, veſtita.

6. Mento non ſordida. Quæ quaſi barbam nondum habet: nondum eſt detrita. Lege ep. 58. Libri primi, nota 8. pag. 71. & Ep. 8. Lib. 4. pag. 184.

LXXXI.

Pomorum munuſculum.

1. Non mea Maſſylus ſervat pomaria ſerpens,
2. Regius Alcinoi nec mihi ſervit ager:
3. Sed Nomentana ſecurus germinat hortus
4. Arbore, nec furem plumbea mala timent.
5. Hæc igitur media quæ ſunt modo nata Suburra,
6. Mittimus autumni cerea poma mei.

Verſ. 1. *Maſſylus.* Aſer. pag. 403. *Serpens.* Qui poma Hiſperidum ſervabat, pag. 17.

2. *Alcinoi.* Regis Corcyræ. Vide pag. 215. 341.

3. *Securus.* A furibus. *Nomentana*, pag. 90.

4. *Plumbea.* Vilia, deterioris notæ, p. 86. nota 15.

5. *Suburra*, pag. 110. In foro pomario, prope Suburram poſito: qui meus autumnus & hortus eſt.

6. *Cerea.* Flava, matura.

LXXXII.

Regio beata.

1. Sæpe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas

2. Mi-

2. Miraris Latia factus in urbe senex;
3. Auriferumque Tagum sitiam, patriumq; Salonem,
4. Et repetam saturæ sordida rura casæ.
5. Illa placet tellus, in qua res parva beatum
6. Me facit, & tenues luxuriantur opes.
7. Pascitur hic? ibi pascit ager: tepet igne maligno
8. Hic focus; ingenti lumine lucet ibi.
9. Hic pretiosa fames, conturbatorque macellus;
10. Mensa ibi divitiis ruris operta sui.
11. Quatuor hic æstate togæ pluresve teruntur:
12. Autumnis ibi me quatuor una tegit.
13. I, cole nunc reges: quidquid non præstat amicus,
14. Cum præstare tibi possit, Avite, locus.

Vers. 1. 2. Miraris quod ego, licet Romæ ad senectutem usque vixerim, tamen loquar sæpe, ac prædicem disjunctas regiones.

3. *Sitiam*. Revisere cupiam. *Salonem*. 58. *Tagum*. 59. 207.

5. *Res parva*. Exiguus census; angusta res familiaris.

6. *Luxuriantur*. Abundant. Vel, æquant luxum, copiam, & magnificentiam Romanam. Ubi exiguis opibus potest aliquis esse splendidus, & lautus.

7. Romæ, in Italia, alitur, & quasi pascitur fundus. Magnis sumptibus colitur prædium aliquod, &c. In mea Hispania alit me fundus, & multa mihi ad vitam necessaria sufficit. *Maligno*. Parco, tenui.

9. Hic, Romæ, caro esuritur; cibi, & deliciæ mensarum magno pretio emuntur; quibus tamen fames non nisi ægre placatur. *Conturbator Macellus*. Obsonia lautiosa, quæ carius Romæ in macello veneunt, in causa sunt cur multi conturbent, decoquant, fortunis evertantur. Quæ sit vis, & notio hujus verbi *conturbare*, explicui Lib. 9. Epig. 3.

13. *Reges*. Viros nobiles, potentes amicos, & patronos.

LXXXIII.

Captator deceptus.

1. Dum levis arsura struitur Libitina papyro,
2. Dum myrrham, & casiam flebilis uxor emit:
3. Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato,
4. Hæredem scripsit me Numa: convaluit.

Vers. 1. *Libitina*. Idest, ratus: rogus. Pag. 396. in hoc loco, funeris appa- *Papyro*. Ut facilius ligna ari-

arida ignem concipiant.

2. Unguenta, & odores, qui in rogum conjiciebantur. *Caſtam*. pag. 301.

3. *Scrobe*. Foſſa, tumulo. *Lecto*. In eo cadaver ad rogum efferebatur.

Pollinctore. Is erat, qui mortuorum corpora pollinebat, ideſt, ungebat, lavabat, &c.

4. *Convaluit*. Ita me decepit, ac propemodum occidit, cum revixit.

LXXXIV.

Servi, dominorum opprobria.

1. Addit cur mihi Cœcubum miniſter
2. Idæo reſolutior miniſtro?
3. Præſta de grege, ſordidaque villa
4. Tonſos, horridulos, rudes, puxillos
5. Hircoſi mihi filios ſubulci.
6. Perdit te pudor hic; habere, Publi,
7. Mores non potes hos; & hos miniſtros.

1. *Addit*. Miſcet, temperat. *Cæcubum*, pag. 119.

2. *Reſolutior*. Ipſo Ganymede ſolutior, nequior, petulantior. *Idæo*. Ab Ida monte Phrygiæ raptus fuit Ganymedes, p. 33.

3. *Præſta mihi*. Adhibe incultos miniſtros, nec ita lautos.

5. *Hircoſi*. Olidi. Hircus eſt admodum olidus.

6. *Perdit*. Iſte pudor, quo afficeris, dum metuis ne, ſi tui ſervi parum ſint elegantes & compti, habearis ipſe pro homine ruſtico, & ſordido, tibi exitialis, & damnoſus eſt. E ſervis enim plerumque dominus æſtimatur. Vel, *pudor hic*, quem eſſe in te ſimulas, cum te vis probum credi.

7. Non potes habere mores iſtos probos, quos ſimulas: & iſtos improbos ſervos.

LXXXV.

Romanus Socrates.

1. Si Romana forent hæc Socratis ora, fuiſſent
2. Julius in Satyris qualia Rufus habet.

Verſ. 1. Si Socrates, qui Græcus fuit, habitu & cultu Romano pingeretur; non alio eſſet ore, ac Julius Rufus, qualis pingitur in Satyris. *Socratis*. Fuit philoſophus Athenienſis, Apollinis oraculo ſapientiſſimus mortalium judicatus: philoſophiam moralem præſertim excoluit: numquam colorem mutaſſe lætis in rebus, aut adverſis dicitur. Idem fuit admodum deformis, naſo

so simo, recalva fronte, distortis cruribus, &c. Unde suspicari posset aliquis jocari Martialem in Rufum, & ejus notare deformitatem, dum videtur sapientiam prædicare.

2. *In Satyris*. Vel est locus quidam Romæ, prope Romanum forum, sic dictus a Satyris quatuor in eo positis, quorum statuas describit Plinius lib. 36. c. 5. n. 8. quibus fortasse iste Rufus similis esse dicitur: Vel, accipe hanc vocem proprie pro Satyris, dicaci carminis genere, in quo idem iste Rufus descriptus fuisset, a se aut ab alio poeta satyrico.

LXXXVI.

Poeta plagiarius.

1. Quid, stulte, nostris versibus tuos misces?
2. Cum litigante quid tibi miser libro?
3. Quid congregare cum leonibus vulpes,
4. Aquilisque similes facere noctuas quæris?
5. Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
6. Inepte, frustra crure ligneo curres.

Vers. 2. Quid tibi rei, & negotii est cum meo libro? *Litigante*. Qui tecum quasi litigat, teque accusat, ut furem, & plagiarium. *Ladæ*. p. 138. 5. Quamvis alterum pedem habeas tam agilem, tam expeditum, quam Ladas: si alter sit ligneus, frustra voles currere. Ita nihil tibi proderit versibus tuis malis bonos aliquot meos admiscere.

LXXXVII.

In belle dicacem.

1. Elysio redeat si forte remissus ab agro
2. Ille suo felix Cæsare Galba vetus;
3. Qui capitolinum pariter Galbamque jocantes
4. Audierit, dicet, rustice Galba, tace.

Vers. 1. 2. *Elysio*, p. 302. *Galba*. Insignis scurra, Augusto charissimus, p. 49. 4. Galba præ Capitolino (nomen est urbani hominis & argute salsi) rusticus, & insulsus esse videbitur, ac jubebitur tacere.

LXXXVIII.

Ad suos cives, in patriam rediturus.

1. Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri

2. Mon-

2. Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis:
3. Ecquid læta juvat vestri vos gloria vatis?
4. Nam decus, & nomen, famaq; vestra sumus.
5. Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
6. Meque velit dici non minus illa suum.
7. Quatuor accessit tricesima messibus ætas,
8. Ut sine me Cereri rustica liba datis.
9. Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ:
10. Mutavere meas Itala regna comas.
11. Excipitis reducem placida si mente, venimus:
12. Aspera si geritis corda, redire licet.

Vers. 1. O Bilbilitani municipes mei, quos mihi dat Bilbilis posita in alto monte, quem fluvius Salo ambit. *Mons acer* pro prærupto, & scruposo Latinis auctoribus est in usu. Gruterus legit *angusta agri*: quasi angusto agro prædita: sic dicitur, felix animi, fortunatus laborum. *Municipes*. Cives, supra, ep. 58. *Bilbilis*. *Salo*. F. 54.

Augusta. Bilbilis fuit colonia Comana, & Augusta quoque vocata est.

3. Annon vate me, cive vestro, læti & superbi merito estis?

5. *Verona Catullo*. Pag. 33. *Tenui*. Subtili, terso, eleganti.

6. Nec minus me vate gloriaretur Verona ipsa, quam suo Catullo.

7. 8. Ex quo abfui ab urbe vestra, jam per annos 34. Cereri post messem, rustica sacrificia, & placenta obtulistis.

10. *Mutavere*, *&c.* Canas e nigris reddiderunt.

LXXXIX.

Liber navigaturus.

1. I nostro comes, i, libelle, Flacco
2. Longum per mare, sed faventis undæ;
3. Et cursu facili, tuisque ventis
4. Hispanæ pete Tarraconis arces.
5. Illinc te rota tollet, & citatus
6. Altam Bilbilin, & tuum Salonem
7. Quinto forsitan essedo videbis.
8. Quid mandem tibi quæris? ut sodales
9. Paucos, & veteres, & ante brumas
10. Triginta mihi quatuorque visos
11. Ipsa protinus a via salutes;
12. Et nostrum admoneas subinde Flaccum,
13. Jucundos mihi nec laborioses.

14. Se-

14. Seceſſus ſpatio paret ſalubri,
15. Qui pigrum faciant tuum parentem.
16. Hæc ſunt: jam tumidus vocat magiſter,
17. Caſtigatque moras; & aura portum
18. Laxavit melior: vale, libelle.
19. Navem, ſcis puto, non moratur unus.

V. 2. Per tranquillum mare, ventis placidum.

3. *Tuis.* Secundis, ferentibus.

4. *Tarraconis.* P. 55.

5. Tarraconem uſque navigabis, deinde currum e navi conſcendes, ac terreſtri itinere Bilbilis petes. *Bilbilim. Salonem.* Pag. 54.

7. *E ſſedo quinto.* Quinta ſtatione, ſeu diverſorio; ubi commorantur noctu eſſeda.

11. *Protinus a via.* Statim atque deveneris.

13. 14. Ut mihi domum in ſalubri, & quieto loco pararet, adornetque.

15. Ubi otio, & inertiæ indulgere poſſim.

16. *Hæc ſunt.* Subaudi: quæ tibi mandata velim.

18. *Laxavit.* Vacuum, & inanem fecit, emiſſis, quas continebat, navibus.

19. Si tu deſis unus, nihil erit moræ, quin ſine te, navis ſolvat: propera. Unus vir, nullus vir: ut fert paræmia.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER UNDECIMUS.

EPIGRAMMA I.

Ad librum exire gestientem.

1. QUO tu, quo, liber otiose, tendis
2. Cultus sindone non quotidiana?
3. Numquid Parthenium videre tentas?
4. Vadas, & redeas inevolutus.
5. Libros non legit ille, sed libellos:
6. Nec Musis vacat, aut suis vacaret.
7. Equid te satis æstimas beatum,
8. Contingunt tibi si manus minores?
9. Vicini pete porticum Quirini:
10. Turbam non habet otiosiorem
11. Pompejus, vel Agenoris puella,
12. Vel primæ dominus levis carinæ.
13. Sunt illic duo trevesve qui revolvant
14. Nostrarum tineas ineptiarum:
15. Sed cum sponsio, fabulæque lassæ
16. De scorpo fuerint, & Incitato.

Vers. 2. Non vulgari veste tectus, at purpurea, eleganti, &c. Vide pag. 69. 184. *Sindone*. 109. 190.

3. *Parthenium*. Pag. 234.

4. *Inevolutus*. Non evolutus, non lectus.

6. *Vacat*. Non habet satis otii, ut Musis operam det, ac libris legendis; aut certe suos libros legeret, aliquid ipse componeret, non alienis lucubrationibus operam daret.

7. An non sat præclare tecum agitur; si legeris ab hominibus aliis, minoris, quam Parthenius, notæ ac nobilitatis, si te vulgus in manibus, & sinu fert?

8. *Quirini*. Martis. P. 515. Hujus templum, & porticus templo adjuncta, erat in monte Quirinali, nunc *Monte Caval.*

Cavallo. Pete igitur Martis porticum: ibi reperies homines otiosos qui te legant, & quibus non sunt otiosiores illi, qui spatiantur in Pompeji, Europæ, vel Argonautarum porticu. Tales tibi lectores conveniunt, non homo occupatissimus.

9. *Pompejus*. Porticus Pompeji, de qua meminit Lib. 2. Ep. 12. vers. 10.

Agenoris puella. Europa, filia Agenoris. De Europæ porticu consule idem Ep. 12. Lib. 2. versu 3.

12. Jason, qui dux fuit Argonautarum. De ista porticu vide pag. 108. *Levis*. Inconstans. Deserta enim Medea, duxit Creusam. *Primæ carinæ*. Navis Argus, quæ aut prima omnium navium, aut primæ, & nondum antea visæ magnitudinis, fuit. Hujus dux, & magister Jason.

14. *Timeas*. Epigrammata levia corrodenda a tineis.

15. 16. Sunt qui nostros versiculos legant, sed tantum post peractos ludos Circenses, cum delassati fuere spectatores narrandis fabulis, faciendis sponsionibus, &c. In Ludis Circensibus (pag. 307.) faciebant sæpe spectatores inter se sponsionem, v. g. uter equos peritius agitaret, Scorpus an Incitatus, aurigæ duo præstantes, de quibus vide Lib. X. Epigram. 46. 47. 67. De aurigarum variis factionibus facta est mentio Lib. VI. Ep. 31. & infra 19.

II.

Versus liberiores.

1. Triste supercilium, durique severa Catonis
2. Frons, & aratoris filia Fabricii,
3. Et personati fastus, & regula morum,
4. Quidquid & in tenebris non sumus; ite foras.
5. Clamant, ecce, mei, Io Saturnalia versus;
6. Et libet; & sub te præside, Nerva, licet.
7. Lectores tetrici, salebrosum ediscite Sanctram;
8. Nil mihi vobiscum est; iste liber meus est.

Vers. 1. 2. Procul esse homines severi, tristi supercilio, tetrica fronte, &c.

Catonis. Pag. 29. 34.

2. Facessite puellæ, si quæ estis similes filiæ Fabricii. Ille, dictator licet consulque suos tamen agros arabat, ac liberos educabat sanctissime; & severissime. Adi Ep. 22. Libri IX.

3. Gravitas non nativa, & insita, sed ad tempus assumpta, instar personæ, & larvæ. Talis est in multis, qui foris graves, & modesti; introrsum turpes, domi discincti, ac dissoluti sunt.

Regulæ morum. Censura: Censoria severitas. Censores enim emendabant mores civitatis. Pag. 65.

4. Lon-

4. Longe ſit quæcumque virtus tenebras odit. Nempe pudor, & verecundia. Quidquid non amamus clam, & in tenebris. Qui peccant, lucem odere.

5. Apti ſunt mei verſus Saturnalibus (feſta erant liberiora, pag. 136. 280.) & hanc vocem quaſi mittunt *Jobona Saturnalia*. Ita pueri tunc plaudentes clamitabant.

6. *Libet*. Sic ſcribere. *Licet*. Quia libere ſub te loqui & ſentire fas eſt.

7. *Sanctram*. Frat iſte Sanctra ſcriptor obſcurus, & ſtyli aſperioris. Salebræ, ſunt proprie loca aſpera, inæqualia, & confragoſa.

8. *Meus*. Me dignus parente. Feſtivus, & lepidus, &c.

III.

Poeta celebris, & pauper.

1. Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
2. Otia, nec vacuis auribus iſta damus:
3. Sed meus in Geticis ad Martia ſigna pruinis
4. A rigido teritur centurione liber.
5. Dicitur & noſtros cantare Britannia verſus.
6. Quid prodeſt? neſcit ſacculus iſta meus.
7. At quam victuras poteramus pangere chartas,
8. Quantaque Pieria prælia flare tuba!
9. Cum pia reddiderint Auguſtum numina terris,
10. Et Mæcenatem ſi mihi Roma daret.

Verſ. 1. Non tantum Romani cives, mea Pimpleide, mea muſa, meis verſibus legendis delectantur, & ii quibus vacuæ, otioſæ, ſunt aures: Muſæ vocatæ ſunt Pimplææ, vel Pimpleides, a Pimpla fonte, vel vico Macedoniæ, ipſis ſacro.

3. 4. *Ad Signa*. Inter vexilla bellica, in caſtris. *Goticis*. Pag. 302. 320.

Rigido. Auſtero, gravi, hirſuto. *Centurione*. Militaris magiſtratus erat. Sex erant centuriones in cohorte, &c. Pag. 82.

6. *Saculus*. Crumena. Non ſio iſtis laudibus ditior.

7. 8. Poteramus, & melius erat, aliquod heroicum poema componere, non iſtas nugas. Id vero libenter faciemus, cum erit Imperator amans litterarum, ut Auguſtus fuit: cum erit alter Mæcenas, eruditorum patronus, pag. 404. In hanc fere ſententiam ſcriptum eſt Ep. 54. lib. 8.

IV.

Pro Imperatore, votum.

1. Sacra Lareſq; Phrygum, quos Trojæ maluit hæres
2. Quam rapere arſuras Laomedontis opes:

3. Scri-

3. Scriptus & æterno nunc primum Jupiter auro :
4. Et ſoror, & ſummi filia tota patris:
5. Et qui purpureis jam tertia nomina faſtis.
6. Jane, refers Nervæ; vos precor ore pio :
7. Hunc omnes ſervate Ducem, ſervate Senatum:
8. Moribus hic vivat Principis, ille ſuis .

Verſ. 1. 2. O vos Trojæ ſacra, & religiones ſanctiſſimæ. quas Æneas maluit rapere & in Italiam deferre, quam opes Laomedontis, (regis Troiæ, Priami Patris) quas igni abſumendas reliquit.

3. Et tu Jupiter, auro pictus, effictus; cui ſtatuam, ex auro ſolido nunc primum Imperator poſuit, æternum duraturam. Primus reipub. temporibus ſtatuæ Jovis fictiles tantum erant.

Soror. Juno. *Filiæ*. Pallas. *Tota*. Quia ex uno Jovis cerebro prodiit.

5. 6. Et tu, o Jane, qui jam ter Nervæ nomen vides in faſtis. Pag. 371. *Purpureis*. Ornatis purpura, minio pictis, quales ſunt elegantes libri. Nerva primo Imperii anno tertium geſſit conſulatum cum Virginio Rufo, anno Chriſti 97. ab U. C. 850.

8. *Hic*. Senatus. *Ille*. Nerva. Senatus & ceteri cives Nervam imitentur.

V.

Laus Cæſaris.

1. Tanta tibi eſt recti reverentia, Cæſar, & æqui,
2. Quanta Numæ fuerat: ſed Numa pauper erat.
3. Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores,
4. Et cum tot Croeſos viceris, eſſe Numam.

Verſ. 2. *Numa*. Rex fuit Rom. ſecundus: pietatis fama & æquitatis clarus.

3. Difficile eſt ſancte vivere in magnis opibus, &, ut ait Seneca, pati poſſe divitias. *Tradere mores*, corrumpendos ſcilicet.

4. Croeſus Lydiæ rex fuit ditiſſimus. *Eſſe Numam*. Virtute Numam æquare; opibus Croeſum ſuperare.

VI.

In eumdem.

1. Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
2. Elyſium liceat ſi vacuare nemus:
3. Te colet invictus pro libertate Camillus:

4. Au-

4. Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
5. Te duce gaudebit Brutus: tibi Sylla cruentur
6. Imperium tradet, cum positurus erit.
7. Et te privato cum Cæsare Magnus amabit:
8. Donabit totas & tibi Crassus opes.
9. Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris
10. Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

V. 1. Si Prisci illi Romani redeant ad superos, revivicant. *Elysium*. p. 302.

3. Te ultro imperatorem eliget Camillus vindex libertatis acerrimus, & invictissimus. Legunt quidam *præ libertate*, ideſt, malit esse subjectus tibi, quam liber, & sui juris. Anno ab U. C. 363. Romam Galli Senones, Brenno duce incenderunt: ægre a capitolio per Manlium repulsi, tandem a Camillo profligati sunt. De illo vide Florum libr. 1. c. 12. 13. Livium lib. 5.

4. Non recusabit aurum accipere Fabricius, si modo illud accipiat a te, a quo nihil tribui cuiquam mali, aut male, potest. Fabricius legatos Pyrrhi, cum ad ipsum venissent, aurique magnam vim offerrent, valere cum auro suo jussit.

6. Brutus te ducem, & regem non nolet. Ille reges Roma ejecit, pag. 387. *Sylla*. 289. Is dictaturam, quam invaserat, post annos quatuor deposuit. Sylla igitur summum Imperium, ideſt, dictaturam, depositurus, illam tibi tradet.

7. *Privato*. Privatus erit C. Jul. Cæsar; imperium deponet, ac vitam privatam sub te Imperatore degetet. *Magnus*. Pompejus, cui Magni cognomentum a Sylla datum. Is suas de Imperio orbis terrarum cum Cæsare controversias ultro deponet, ac privati subditique sorte contentus erit.

8. *Crassus*. Romanorum ditissimus fuisse prædicatur. Neminem divitem censebat esse, nisi qui suis sumptibus exercitum alere posset. Cum Parthis, eorum opes sitiens, bellum intulisset, ab iis captus, & cæsus est: truncatum ejus caput in utrem liquefacto plenum auro, conjectum.

9. *Ditis*. Plutonis: Erebi.

10. Cato, ne Cæsarem dictatorem, post pugnam Pharsalicam victorem aspiceret, sibi manus attulit. Pag. 34.

Erit Cæsarianus. Te Cæsarem, te imperantem amabit; a te stabit, ac tuus erit. Ita omnes sibi vera virtus adjungit.

VIII.

Poeta hilarior.

1. Unctis falciferi senis diebus,

2. Re-

2. Regnator quibus imperat fritillus,
3. Versu ludere non laborioso
4. Permittis, puto, pileata Roma.
5. Risisti: licet ergo, nec vetamur.
6. Pallentes procul hinc abite curæ.
7. Quicquid venerit obvium, loquamur
8. Morosa fine cogitatione.
9. Misce dimidios puer trientes,
10. Quales Pythagoras dabat Neroni:
11. Misce, Dindyme, sed frequentiores
12. Possum nihil ego sobrius: bibenti
13. Succurrent mihi quindecim poetæ.

Vers. 1. *Unctis*, lætis, pinguibus. Convivia tunc celebrabantur. *Falciferi senis*. Saturni. Saturnalibus. Pingebatur cum falce Saturnus, quia Italos artem agros colendi docuisse dicebatur. Præterea tempus, cui Saturnus præest, omnia demetit, resecatque.

2. Quibus alea luditur liberius. Erat illa vulgo vetita. *Fritillus*. P. 187.

4. *Pileata*. Romani per Saturnalia pileati erant; etiam servi, quibus uti pileo non licebat, nisi cum libertate a dominis donabantur.

5. *Risisti*. Ridendo annuis.

7. Quicquid in buccam venerit, dicamus.

8. *Morosa*. Anxia, fastidiosa, Morosus dicitur, qui mores habet duros, difficiles, iracundos.

9. Dimidius triens est sextans, sive duo cyathi. Pag. 47. Sorbillare vult leniter paucos cyathos, ut longior sit hilaritas, ebrietas tardior.

10. *Pythagoras*. Pincerna quidam, minister Neronis.

12. 13. Siccus, & jejunus nil possum scribere, & dicere: si bibero, poetis vel quindecim par ero: illi statim præsto erunt, ac in me uno existent, jocabuntur, ludent. Vel; Poetarum quindecim odæ, carmina judicra, se offerent cantanda: in mentem, osque venient.

VIII.

Spirans imago.

1. Clarus fronde Jovis, Romani fama cothurni,
2. Spirat Apellea redditus arte Memor.

Memor sæpe in Capitolinis certaminibus coronatus, (pag. 178. 206.) & poetarum Roman. tragicorum celeberrimus hic pingitur. *Cothurni* p. 151. *Appellea*. 359. *Amor*

IX.

Amor fraternus.

1. Contulit ad ſatyras ingentia pectora Turnus:
2. Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

V. 1. Turnus frater Memoris, (de quo eſt epigramma ſuperius) ad ſcribendas ſatyras operam ingeniumque contulit: ſatyricus poeta eſſe maluit.

2. Cur non tragicum carmen, ut Memor, ſcripſit? Nimirum, quia fratri hanc laudem relinquere integram voluit, quam ipſi præripere poterat.

X.

Antiqua ſimplicitas.

1. Tolle puer calices, tepidique toreumata Nili,
2. Et mihi ſecura pocula trade manu,
3. Trita patrum labris, & tonſo pura miniſtro:
4. Antiquus menſis reſtituatur honor.

V. 1. O puer, o ſervule, auſer pretioſos calices ex Ægypto Romam ferri ſolitos. *Toreumata.* Pag. 156. 203. Eadem vox poſtericri ævo uſurpata etiam eſt pro veſte ſtragula, pictis acu figuris extantibus ornata.

2. *Secura manu.* Parum timens, ne illa frangas. *Pocula.* Scilicet fictilia, fagina.

3. *Tonſo.* Non comato & calamiſtrato, quales modo ſunt. Lege Ep. 84. Libri 10.

Pura. Non cœlata, non ornata.

XI.

Homo obſcurus.

1. Jus tibi natorum vel ſeptem, Zoile, detur:
2. Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

Adeo ignotus, & obſcurus es, ut nemo ſciat, quo ſis patre natus, qua matre, & jus tamen trium liberorum petis; prius ipſe parentes, quam natos, quære: proba te eſſe liberum, non ſpurium, &c. antequam jus trium liberorum petas. De jure trium liberorum dixi pag. 140.

XII.

Paridis hiſtrionis epitaphium.

1. Quiſquis Flaminiam teris, viator,
2. Noli nobile præterire marmor.
3. Urbis deliciæ, ſaleſque Nili,
4. Ars, & gratia, luſus & voluptas,
5. Romani decus, & dolor theatri,
6. Atque omnes Veneres, Cupidineſque,
7. Hoc ſunt condita, quo Paris, ſepulcro.

Verſ. 1. *Flaminiam*. Pag. 215.
2. *Marmor*. Sepulchrum e marmore.
3. *Urbis*. Romæ. *Nili*. Ægypti.
7. *Paris*. Hiſtrio Ægyptius charus Domitiano.

XIII.

In nanum mortuum.

1. Hæredes, nolite brevem ſepelire Colonum:
2. Nam terra eſt illi quantulacumque gravis.

Verſ. 1. *Colonum*. Nomen eſt proprium. Legunt aliqui *Colonem*.
2. *Nam &c.* Adeo eſt puſillus, & manus, ut terras vel minima pars gravis ipſi futura ſit. Solebant, cum aliquis terræ mandabatur, ita illi bene precari, *ſit tibi terra levis*, (Pag. 25.) Non poteſtis id modo dicere, o Coloni hæredes: illum itaque inſepultum potius relinquite.

XIV.

Sobria carmina.

1. Non omnis noſtri nocturna eſt pagina libri,
2. Invenies & quod mane, Sabine, legas.

Verſ. 1. *Nocturna*. Epulantibus grata, ebrioſis, improbis. Vide ſupra Epigramm. 2. verſ. 4.
2. *Mane*. Quæ ſiccus & ſobrius legas.

XV.

Prædium exiguum.

1. Donaſti, Lupe, rus ſub urbe nobis.

2. Sed

2. Sed rus eſt mihi majus in feneſtra.
3. Rus hoc dicere, rus potes vocare?
4. In quo ruta facit nemus Dianæ,
5. Argutæ tegit ala quod cicadæ,
6. Quod formica die comedit uno:
7. Clauſæ cui folium roſæ corona eſt:
8. In quo non magis invenitur herba,
9. Quam coſti folium, piperve crudum.
10. In quo nec cucumis jacere rectus,
11. Nec ſerpens habitare tota poſſit.
12. Erucam male paſcit hortus unam;
13. Conſumpto moritur culex ſalicto;
14. Et talpa eſt mihi foſſor atque arator.
15. Non boletus hiare, non mariſcæ
16. Ridere, aut violæ patere poſſunt.
17. Fines mus populatur, & colono
18. Tanquam ſus Calydonius timetur.
19. Et ſublata volantis ungue Procnes
20. In nido ſeges eſt hirundinino.
21. Non eſt dimidio locus Priapo.
22. Vix implet cochleam peracta meſſis.
23. Et muſtum nuce condimus picata.
24. Erraſti; Lupe, littera ſed una:
25. Nam quo tempore prædium dediſti;
26. Mallem tu mihi prandium dediſſes.

Verſ. 2. *In feneſtras.* Ubi hortuli nonnumquam imponuntur in teſtis, aut in ligneis capſulis.

4. *Ruta.* Vilis herba. In hoc tuo prædio ruta inſtar nemoris eſt. De nemore Dianæ Aricinæ lege Libr. 4. Epip. 52. Adde quod ſylvæ omnes Dianæ erant ſacræ.

5. *Argutæ.* Canoræ. *Cicadæ.* Lib. 10. Ep. 52.

7. In quo vix una reperiatur roſa, eaque non aperta, imo roſæ folium fit inſtar coronæ integræ, e multis roſis confici ſolitæ.

8. In quo rure non plus herbarum eſt quam coſti, aut piperis, hoc eſt, nihil. Coſtum enim eſt frutex odore eximio, qui in Arabia naſcitur: piper item peregrina eſt arbuſcula. *Crudum.* Acre, pungens. Vel. Quale ab ſua editur arbore; viride; non rugoſum, & vetus

10. *Rectus.* Neque enim ſatis illi eſt ſpatii; ſed contrahitur, & quaſi colligitur in ſeſe.

13. *Moritur.* Cibo deficiente ac ſalicto. Salictum eſt locus conſitus ſalicibus.

14. Talpæ humum emo-

vent, ac vertunt.

15. *Boletus*. Fungus *Hiare*, aperiri, nasci. *Mariscæ*. Ficus eluti saporis.

16. *Ridere*. Cum maturescunt ficus, extremo cortice leniter aperiuntur, & quasi rident: in risu enim labia diducuntur.

18. *Sus Calydonius*. Pagina 13.

19. 20. Totam segetem, quæ est in hortulo isto, aufert unica hirundo transvolans, ac in nidum suum deportat. Procne uxor Terei mutata est in hirundinem, & ejus soror Philomela in luscinian, pag. 204. 271.

21. *Priapo*. Hortorum Deo, pag. 309.

23. *Picata*. Pice oblita & obturata. Nucis putamen instar dolii esse potest.

XVI.

Poeta parasitus.

1. Dum te prosequor, & domum reduco,
2. Aurem dum tibi præsto garrienti,
3. Et quicquid loqueris, faciscque laudo;
4. Quot versus poterant, Labulle, nasci!
5. Hoc damnum tibi non videtur esse,
6. Si quod Roma legit, requirit hospes,
7. Non deridet eques, tenet senator,
8. Laudat causidicus, poeta carpit,
9. Propter te perit? hoc, Labulle, verum est?
10. Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum
11. Sit major numerus togatulorum,
12. Librorum mihi sit minor meorum?
13. Triginta prope jam diebus una est
14. Nobis pagina vix peracta: fic fit,
15. Cum cœnare domi poeta non vult,

Vers. 1. *Prosequor*. Honoris causa comitor, ut cliens patronum solet.

6. Si, ut tibi navem operam & obsequar, pereunt mihi versus boni, &c.

8. *Poeta*. Invidus. Non exigua laus est dignum videri invidia, & improborum odio.

9. *Verum est*? Æquum est, an hoc justum censes?

11. *Togatulorum*. Clientium toga indutorum. p. 56.

12. *Minor*. Numerus.

14. *Sic fit, &c.* Nempe otii & studiorum jacturam faciat necesse est poeta cœnarum captator.

XVII.

Convivium unius assis.

1. Atreus Cæcilius cucurbitarum,

2. Sic

2. Sic illas quasi filios Thyestæ
3. In partes lacerat secatque mille.
4. Gustu protinus has edes in ipso
5. Has prima feret, alterave cœna;
6. Has cœna tibi tertia reponet.
7. Hinc seras epidipnidas parabit;
8. Hinc pistor fatuas facit placentas;
9. Hinc & multiplices struit tabellas;
10. Et notas caryotidas theatris;
11. Hinc exit varium coco minutal
12. Ut lentem positam, fabamque credas,
13. Boletos imitatur, & botellos,
14. Et caudam cybii brevesque mœnas:
15. Hinc cellarius experitur artes,
16. Ut condat vario vafer sapore
17. In ruta folium capelliana.
18. Sic implet gabatas, paropsidesque,
19. Et leves scutulas, cavasque lances.
20. Hoc lautum putat, hoc putat venustum,
21. Unum ponere ferculis tot assem.

Vers. 1. Cæcilius, qui est Atreus, idest, interfector & quasi parricida cucurbitarum: qui cucurbitis utitur pro ferculo quotidiano, & illas trucidat, ut Atreus fratris sui Thyestæ filios interfecit. De Atreo ejusque fratre dixi, p. 161. 204. 265.

4. *Gustu in ipso*. Gustus sive gustatio, est id, quod ponitur in aditu, & exordio convivii; levius aliquod ferculum, hevellæ, acetaria, &c. Post gustum sequebatur prima cœna, secunda, tertia; hoc est, prima fercula, secunda, &c. Ista autem prima, secunda, tertia fercula apud Cæcilium, erant cucurbitæ.

7. *Epidipnidas*. Bellaria. Græca vox: ἐπιδειπνίς, ferculum, quod ultimo loco editur: nempe quia ἐπιτοδείπνιον, sub cœnæ finem, & post solidiores dapes ponitur.

8. *Fatuas*. Nullius saporis.

9. *Tabellas*. Liba tenuia & delicata, instar tabellarum.

10. Caryotides sunt fructus palmarum Æthiopicarum, quæ spectanti populo inter alia missilia spargebantur. Illæ cucurbitas imitantur.

11. *Minutal*. Intritum ferculum e cibis minutatim concisis. Ejusmodi minutal ex iisdem cucurbitis conficitur a coco Cæcilii.

12. Adeo ut pultem e lente, aut faba factam credas.

13. *Boletos*. Fungos. *Botel-*

tos. Farcimina quædam ex ovorum vitellis coctis, cepa, porro, &c.

14. *Cybii*. Vide pag. 276. nota 5. Mœna est vilis pisciculus.

15. *Hinc*. Ex his cucurbitis varias artes, hoc est, varias placentas, & edulia vario artificio confecta experitur, ac tentat fingere is qui cellæ seu penus curam habet, easdem cucurbitas vario sapore, & modo condit, ac transformat in illud obsonii genus, quod sit vulgo ex rutæ foliis, vel in tot formas, ac edulia, quot ex rutæ folio solent fieri. Capelliana ruta dicitur, sive capraria, quod a capellis depascatur, vel quod capillos imitetur foliis.

18. *Gabatas*. Sunt escariæ lances: item paropsides. Scutulæ, catini sunt depressi leviter in medio, ut scuta.

20. Putat esse hoc hominis magnifici, & splendidi.

21. *Unum &c.* Videtur esse hypallage: uno asse tot ponere fercula.

XVIII.

In mendicum.

1. Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
2. Nec tibi de bibula sarta palude teges:
3. Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
4. Nec fera, nec clavis, nec canis, atque calix.
5. Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
6. Pauper, & in populo quæris habere locum.
7. Mentiris, vanoque tibi blandiris honore:
8. Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

Vers. 1. *Cimice*. Cimex genus est vermiculi fœtidi, subrubri, & plani, quod lectis ligneis vulgo innascitur.

2. Nec teges, seu lodix, id est, vestis lecti: storea, facta e scirco, aut sparto: scirpus, spartum, nascuntur in humidis paludibus.

6. *In populo*. Populus erat honoratior plebe, quæ fæx civitatis.

8. *Non est paupertas*: Sed mendicitas mera. Pauperi deest aliquid; imo multa; mendico omnia.

XIX.

Prasinus victor.

1. Sæpius ad palmam Prasinus post fata Neronis
2. Pervenit, & victor præmia plura refert.
3. I nunc, Livor edax, dic te cessisse Neroni:
4. Vicit nimirum, non Nero, sed Prasinus.

Vers.

Vers. 1. 2. Aurigæ factionis prasinæ, qui vivo Nerone vincebant, vincunt etiam mortuo.

3. Ite nunc aurigæ aliarum factionum, qui invidetis factioni Prasinæ, jactate, id quod olim dictitabatis, Prasinos non sua virtute vincere, sed Neronis favore & gratia: vosque Prasinis ideo tantum cessisse, & inferiores visos esse, quod ipsis faveret Nero. Jam obiit ille, adhuc tamen vincunt Prasini; sua igitur virtute vincebant antea, ut nunc vincunt, non Cæsaris favore. Dixi Libro 6. fuisse varias aurigarum factiones, suis quasque coloribus distinctas: Prasini utebantur viridi colore. Russati, rubro; Veneti, cæruleo: Albi, candido: color viridis, terræ; ruber, ignis; cæruleus, maris; albus, aeri sacer erat. Plura vide apud Bulengerum de Cicero c. 47. 48.

X X.

Bella cœna, mala cœnatio.

1. Ædes emit Aper, sed quas nec noctua vellet
2. Esse suas: adeo nigra vetusque casa est.
3. Vicinos illi nitidus Maro possidet hortos.
4. Cœnabit belle, non habitabit Aper.

4. *Cœnabit belle.* An quia hortos amœnos e sua cœnatione, idest, triclinio, prospiciet? an quia vescetur fructibus illius horti? an denique quod apud vicinum Maronem cœnabit, in ejus hortis, ab eo sæpe invitatus?

X X I.

Solus in frequenti convivio.

1. Ignotos mihi cum voces trecentos,
2. Quare non veniam vocatus a te
3. Miraris, quereriſque, litigasque.
4. Solus cœno, Fabulle; non libenter.

4. *Solus.* Mihi solus videor esse, licet multi mecum sint ac frequentes convivæ, cum ignoti mihi sunt, quia non possum cum illis colloqui libere, &c.

X X I I.

Pro amico soteria.

1. Cajus hanc lucem gemma mihi Julius alba

2. Signat, in, votis redditus, ecce, meis.
3. Desperasse juvat; veluti jam rupta sororum
4. Fila: minus gaudent, qui timuere nihil.
5. Hypne; quid expectas piger? immortale Falernum
6. Funde: senem poscunt talia vota cadum.
7. Quincunces, & sex cyathos, bessemque bibamus,
8. Cajus ut fiat Julius, & Proculus.

V. 1. *Gemma alba*. Candido lapillo. Pag. 397.

3. Major est lætitia de amico recepto, cujus vitam, & valetudinem pene desperatam flevimus, veluti jam fuisset a Parcis condemnatus. *Sororum*. Pag. 207. 220. 203.

5. *Hypne*. Servi nomen est.

6. *Talia vota*. Tantum beneficium meis votis precibusque concessum. Vita & sanitas amico restituta.

6. *Quincunces*. Pag. 47. Cyathos quinque, quot nempe litteras habet vox Cajus. *Sex*, quot litteras Julius: *bessem*, idest, octo cyathos, pag. 44. quot elementa sunt in voce Proculus. Diximus supra, p. 401. solemne Romanis fuisse, ut tot biberent cyathos, quot essent in eorum nominibus litteræ, in quorum gratiam bibebant.

XXIII.

Eques e servo.

1. Zoile, quid tota gemmam præcingere libra
2. Te juvat, & miserum perdere sardonycha?
3. Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus:
4. Non eadem digitis pondera conveniunt.

Vers. 1. Cur, o Zoile, habes gemmam præcinctam, circumdatam, inclusam, in annuli aurei pala tam gravi, ut libram pendat?

2. *Perdere*. Quia in tam vasta auri mole quasi obruitur gemma, nec videtur. Vel, quia perditur gemma dives, cum ignobilis, & furcifer ea utitur.

3. 4. Tam gravis annulus (at ferreus) conveniisset paulo ante tuis pedibus: jam manibus non congruit. Mancipia, cum opus ruri faciebant, catenis alligabantur, ne fugerent. Annuli dicuntur in catena circuli ferrei, quibus constant, & sunt etiam annuli digitorum, Ludit in ambigua voce.

XXIV.

De mulione surdo.

1. Mulio viginti venit modo millibus, Aucte.

2. Mi-

2. Miraris pretium tam grave? surdus erat.

Vers. 1. *Venit.* Emptus est viginti millibus H. S. libris Turon. 2000.

2. *Surdus erat.* Muliones fere sunt fures, ac tales certe audiunt. Iste igitur, quia surdus erat, non poterat respondere de suis aut domini sui furtis; itaque eo melior, quo surdior; hinc tam caro venit.

XXV.

Pastor nimium diligens.

1. Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
2. Et gaudet fama luxuriaque gregis:
3. Cedentes oneri ramos, sylvamque fluentem
4. Vicit; concussas ipse secutus opes.
5. Triste nemus diræ vetuit supereſſe rapinæ
6. Damnavitque rogis noxia ligna pater:
7. Pingues, Lygde, sues habeat vicinus Jolas:
8. Te satis est nobis annumerare pecus.

Vers. 1. 2. Dum Amyntas nimio studio gregem saturare cupit, quem bene saginatum esse, ac laudari, gaudet.

Luxuria. Nitore, numero.

3. Ascendit in quercum glande onustam, ut eam porcis excuteret; at eum arboris brachia non sustinuere, illa ipse vicit fortiori pondere, ac depressit ramos mole corporis, glandesque concussas, ac decidentes secutus, ipse quoque humi obtritus decidit.

5. 6. Amyntæ pater succidit quercum, noluitque eam vivere, rapto sibi filio, imo eam sui filii rogo servire jussit.

7. O Lygde, amice pastor, (forte villicus Martialis erat) patere ut Jolas, vicinus ille subulcus, suas saginet sues excussa glande, cum tanto cadent periculo: tu id satis habeto, si reddas numerum pecudum, quæ tibi sunt creditæ, quamvis illæ non sint aueo saginatæ, ac pastæ: tu mihi illis potior es.

XXVI.

Carmina vivida.

1. Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis
2. Lemmata: qui fieri, Cæciliane, potest?
3. Mella jubes Hyblea tibi vel Hymettia nasci.

4. Et thyma Cecropiæ Corſica ponis api.

Verſ. 1. 2. Lemmata diximus ſupra Lib. 10. Epig. 53. eſſe inſcriptiones carminum, ſive ſententias breves quæ argumentum comprehendant paucis: hic pro argumento, & materia carminis ea vox adhibetur. Peres verſus elegantes, & proponis ſiccam, jejunam, mortuam materiam.

3. 4. Ex argumento frigido, & exili non poteſt magis fieri acutum carmen, & vividum, quam e thymo, & floribus peſſimis, quales effert Corſica, (pagina 434.) fieri poteſt mel optimum, quale eſt Hyblæum, vel Hymettium etiamſi apis Cecropia ſit, ideſt, Attica, & ſcientiſſima conficiendi mellis. Hybla mons Siciliæ, pagina 125. 426. Hymettus, Atticæ. *Cecropiæ* pag. 47. 231. Corſica inſula adjacet Sardiniæ ad Boream.

XXVII.

Divitis ſenis amicus:

1. Orbus es, & locuples, & Bruto conſule natus,
2. Eſſe tibi veras credis amicitias,
3. Sunt veræ, ſed quas juvenis, quas pauper habebas:
4. Qui novus eſt, mortem diligit ille tuam.

Verſ. 1. *Et Bruto &c.* Et admodum ſenex. Eſt hyperbole: nam Brutus, qui Reges exegit, florebat anno ab U.C. fere 250. Martialis 850. 4. *Novus*. Qui te ſenem primum colere incipit. *Mortem*. Ut ſi hæres tuus.

XXVIII.

Virgilii, & Ciceronis hæres.

1. Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
2. Jugera facundi qui Ciceronis habet.
3. Hęredem dominumque ſui tumulive lariſve
4. Non alium mallet nec Maro, nec Cicero.

Verſ. 1. 2. Silius qui villam Ciceronis poſſidet, colit etiam hoc Virgilii ſepulcrum. Dicitur Silius Poeta, (de quo plura vide p. 187. 350. 409.) Virgilium, ut Deum aliquem, coluiſſe, ejuſque tumulum, prope Neapolim inſtar templi frequentaſſe. De Cicerone vide p. 173. 272. 401. De Virgilio, pag. 404.

4. *Non alium &c.* Quia Silius Italicus, optimus orator, & poeta fuit.

Ma-

XXIX.

Maronis monumentum.

1. Jam prope deſertos cineres, & ſancta Maronis
2. Nomina qui coleret, pauper, & unus erat.
3. Silius optatæ ſuccurrere cenſuit umbræ,
4. Silius & vatem, non minor ipſe, colit.

Verſ. 1. 2. Nemo, niſi forte unus aliquis, & pauper, colebat tumulum, & nomen Virgilii.

3. Silius tandem opem tulit umbræ chariſſimæ: ſtatuit deſertos Maronis manes ab injuria, & ſolitudine vindicare.

4. Et vatem colit Virgilium, ipſi par, eodem Virgilio nullatenus inferior.

XXX.

Poetam amicum ad cœnam invitat.

1. Cœnabis belle, Juli Cerealis, apud me:
2. Conditio eſt melior ſi tibi nulla, veni.
3. Octavam poteris ſervare: lavabimur una:
4. Scis quam ſint Stephani balnea juncta mihi.
5. Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
6. Utilis, & porris fila reſecta ſuis.
7. Mox vetus, & tenui major cordylla lacerto,
8. Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant.
9. Altera non deerunt tenui verſata favilla:
10. Et velabrenſi maſſa recocta foco.
11. Et quæ Picenum ſenſerunt frigus olivę.
12. Hæc ſatis in guſtu: cetera noſſe cupis?
13. Mentiar, ut venias; piſces, conchylia, ſumen,
14. Et cortis ſaturas atque paludis aves:
15. Quę nec Stella ſolet rara niſi ponere cœna.
16. Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
17. Ipſe tuos nobis relegas licet uſque Gigantas,
18. Rura vel æterno proxima Virgilio.

Verſ. 2. Si nullam habes cœnam potiorem, ad quam vocatus fueris.

3. Potes horam octavam totam tuis negotiis impendere: vel *ſervare*, ideſt, reſervare ad balneum, quo eodem ambo utemur; vel;

notare, ut illa hora ad me venias.

4. *Juncta mihi*. Ædibus meis vicina.

5. *Movendo*. Ciendo, & solvendo.

6. *Fila*. Porri, in longa, & minuta, instar filorum, frusta secabantur, & patinis imponebantur.

7. *Vetus*. Durata fumo, aut muria incocta.

Cordylla. Piscículi est genus: item lacertus. Pag. 302.

9. *Altera*. Nempe ova, quæ sorbeantur, atque adeo leviter cocta.

10. *Massa*. Casei, *recocta* fumo indurata. Velabrum, fuit Romæ celebris vicus, ubi casei præstantes fiebant. Dicitur etiam nunc *Velabro*.

11. *Picenum*. Pag. 51. 227. 277.

12. *In gustu*. Hæc satis, erunt in cœnæ limine, & quasi ingressu. Supra Epig. 17.

13. Non verebor mentiri, & fercula mea plus æquo venditare, ut venias, ut sic te alliciam. Pisces habeo exquisitos, tibi apponendos.

Conchylia. Ostrea, pisces testis inclusos. *Sumen*. Pag. 118.

14. E corte, (pag. 449.) & paludibus petitas; domesticas, & externas.

15. Qualia fercula nec ipse Stella convivis apponit, nisi raro: erat ille poeta dives, amicus Martialis.

16. *Nil recitabo*. Non te fatigabo versibus meis recitandis: tuos nobis quamdiu libuerit, leges, utpote præstantissimos.

17. *Gigantas*. Carmen a te scriptum de Gigantibus.

18. Vel tua Georgica, id est, carmina de re rustica, de colendis agris, &c. paria & æmula Virgilianis.

XXXI.

Matrona encomium.

1. Claudia cæruleis cum sit Rufina Britannis
2. Edita, quam Latiæ pectora gentis habet!
3. Quale decus formæ! Romanam credere matres
4. Italides possunt, Atthides esse suam.
5. Di bene quod sancto peperit fœcunda marito,
6. Quod sperat generos, quodque puella nurus.
7. Sic placet Superis, ut conjuge gaudeat uno,
8. Et semper natis gaudeat illa tribus.

Vers. 1. *Cæruleis*. Ob oculos cæsios; vel, ob colorem quo vultum inficere amant: vel, ob mare vicinum quo Britanni ambiuntur, quod est cærulei coloris.

2. Quam Romanos mores & animum habet!

4. *Attides*. Atticæ, Græcæ.

Di bene. Subaudi fecerunt, vox gratulantis.

6. Spe-

6. Speras. Nimirum puella, & adhuc integra ætate *Generos*. Quibus suas filias collocabit. *Nurus*. Quibus filios suos maritos dabit.

7. 8. O Superi, servate illi virum superstitem, & liberos tres. Lege pagina 186. ubi est epigramma non absimile.

XXXII.

Ex fugitivo fur.

1. Unguenta & cassas, & olentem funera myrrham,
2. Thuraque de medio semicremata rogo;
3. Et quæ de stygio rapuisti cinnama lecto,
4. Improbe, de turpi, Zoile, redde sinu.
5. A pedibus didicere manus peccare protervæ:
6. Non miror furem, qui fugitivus erat.

Vers. 1. *Unguenta*. Rogis iniici solita.

3. *Cinnama*, p. 165. 305.

Stygio. Lecto funebri, in quo cadaver positum, rogo inferebatur, opertum vestibus pretiosis.

5. 6. Quemadmodum tui pedes peccarunt, cum ab herili fugerunt domo; sic nunc eorum exemplo peccant manus, cum furantur. Teipsum hero tuo eripuisti; nunc suas opes aliis eripis.

XXXIII.

Ars captatoris capiendi.

1. Hortatur fieri quod te Lupus, Urbice, patrem,
2. Ne credas: nihil est quod minus ille velit.
3. Ars est captandi, quod nolis velle videri;
4. Ne facias optat, quod rogat ut facias.
5. Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum.
6. Pallidior fiet jam pariente Lupus.
7. At tu consilio videaris ut usus amici.
8. Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

Vers. 1. 2. O Urbice, quod Lupus hæredipeta te hortatur, ut adoptes aliquem filium, siquidem jam senex, & orbus es, noli credere illum hoc dicere ex animo.

5. 6. Atque ut hoc intelligas, uxor tua Cosconia, singat se esse gravidam, videbis, illum exanimatum metu, & pallidiorem femina parturiente.

7. Tu tamen noli ejus consilium

filium spernere, qui amice videtur te hortari: utere tuis opibus; dum licet, genio indulge; ut, cum morieris, perparum aut nihil ipsi testamento relinquas, perinde, ac si filium habuisses, aut adoptasses.

XXXIV.

Vita fortiter aliquando retinenda.

1. Quod nimium laudas, Chæremon Stoice, mortem,
2. Vis animum mirer suspiciamque tuum.
3. Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa.
4. Et tristis, nullo qui tepet igne, focus;
5. Et teges, & cimex, & nudi sponda grabati,
6. Et brevis, atque eadem nocte dieque toga,
7. O quam magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
8. Et stipula, & nigro pane carere potes!
9. Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
10. Constringatque tuos purpura pexa toros;
11. O quam tu cupies ter vivere Nestoris annos,
12. Et nihil ex ulla perdere luce voles!
13. Rebus in angustis facile est contemnere vitam,
14. Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Vers. 1. *Stoice*. Pag. 34. 351.
3. Ideo mortem optas, quia vitam agis miseram, & ærumnosam.
5. *Teges*. Storea, pagina 530. *Cimex*. Supra, Ep. 18. Grabatus vilis est lectulus. Sponda vero lecti latus, seu tabulæ lateri appositæ, quæ culcitam continent.
6. *Carere*. Moriendo.
9. *Lingonici*. Lingones, *Langres*, Galliæ civitas, lanis suis inclyta.
10. *Constringat*. Vestiat amplectatur. *Purpura*. Toral, stragula. *Pexa*. P. 123. 127. 243. *Nestoris*. 267.

XXXV.

Dives tenuioris munera ne respuat.

1. Miraris docto quod carmina mitto Severo,
2. Ad cœnam quod te, docte Severe, vocem?
3. Jupiter ambrosia satur est, & nectare vivit,
4. Nos tamen exta Jovi cruda, merumque damus:
5. Omnia cum tibi sint dono concessa Deorum,
6. Si quod habes, non vis; ergo quid accipies?

Vers.

Verſ. 2. *Vocem* . Pauper divitem.
3. *Ambroſia*. Pag. 394.
4. *Exta* . Pecudum immolatarum viſcera. Pagina 433.

XXXVI.

Annuli pauperis.

1. Senos Charinus omnibus digitis gerit,
2. Nec nocte ponit, annulos:
3. Nec cum lavatur: cauſa quæ ſit, quæritis?
4. Dactyliothecam non habet.

Verſ. 1. Sex annulos in ſingulis digitis gerit, & eo videri vult dives: at revera id inopiam ejus coarguit: idcirco enim illos nou deponit, quia non habet thecam ubi reponat. Eſt id ſigni, annulos iſtos eſſe conductos, non ipſius proprios δάκτυλος, digitus, δακτύλιον, annulus; θήκη, theca, pyxis, arcula: δακτυλοθήκη, annuli cuſtos theca.

XXXVII.

Sera invitatio.

1. Sexcenti cœnant a te, Juſtine, vocati
2. Lucis ad officium quæ tibi prima fuit.
3. Inter quos, memini, non ultimus eſſe ſolebam
4. Nec locus hic nobis invidioſus erat.
5. Poſtera ſed feſtæ reddis ſolemnia menſæ:
6. Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

Verſ. 2. Ad celebrandam lucem, quæ tibi natalis fuit.
4. Neque invidebant mihi homines, quod locum non ultimum inter convivas obtinerem, quem videbar officiis meis abunde promeritus.
5. 6. Invitas me poſtridie ad conſumendas pridianæ cœnæ reliquias, & analecta. Mittant igitur tibi munera natalitia hodie illi ſexcenti, quos ad cœnam vocaſti: ego, quem hodie non vocas, nihil muneris hodie tibi mittam, ſed cras, quia tantum cras cœno. Craſtinus autem dies, tuus natalis non eſt; atque adeo nihil tibi cras debetur, neque a me dabitur.

XXXVIII.

Poſt mortem liberalis.

1. Nil mihi das vivus: dicis, poſt fata daturum.

2. Si

2. Si non es ſtultus, ſcis, Maro, quid cupiam.

Verſ. 2. Quid cupiam. Nempe, ut cito moriaris, ut accipiam, quod non vis dare niſi mortuus. Vide p. 385.

XXXIX.

A magnis magna poſtulanda.

1. Parva rogas magnos: ſed non dant hæc quoq; magni
2. Ut pudeat levius te, Matho, magna roga.

V. 2. Ut minus ſaltem erubeſcas, ſi negentur tibi magna.

XL.

Hoſtis dignitas cladem levat.

1. Amphiteatrales inter nutrita magiſtros
2. Venatrix, ſylvis, aſpera, blanda domi,
3. Lydia dicebar domino fidiſſima Dextro,
4. Qui non Erigones mallet habere canem,
5. Nec qui Dictæa Cephalum de gente ſecutus,
6. Luciferæ pariter venit ad aſtra Deæ.
7. Non me longa dies, nec inutilis abſtulit ætas,
8. Qualia Dulichio fata fuere cani:
9. Fulmineo ſpumantis apri ſum dente perempta,
10. Quantus erat, Calydon, aut, Erimanthe, tuus.
11. Nec queror, infernas quamvis cito rapta ſub ũbras
12. Non potui fato nobiliore mori.

Verſ. 1. Loquitur ipſa canis, cui epitaphium ponitur in hoc epigrammate. Nutrita ſueram inter beſtiarios, & præfectos amphiteatri.

3. *Dextro.* Nomen eſt hominis.

4. Erigone cujuſdam Icarii filia fuit: is a paſtoribus interfectus ad arboris radicem defoſſus eſt. Canis (quem Meram, alii Neæram, vocant) Erigonem latratibus crebris, & apprehenſa identidem veſte, perduxit ad cadaver: quo viſo puella ſe ex arbore ſuſpendit: canis inedia voluntaria, & dolore confectus interiit. Jupiter commiſeratione motus, omnes in aſtra, per ſummam liberalitatem, & munificentiam, retulit; & Icarium quidem Bootem eſſe juſſit; Erigonem, Aſtræam ſeu Virginem, Canem, Caniculam, ſidus

fidus infesto calore notum.

5. 6. Dexter non mallet habere canem illum, qui primo fuit Europæ custos a Jove datus, in Creta insula, ubi mons Dicte: ac deinde datus Cephalo: denique ab eodem Jove relatus in sidera, & donatus Dianæ venatrici. *Luciferæ Deæ*. pag.521. Procris Erechthei Athenienſium regis filia fuit. Cum nupsisset Cephalo Æoli filio, quem venationi deditum norat, ipsi jaculum insigne dedit, quo feram quamlibet certo ictu conficeret; dedit & canem miræ sagacitatis, qui vocatur in fabulis Lælaps. Postea cum virum ab Aurea quadam, seu Aurora, male amari audivisset, inter sylvas delulit, quo venturam pellicem putabat: Cephalus rei ignarus cum virgulta sensisset moveri, arbitratus ibi latere feram, illo quod Procris ipsi dederat (vel Aurora, ut alii volunt) jaculo, eamdem interfecit. Canis cœlo additus vocatur Syrius.

8. *Cani Dulichio*. Cani Ulissis. Dulichius Ulysses dictus est ab insula Dulichio, prope Itacham Ulyssis patriam. De isto cane Homerus agit libro Odis. 17. & Argum appellat. Senio confectus obiit.

10. *Calydon*. Pag.31. *Erymanthe*. Pag.21.

XLI.

Durus creditor.

1. Solvere, Pæte, decem tibi me sestertia cogis:
2. Perdiderit quoniam Bucco ducenta tibi.
3. Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui
4. Bis centena potes perdere, perde decem.

Iratus Pætus quod Buccoⁿis cujusdam, sui debitoris, dolo vel egestate, amisisset ducenta sestertia (sunt libræ Turonicæ 20000.) a reliquis debitoribus cœpit exigere severius nomina. Deprecatur alienam culpam vates, & ut sibi decem, quæ Pæto, debet, sestertia remittantur, lepide petit. Decem sestertia sunt libræ seu nummi Francici 1000. Perdidisti ducenta sestertia: facilius decem perdes, ea mihi donando.

XLII.

Eques piger.

1. Ad primum decima lapidem quod venimus hora,
2. Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
3. Non est ista viæ, non est mea, sed tua culpa:
4. Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

V. 1. Invitaveras me ad cœnam, in tuam villam, quæ mille tantum passibus abest Roma : mane summo misisti mihi tuas tardissimas mulas ; veni ad te decem post horis, (duabus ante solis occasum) venissem citius (pedes. *Ad primum lapidem.* Pag. 36.

XLIII.

Amicus inutilis :

1. Littus beatæ Veneris aureum Bajas,
2. Bajas superbæ blanda dona naturæ,
3. Ut mille laudem, Flacce, versibus Bajas,
4. Laudabo digne non satis tamen Bajas,
5. Sed Martialem malo, Flacce, quam Bajas.
6. Optare utrumque pariter, improbum votum est.
7. Quod si Deorum munere hoc tibi detur,
8. Quid gaudiorum est Martialis : & Bajæ ?

Vers. 1. 2. *&c.* Licet Bajas Veneri consecratas, in amœno littore positas, non satis digne laudarem mille versibus, me tamen Musas meas, meam valetudinem, illis præfero.

Bajas. Pag. 66. 209.

6. *Utrumque.* Valetudinem, & Bajanas delicias. *Improbum.* Nimium.

7. Si tamen eveniret, ut ego Bajas irem, felici quodam tuo, ut ais, fato.

8. Quid ego te juvare Baiis possem ? quid ex me voluptatis, & commodi caperes ? certe parum. Non tanti sum, ut me tanto expectas opere.

XLIV.

Lymphæ salutares.

1. A Sinuessanis conviva Philostratus undis
2. Conductum repetens nocte jubente larem,
3. Pene imitatus obit sævis Elpenora fatis,
4. Præceps per longos dum ruit usque gradus :
5. Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
6. Si potius vestras ille bibisset aquas.

Vers. 1. Philostratus quidam cum ab urbe Sinuessa, ubi aquæ sunt saluberrimæ (pag. 265.) madidus, non aquis at mero multo, se nocte domum reciperet.

3. Obiit prope ad eum modum quo Elpenor. Fuit iste unus e sociis Ulyssis, qui, dum apud Circem crapulam edor-

edormiret, audito strepitu excitatus, & per scalarum gradus præcipitans, cervicem fregit.

5. 6. O Nymphæ, quæ aquis Sinuessanis præsidetis, non ille sic periisset, si aquis salutaribus vestris usus esset potius quam vino. Nymphæ Lymphis præsunt.

XLV.

Quæstuose munificus.

1. Nemo habitat gratis nisi dives, & orbus apud te:
2. Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

Sosibianus domum suam gratis locabat divitibus, & orbis, nihil quidem ab illis petens, sed ea spe, fore ut ab iisdem hæres scriberetur. Itaque illi revera magno pretio conducebant Sosibiani domum, licet eam ipse gratis locare videretur: daturi enim erant Sosibiano, ut quidem sperabat, opimas hæreditates.

Orbus. Qui liberis caret.

XLVI.

In tonsorem imperitum.

1. Qui nondum Stygias descendere quærit ad undas,
2. Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
3. Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,
4. Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.
5. Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
6. Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
7. Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
8. Collaque pulverea nudet equina juba.
9. Hic miserum Scytica sub rupe Promethea radat,
10. Carnificem nudo pectore poscet avem.
11. Ad matrem fugiet Pentheus, ad Menadas Orpheus,
12. Antiochi tantum barbara tela sonent.
13. Hæc quacunq; meo numeratis stigmata mento?
14. In vetuli pyctæ qualia fronte sedent;
15. Non iracundis fecit gravis unguibus uxor;
16. Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
17. Unus de cunctis animalibus hircus habet cor,
18. Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

Vers. 3. *Alba.* Nuda. *Lacerantur.* O Cybeles sacer-

cerdotibus, qui æra pulsabant, lacerabant corpora, inconditos ululatus edebant, &c. pag. 72.

4. *Phrygios*. Cybele in Phrygia maxime colebatur, *Enthea*. Furiata: Deo afflata, ἔνθεος. Lege plura de illis, pag. 137. 415. 430.

5. Mitior & mollior est Alconis, chirurgi barbari & crudelis, manus, cum hernias secat. Implicitas appellat, quia hernia fit, cum intestina in scrotum devolvuntur, & inter sese perperam illigantur. *Enterocelæ*. Vide pag. 514.

6. *Fabrili*. Quasi esset lignarius faber, ac bruta ligna tractaret; ita ossa fracta committit, secat, radit, &c.

7. *Cynicos*, pag. 215. *Stoica*. 34. 351. Cynici & Stoici ejus manum tolerabunt, cum leniorem, præ inopia, tonsorem habere nequeant.

8. Equorum jubas pulverulentas tondeat, non hominum barbam.

9. Si Antiochus radere Prometheum (pag. 9.) ac tondere velit, recusabit Prometheus, ac petet; malletque a vulture suo laniari.

11. *Pentheus*. Echionis regis Thebarum & Agaves filius, a matre, quod Bacchi sacra sperneret, discertus: Orpheus a Mænadibus, ita dictis a voce græca μαίνομαι, insanio, furo. Virg. IV. Georg. versu 520.

12. Si novacula Antiochi strepitum ediderit.

13. O tu, quisquis es, qui vides meum mentum fœde incisum. *Stigmata*, pagin. 116. 415. Facta vox στίζω, pungo.

14. Qualia sæpe gerit pyctes vetulus. Pyctes, seu pycta, græce μύκτης, est pugil. Illi pugilæ cum crudo pugno inter se digladiarentur, malas & mentum sæpe habebant crebris vulneribus contusum ac deformatum. Sunt qui legant: *in vetuli picta fronte*. Quales rugæ apparent in senum fronte.

17. 18. Sapit hircus, qui mavult numquam barbam deponere, quam in Antiochi manus venire.

XLVII.

Gulosa tussis.

1. Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat
2. Assidue tussis, Parthenopæe, tibi:
3. Mella dari nucleosq; jubet, dulcesque placentas,
4. Et quicquid pueros non sinit esse truces.
5. At tu non cessas totis tussire diebus.
6. Non est hæc tussis, Parthenopæe: gula est.

Vers. 3. *Nucleos*. In quibus amygdalæ suaves.

4. Et dulciaria crustula, quibus pueri irati, aut male vagientes placantur.

5. 6. Alis & foves tussim, ut ejusmodi cupediis fruaris diutius.

Epi-

XLVIII.

Epitaphium puellulæ.

1. Æolidos Canace jacet hoc tumulata ſepulcro,
2. Ultima cui parvæ ſeptima venit hyems.
3. Ah ſcelus! ah facinus! properas quid flere viator?
4. Non licet hic vitæ de brevitate queri.
5. Triſtius eſt leto leti genus: horrida vultus
6. Abſtulit, & tenero ſedit in ore lues.
7. Ipſaque crudeles ederunt oſcula morbi,
8. Nec data ſunt nigris tota labella rogis.
9. Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
10. Debuerant alia fata venire via:
11. Sed mors vocis iter properavit cludere blandæ,
12. Ne poſſet duras flectere lingua Deas.

Verſ. 1. *Æolidos.* Subaudi, fili. Legitur etiam *Æolis heu! Canace.*

4. *Non licet.* Quia ſunt alia magis flenda: nempe morbi diritas & mortis genus.

6. *Abſtulit.* Ita peredit vultum, ac deformavit, ut nullus eſſe videretur.

7. *Oſcula.* Puſilla ora. *Rogis.* Pag. 258.

10. *Alia.* Quam iſta. Non debuerat perire illo morbo, qui linguam ipſi & vocem, qua Mortem & Parcas lenire potuiſſet, auferret.

12. *Deas.* Parcas. Pag. 260. 220.

XLIX.

In ſceleratum.

1. Mentitur, qui te vitioſum, Zoile, dicit:
2. Non vitioſus homo es, Zoile, ſed Vitium,

Verſ. 2. Adeo teter ac ſceleratus es, ut ſcelus ipſum, & Vitium dici poſſis.

L.

Ab incendio male ſervatus.

1. Pierios vatis Theodori flamma Penates
2. Abſtulit: hoc Muſis, hoc tibi, Phœbe, placet?
3. O ſcelus, o magnum facinus, crimenq; Deorum:
4. Non arſit pariter quod domus, & dominus,

Verſ. 3.

Verſ. 3. Videtur deplorare velle caſum Theodori: graviorem illi imprecatur. Factum male quod ejus domus deflagravit: imo quod ipſe quoque non deflagravit.

LI.

Captivus ferox.

1. Marcia, non Rhenus; ſalit hic, Germane, quid obſtas,
2. Et puerum prohibes divitis imbre lacus?
3. Barbare, non debet, ſubmoto cive, miniſtro
4. Captivam victris unda levare ſitim.

Verſ. 1. Cum tranſiret per urbem Martialis, vidit Germanum quemdam, a quo Romanus puerulus vetabatur haurire aquam Marciam: in eum ſcripſit hoc Epigr. O Germane, fons ille eſt aqua Marcia, (de qua dictum eſt pag. 297.) non eſt tuus Rhenus, quid repellis puerum, ne hauriat, ne bibat?

3. Non debet arceri civis & prohiberi fonte, interim dum captivus toties victus, qualis es, bibit, & Romanum victoremque fontem haurit. *Miniſtro*. Tibi ſervo.

LII.

Dona debent creſcere.

1. Mittebas libram; quadrantem, Garrice, mittis.
2. Saltem ſemiſſem, Garrice, ſolve mihi.

Verſ. 1. *Libram*. Pag. 133. *Quadrantem*. 244.

2. *Semiſſem*. Selibram, ſeu dimidiam libram. Pagin. 44.

3. *Solve*. Quaſi deberet eodem quo cœperat pede, pergere, & ſe priori munificentia ad poſteriorem præſtandam obligaſſet: aut certe quaſi deberet minuere gradatim beneficia, ut a libra veniret ad ſemiſſem, a ſemiſſe ad quadrantem. Eſt lib. 8. Epigramma ſimillimum, pag. 412.

LIII.

In lectorem faſtidioſum.

1. Albi Maxime: ſi vacabit hora,

2. Hoc

2. Hoc tantum lege: namque & occupatus,
3. Et non es nimium laborioſus.
4. Tranſis hos quoque quatuor? ſapiſti.

Verſ. 1. *Si vacabit horâ.* Si horam, ſi particulam hanc horæ, vacuam habes.

4. *Hos quatuor.* Verſiculos, quibus hoc epigramma conſtat. *Sapiſti.* Nugæ iſtæ non ſunt tanti, ut otium his legendis perdas.

LIV.

Liber evolutus.

1. Explicitum nobis uſque ad ſua cornua librum,
2. Et quaſi perlectum, Septiciane, refers.
3. Omnia legiſti: credo, ſcio, gaudeo, verum eſt,
4. Perlegi libros ſic ego quinque tuos.

Verſ. 1. *Explicitum.* Evolutum ita ut tutum bacillum, circa quod involutus erat antequam legeretur, appareret cum extremis hinc inde partibus, quæ cornua vocata eſſe dixi fuſius.

4. Eodem modo libros tuos quatuor, quos ad me miſeras, evolvi, ideſt, non legi.

LV.

Candido lectori.

1. Quamvis jam longo poſſis ſatur eſſe libello,
2. Lector: adhuc a me diſticha pauca petis.
3. Sed Lupus uſuram, puerique diaria poſcunt:
4. Lector ſolve: taces diſſimulaſque? Vale.

Verſ. 3. *Lupus.* Fœnator, *Pueri.* Mancipia. *Diaria.* Cibum quotidianum. Pag. 156. Ego igitur dum ſcribo verſus, cogor alere domi ſervos, mutuam ſumere pecuniam; reddendum eſt fœnus, paſcendi ſervi, &c. Da pecuniam, qua illis omnibus ſatisfaciam. Non vis? Vale, taceo, nihil ſcribo præterea.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS.

EPIGRAMMATUM

LIBER DUODECIMUS.

EPISTOLA.

Val. Martialis Prisco suo S.

SCIO me patrocinium debere contumaciſſimæ triennii deſidiæ, quæ abſolvenda non eſſet inter illas quoque occupationes urbicas, quibus facilius conſequimur ut moleſti potius; quam officioſi eſſe videamur: nedum in hac provinciali ſolitudine; ubi, niſi etiam intemperanter ſtudeamus, & ſine ſolatio, & ſine excuſatione ſeceſſimus. Accipe ergo rationem, in qua hoc maximum & primum eſt, quod civitatis aures, quibus aſſueveram, quæro, & videor mihi in alieno foro litigare. Si quid eſt enim in libellis meis, quod placeat, dictavit auditor. Illam judiciorum ſubtilitatem, illud materiarum ingenium: bibliothecas, theatra, conventus, in quibus ſtudere ſe voluptates non ſentiunt, ad ſummam omnium, ea quæ delicate reliquimus, quaſi deſtituti deſideramus. Accedit his municipalium rubigo dentium, & judicii loco livor; & unus aut alter mali, in poſillo loco multi: adverſus quos difficile eſt habere quotidie bonum ſtomachum. Ne mireris igitur abjecta ab indignante, quæ a geſtiente fieri ſolebant. Ne quid tamen, & advenienti tibi ab urbe, & exigenti negarem, cui non fero gratiam, ſi tantum ea præſto, quæ poſſim; imperabo mihi cui indulgere conſueveram: & ſtatui pauciſſimis diebus, ut familiariſſimas mihi aures tuas exciperem adventoria ſua. Tu velim iſta,

ista, quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æstimare, & excutere non graveris; &, quod tibi difficillimum est, de nugis nostris judices nitore sepositō; ne Romam, si ita decreveris, non Hispanienſem librum mittamus, sed Hispanum.

Scio, &c. Video mihi afferendam esse in hoc scribendi aditu excusationem, quare per triennium, ex quo in patriam redii, nulla epigrammata scripserim.

Qua &c. Cujus desidiæ meæ, nec in istis quidem urbanis officiis, & occupationibus satis justam excusationem videor fuisse habiturus. Cujus desidiæ crimine vix absolverer, si in urbe versatus essem; nedum qui in patria, summo in otio, in summa solitudine, vixerim.

Quibus &c. Damnat obiter officiosam urbanitatem, quæ dum anxie versatur in reddendis officiis, facit ut amicis plus afferatur molestiæ, quam ab iis gratia ineatur.

Ubi &c. In provincia, in solitudine.

Intemperanter. Valde, sedulo.

Sine excusatione. Quia sola, cur ab urbe secedat, homini erudito videtur esse causa, ut plus habeat otii ad litteras colendas.

Civitatis aures quæro. Desidero hic, Bilbili, in mea Hispania, aures eruditas. Non reperio viros doctos, qui me ad scribendum excitent, quibus mea recitem carmina: quales Romæ plurimi.

In alieno foro. Caussidici libentius coram iis perorant, quibus assueverunt, quibus noti sunt.

Si quid, &c. Si quid in meis libellis placet, hujus causa est eruditus lector, & auditor, cui ego dum placere cupio, multa feliciter excudi & elaboravi, adeo ut illa mihi dictasse videatur.

Illam &c. Requiro viros judicii subtilis ac limati; illa scribendi argumenta, quæ sua sponte acuunt ingenium; illam theatri frequentiam, & alias id genus illecebras; quibus excitatus ad studia litterarum animus tanta voluptate perfunditur, ut laborem non sentiat.

Municipalium rubigo &c. Invidia Bilbilitanorum civium, qui ex livore potius, quam ex judicio, & veritate existimant de meis epigrammatis, eaque carpunt. Quid sit municipium explicui pag. 216.

Et unus, &c. Duo, tresve maligni & invidi; qui duo, tresve, instar multorum sunt, in angusto loco, in exigua civitate.

Bonum stomachum. Qui eorum ineptias concoquere ac digerere possit.

Abjecta. Omissa esse carmina: a me non scripta.

A gestiente. A me olim læto, & favorem hominum

plauſuſque ſuaviter deguſtante.

Ne quid &c. Ne quid tamen tibi denegarem, cui parem ſpro acceptis beneficiis referri a me gratiam non puto, ſi ea dumtaxat facio, quæ fieri facile poſſunt, vim adhibebo mihi cui parcebam, deſidiæ indulgendo. Extorquebo a me verſiculos.

Statui &c. Retuli me ad ſtudium, ut te aliquot carminibus, tanquam recentem hoſpitem lautiore cœna, exciperem.

Adventoria. Cœna adventoria, ſeu adventitia vocabatur, qua excipiebant amicos redeuntes peregre.

Tu velim &c. Rogo te, ut hæc noſtra carmina, quæ apud te ſecura ſunt, quia de illis candide ſemper judicas, expendas accurate: ac ſeponas in illis ea, quæ nitent, ac elegantia ſunt, ab iis quæ ſunt fuſca, & male compoſita; ut hæc poſtrema illuſtrentur a me, recudantur, &c. ne mittam Romam librum, qui non modo dici Hiſpanienſis poſſit, quia compoſitus, & veluti natus eſt in Hiſpania; ſed etiam, qui Hiſpanus eſſe videatur, hoc eſt, barbare ſcriptus, & parum latine, quo modo loqui Hiſpani indigenæ ſolent. Quidam hæc verba, *nitore ſepoſito*, explicant: Depoſito illo candore, & benevolentia, qua probas quidquid ſcribo.

EPIGRAMMA I.

Brevis liber.

1. RETIA dum ceſſant, latratoreſque moloſſi,
2. Et non invento ſylva quieſcit apro:
3. Otia, Priſce, brevi poteris donare libello.
4. Hora nec æſtiva eſt, nec tibi tota perit.

Verſ. 1. Dum venatio conquieſcit, dum retia & canes feriantur.

4. *Nec æſtiva eſt.* Non ſunt horæ longiores nunc, ut æſtate; ſed breviores, utpote hyemales. Horas diei ſemper duodecim Romani numerabant: ac proinde longiores erant æſtate, hyemæ breviores.

Tota. Nullus enim, ut ajunt, liber eſt tam malus, quin aliquid ex eo colligi boni poſſit.

II.

Sua in urbem mittit carmina.

1. Quæ modo litoreos ibatis carmina Pyrgos,
2. Ite Sacra, jam non pulverulenta via eſt.

Verſ. 1. 2.

Verſ. 1. 2. O mea carmina, quæ a me olim Romæ ſcripta ibatis in reliquam inde Italiam, ac maxime in urbem maritimam Pyrgos; jam ab Hiſpania Romam ite per Sacram viam: hæc commoda jam eſt, nec pulvere infeſta. Nonnulli cenſent non fieri mentionem hic de via Sacra Romana, per quam triumphantes ducebantur in capitolium: ſed de alia quadam Hiſpaniæ via publica, ſic appellata, per quam iter in Italia eſſet.

Pyrgos. Pyrgi, urbs Tusciæ, nunc Fanum Sanctæ Marinellæ, *Santa Marinella*, in ora maris Tyrrheni, non procul Centumcellis.

III.

Liber auctorem ſuum indicat.

1. Ad populos mitti qui nuper ab urbe ſolebas,
2. Ibis, io, Romam nunc peregrine liber,
3. Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis;
4. Dat patrios Manes quæ mihi terra potens,
5. Non tamen hoſpes eris, nec jam potes advena dici,
6. Cujus habet fratres tot domus una Remi.
7. Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
8. Reddita Pieria ſunt ubi templa chero.
9. Vel, ſi malueris, prima gradiere Suburra.
10. Atria ſunt illic conſulis alta mei.
11. Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
12. Clarus Jantheæ Stella ſitior aquæ.
13. Fons ibi Caſtalius vitreo torrente ſuperbit,
14. Unde novem dominas ſæpe bibiſſe ferunt.
15. Ille dabit populo, patribuſq; equitique legendum,
16. Nec nimium ſiccis perleget ipſe genis.
17. Quid titulum poſcis? verſus duo treſve legantur;
18. Clamabunt omnes te, liber, eſſe meum.

Verſ. 3. *Tagi*. P. 55. 207. *Salonis*. Pag. 55.

4. Quæ terra condit parentum meorum Manes: quæ patria mea eſt.

5. *Hoſpes*. Peregrinus, ignotus. *Advena*, qui aliunde advenit: non civis: non inquilinus.

Fratres. Libros eodem editos parente me. *Domus Remi*. Roma. Remus frater fuit Romuli: Romam ambo condidere.

7. *Templi*. Apollinis, quod olim ab Auguſto conditum Nerva, in poetarum gratiam, inſtauraverat.

9. *Prima*. Petes aditum vici Suburræ. Pag. 110. 247.

10. *Consulis mei*. Stellæ pag. 33. 417. 442.

11. *Laurigeros*. Vel quia consul, vel quia poeta bonus.

12. Qui Stella gaudet bibere ex Janthide seu Jantho fonte, in sua villa. De illo fonte vide Ep. 32. Libri 6.

13. *Castalius*. Pag. 329.

14. *Dominas*. Musas.

16. *Non siccis*. Illacrymans præ mei desiderio. Repetierat Martialis Hispaniam.

IV.

Ad suum Mæcenatem.

1. Quod Flacco, Varioque fuit, summoq; Maroni,
2. Mæcenas atavis regibus ortus eques:
3. Gentibus & populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
4. Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
5. Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur:
6. Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

V. 1. &c. *Flacco*. Horatio: *Vario*. Pag. 381. *Mæcenas*. 404. Sententia est. O Terenti, fama loquax, & mei versus diu victuri, dicent te mihi eadem beneficia, benevolentiamque præstitisse, quam præstitit Mæcenas Flacco, Vario, & Virgilio.

6. *Ingenuæ pigritiæ*. Otii litterati, quod ingenuos homines decet. Studia, & litteras meas liberaliter muneraris.

V.

Cæsari libros offert.

1. Longior undecimi nobis decimique libelli
2. Arctatus labor est, & breve rasit opus.
3. Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti;
4. Hæc lege tu, Cæsar: forsan & illa leges.

V. 1. 2. Libri Epigrammatum decimus, & undecimus non sine labore lusius a me scripti, ad pauciora Epigrammata contracti sunt, & emendatio mea laborque, secundæ meæ curæ, raserunt opus, ac de illo multa limando abstulere.

3. *Plura &c.* Libros superiores Epigrammatum: *Otia dedisti*. Pacem conficiendo.

4. *Hæc*. Libros decimum & undecimum, emendatos & contractos. *Illa*. Superiorum Librorum longiora Epigrammata. Nervam alloquitur, de quo vide Ep. 67. Lib. 8.

Lau-

VI.

Laudes Nervæ.

1. Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
2. Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
3. Recta fides, hilaris Clementia, cauta Potestas
4. Jam redeunt: longi terga dedere Metus.
5. Hoc populi gentesque tuæ, pia Roma, precantur,
6. Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
7. Macte animi, quem rarus habet, morumq; tuorum;
8. Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato,
9. Largiri, præstare, breves extendere census.
10. Et dare quæ faciles vix tribuere Dei,
11. Nunc licet & fas est: sed tu sub principe duro,
12. Temporibusque malis, ausus es esse bonus

Vers. 1. Nerva Romanorum Imperator Domitiano suffectus est pag. 412.

Ausoniæ. pag. 8. 322.

2. Licet nunc libere Musis ac litteris operam dare. *Helicone*, pag. 74.

Cauta potestas. Magistratus sua potentia caute ac sancte utentes.

6. *Dux talis*. Nervæ similis imperator. Diu vivat Nerva, & qui consequentur principes tales sint, qualis ille est.

7. O Nerva macte animi istius tui, quem animum rarus habet, gaude ista tua indole, qua pauci præditi sunt: macte morum tuorum, &c. Vocem hanc: *Macte* explicatam habes pag. 186. Legitur etiam: *Macte animi*: *quem rarus habet*: Ideſt, animi quem habes in paucis. Quidam novum Epigramma ducunt ab hoc versu.

8. *Numa* p. 542. *Cato* 28.

9. *Præstare*. Homines beneficiis demereri, p. 213.

Census extendere. Patrimonium augere. Opes colligere.

10. Et dare aliis munera, quæ vix a superis quantumcumque munificis dantur. Deorum liberalitatem æquare.

11. 12. Nunc licet largiri, præstare, probum esse, &c. sub te tam probo principe. At tu etiam probus fuisti, cum non liceret, cum regnarent omnia vitia, sub Nerone videlicet, aliisque deinceps Imperatoribus.

VII.

Anus Trima.

1. Toto vertice quos gerit capillos

2. Annos si tot habes Lygia, trima est.

Vers. 2. *Trima*. Triennis. Tres tantum capillos habet in capite; est calva. Si plures annos non habeat, infans erit, quæ est anicula.

VIII.

Trajani panegyricus.

1. Terrarum Dea, gentiumque Roma,
2. Cui par est nihil, & nihil secundum,
3. Trajani modo læta cum futuros
4. Tot per sęcula computaret annos,
5. Et fortem, juvenemque, martiumque
6. In tanto duce militem videret,
7. Dixit præside glorioſa tali:
8. Parthorum proceres, ducesque Serum;
9. Thraces, Sauromatę, Getę, Britanni,
10. Possum ostendere Cęsarem: venite.

Vers. 3. *Trajani*. Successit Trajanus Nervæ anno Christi 98.

6. Cum eumdem Trajanum summis ducibus consilio æqualem; militibus infimis robore parem videret.

8. *Serum*. Seres, Indiæ ad ortum populi.

Parthorum. Pag. 126. 266.

9. *Sauromatæ*. Iidem, qui Sarmatæ p. 6. 320. 357. *Getæ*. p. 302. 320. *Britanni*. Quos Anglos nunc vocamus.

IX.

Præfecti similes principi.

1. Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
2. Et placido fruitur pax peregrina jugo.
3. Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
4. Misisti mores in loca nostra tuos.

V. 1. Aul. Cornel. Palma Trajano charissimus, Hispaniæ præfectus fuit.

2. Et pax data remotis exterisque gentibus miti jugo eas continet. Subiecta est imperio Romano Hispania, sed pacem, & imperium Palma clementer exercet.

4. Misisti nobis præfectum, cujus mores tuis moribus ita sunt similes, ut non tam ille quam tu ac mores tui provinciã gubernare videantur.

In

X.

In avarum.

1. Habet Africanus millies, tamen captat:
2. Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

V. 1. *Millies.* Subaudi, centena millia H. S. Libræ sunt Turonicæ 10000000. *Captat.* Hæreditates senum, & orborum: illis inhiat. Hominum cupiditati nihil satis.

XI.

Libri commendatio.

1. Parthenio dic Musa tuo nostroque salutem:
2. Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
3. Cujus Pimplæo lyra clarior exit ab antro?
4. Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?
5. Et, si forte, sed hoc vix est sperare, vacabit:
6. Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga:
7. Quatuor & tantum timidumq; brevemq; libellum
8. Commendet verbis: Hunc tua Roma legit.

V. 1. *Parthenio.* Pag. 201. 2. 3. 4. *Aonio*, p. 151. *Pimplæo*, p. 541. *Pierio.* 350. 5. *Vix est sperare.* Vix sperare licet, nempe ut vacet, otiosus sit, homo negotiis districtus gravissimis. 6. *Duci.* Trajano Imperatori. 7. Dicat hæc verba duntaxat quatuor ad ejus commendationem; Lege hunc librum, o Cæsar, quem Roma omnis legit. Tibi non displiceat, qui tuis omnibus placet.

XII.

Ebrius promissor.

1. Omnia promittis, cum tota nocte bibisti:
2. Mane nihil præstas, Posthume: mane bibe.

V. 2. *Mane bibe.* Ut promissorum sis memor, neque interjectus somnus eorum memoriam deleat.

XIII.

Ira utilis.

1. Genus, Aucte, lucri divites habent iram:

2. Odisse, quam donare, vilius constat.

V. 1. *Genus lucri*. Ne donent, fingunt se amicis iratos esse, ut eorum iram veriti amici desinant flagitare. Vide pag. 157. ubi habes Epigramma huic simile.

XIV.

Venatorem admonet.

1. Parcius utaris, moneo, rapiente veredo,
2. Prisce; nec in lepores tam violentus eas:
3. Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
4. Decidit excussus, nec rediturus, equo.
5. Insidias & campus habet; nec fossa, nec agger,
6. Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
7. Nec deerunt qui tanta tibi spectacula præstent,
8. Invidia fati sed leviore cadant.
9. Si te delectant animosa pericula, Tuscis
10. (Tutior est virtus) insidiemur apris.
11. Quid te frena juvant temeraria? sæpius illis.
12. Prisce, datū est equitē, rumpere, quam leporem.

Vers. 1. *Veredo rapiente*. Equo ad cursum incitatio. Veredi equi dicebantur, qui rhedas, præsertim publicas, trahebant? equi veloces, venatici, &c.

3. *Satisfecit prædæ*. De se ultionem prædæ suæ tribuit; periit cum vellet occidere.

6. *Fallere plana*. P. 254.

7. Erunt alii venatores qui tibi venationis oblectationem, & quasi spectaculum, præbeant, quorum interitus, si quo fatali casu perierint, minus doloris allaturus sit, causam de fatis querendi tam gravem hominibus daturus non sit: quos perire minoris interfit, quam te.

8. *Invidia*. P. 36. 153.

10. *Tutior est &c.* Venantum fortitudo in apris Tusciæ agitandis non tanto periculo est obnoxia, quanto in aliis feris insectandis. Est enim sedatior hæc venatio, & ferme a peditibus fit.

11, 12. Sæpe citius eques periit, quam lepus: frænis male utendo sæpius ruit, ac rumpitur eques, quam lepus.

XV.

Populus dives sub bono principe.

1. Quidquid Parrhasia nitebat aula,
2. Donatum est oculis, Deisque nostris.

3. Mi-

3. Miratur Scythicas virentis auri
4. Flammas Jupiter, & ſtupet ſuperbi
5. Regis delicias, graveſque luxus.
6. Hec ſunt pocula, quæ decent Tonantem,
7. Hæc ſunt, que Phrygium decent miniſtrum.
8. Omnes cum Jove nunc ſumus beati:
9. At nuper (pudet ah! pudet fateri)
10. Omnes cum Jove pauperes eramus.

V. 1. *Parrhaſia*. Imperatoria. Pag. 185. 348.

2. In urbis ac templorum ornamenta collatum eſt.

3. Miratur Jupiter aurum recens, ac nitidum, in ſuis templis. Vocat aurum illud Scythicum, quod Dacis victis Domitianus abſtulerat, & quod in ſua ſcrinia domumque abdiderat. De Scythia Dacis finitima dixi p. 492. De Dacis ipſis p. 42. 101.

Virentis. Quæ ſunt nitida, recentia, læta, vocantur a Latinis virentia. Explicui vocem hanc in Horatio, lib. Epod. Od. 12. Sunt qui *virens aurum* exponant, aurum ornatum gemmis virentibus, quales ſunt ſmaragdi, qui frequentes, & optimæ notæ in Scythia. Vide lib. 14. Ep. 101.

4. Miratur idem Jupiter Domitiani (quem Noſter invidioſe Regem vocat) luxum in aureis poculis, & conviviorum laſcivia: gaudetque pocula magnifica templis addicta, & conſecrata eſſe. Hæc ſcilicet digna ſunt Jove, non Domitiano.

7. *Phrygium miniſtrum*. Ganymedem. Pag. 33.

XVI.

Febris bene curata.

1. Quare tam multis a te, Lentine, diebus
2. Non abeat quereris febris, & uſque gemis,
3. Geſtatur tecum ſella, pariterque lavatur:
4. Cœnat boletos, oſtrea, ſumen; aprum.
5. Ebria Setino ſit ſæpe, & ſæpe Falerno;
6. Nec niſi perniveam Cæcuba potat aquam.
7. Circumfuſa roſis, & nigra recumbit amomo;
8. Dormit & in pluma, purpureoque toro.
9. Cum ſit tam pulchre, cum tam bene vivat apud te,
10. Ad Damam potius vis tua febris eat?

3. 4. *Sellæ*. Lectica. *Boletos*. P. 40. *Sumen* 118.

5. *Setino*. Pag. 216.

6. *Cæcuba*. Vina in Cæcubo,

bo, monte Campaniæ, nata. Ea non bibit nisi post aquam e solutis nivibus factam, in quam Cæcubum refrigeretur.

7. *Nigra*. De libuta unguentis, quibus cum oleum fere admisceatur, color fit pallidus & subniger.

10. *Damam*. Nomen est servi.

XVII.

Otium rusticanum.

1. Dum tu forsitan inquietus erras
2. Clamosa, Juvenalis, in Suburra;
3. Aut collem dominæ teris Dianæ:
4. Dum per limina te potentiorum
5. Sudatrix toga ventilat, vagumque
6. Major Cælius, & minor fatigant:
7. Me multos repetita post Decembres,
8. Accepit mea rusticumque fecit
9. Auro Bilbilis, & superba ferro.
10. Hic pigri colimus labore dulci
11. Botrodum Plateamque (Celtiberis
12. Hæc sunt nomina crassiora terris)
13. Ingenti fruor, improboque somno,
14. Quem nec tertia sæpe rumpit hora:
15. Et totum mihi nunc repono, quicquid
16. Ter denos vigilaveram per annos,
17. Ignota est toga, sed datur petenti
18. Rupta proxima vestis a cathedra.
19. Surgentem focus excepit; superba
20. Vicini: strue cultus iliceti,
21. Multa villica quem coronat olla.
22. Dispensat pueris, rogatque longos
23. Levis ponere villicus capillos.
24. Sic me vivere, sic juvat perire.

Vers. 2. *Juvenalis*. Poeta satyricus, satis notus.

Inquietus. Urbanus negotiis districtus, & anxius.

Suburra. Vicus Romæ, pag. 110. 246.

3. *Collem Dianæ*. Montem Aventinum, ubi templum Dianæ. Pag. 307.

4. 5. Dum togatus circumcursas, ad salutandos divites.

6. *Cælius*. Unus e septem Romæ montibus, in duos quasi divisus, quorum major olim dictus est Querquetula-

tulanus, postea Cælius; minor vero, Cæliolus, p. 214.

9. *Bilbilis*. pag. 54.

11. *Botrodum*, p. 53. *Plateam*, 208. *Celliberis* 54.

Crassiora. Duriora ad pronunciandum.

13. *Improbo*. Alto, nimio.

14. *Tertia*. Post ortum solis.

15. *Repono*. Somnum, quo me per annos triginta defraudaveram, reddo mihi & remetior.

17. *Toga*. Romanorum vestis honestior, quam sumebant mane clientes, patronos salutaturi & urbem obituri. Ea, inquit, non utor.

19. *Superba*. Ampla, in altum extructa.

20. *Strue*. Acervo. *Cultus*. Ornatus, nutritus. *Iliceti*. Sylvæ ilicibus consitæ.

21. Circa quem villicæ ollas multas in orbem componit.

22. *Dispensat*. Villicus dapes ex iitis ollis dispensat servis ac distribuit: rogatque me dominum villæ, ut per me pueris suis liceat ponere capillos, quibus depositis censeantur egregii pueritiam, & operi laborique idonei. *Lævis* tonsus. Pueri solebant alere capillos: quos viri præsertim rustici tondebant.

XVIII.

In cœnipetam.

1. In thermis sumis lactucas, ova, lacertum,
2. Et cœnare foris se negat Æmilius.

Vers. 2. Æmilius jactabat se numquam cœnare foris, cœnipetam se negabat esse: affirmat Martialis; quia in thermis oblatas a ditioribus, quibuscum lavaret, dapes tot comedebat, quot sufficerent ad cœnam. Erat autem in more positum, ut inter lavandum sumerent aliquid cibi, & iis, qui lavarent una, impertirentur. Lacertus pisciculi nomen est, pag. 356.

XIX.

Laus Marcellæ.

1. Municipem rigidi qui te, Marcella, Salonis,
2. Et genitam nostris quis putet esse locis?
3. Tam rarum, tam dulce sapis. Pallatia dicent,
4. Audierint si te vel semel, esse suam.
5. Nulla nec in media certabit nata Suburra,
6. Nec Capitolini collis alumna tibi.
7. Nec citò ridebit peregrini gloria partus,

8. Romanam deceat quam magis esse nurum.
9. Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis
10. Esse jubes: Romam tu mihi sola facis.

Vers. 1. *Marcella*. Erat Martialis uxor, eadem Bilbilitana. *Municipem*. Pag. 216.

Rigidi. Quia ejus aqua frigidior est, ac tingendo ferro, indurandoque apta. P. 54. *Nostris*. Hispanis.

3. 4. *Palatia*. Roma: aula Principis. *Suam*. Romæ natam.

5. 6. *Suburra*. Vicus Rom. p. 110. 246. *Certabit*. Laude sapientiæ, & eloquentiæ. *Capitolini collis*. P. 237. 355.

7. 8. *Nec cito &c.* Non facile, *gloria partus peregrini*, hoc est, femina ulla peregre, sive extra Romam, nata, etiam nobilissima & illustrissima, *ridebit*, nascetur, nata parentibus arridebit; quam magis esse deceat Romanam nurum, ideſt, matronam, Romani viri uxorem. Non facile peregrina mulier invenietur, quæ tam mereatur dici Romana, quam tu.

Ridebit. Putabant hoc felix omen, si pueri recens nati parentibus arriderent: si contra, infelix. Virgil. Ecloga 4. versu 58.

XX.

Deformitas interdum decens.

1. Quam sit lusca Philænis indecenter,
2. Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
3. Esset cæca decentior Philænis.

XXI.

Empta pulchritudo.

1. Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis:
2. Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

Vers. 2. *Non emitur*. Atqui vitrei, & crystallini oculi fiunt? Sed illi uti nemo ac videre potest: capillis uti potest, ac dentibus, tanquam genuinis, ac veris.

XXII.

Rheda.

1. O jucunda, covine, solitudo,
2. Carruca magis essedoque gratum.

3. Fa-

3. Facundi mihi munus Æliani;
4. Hic, mecum licet hic, Juvence, quicquid
5. In buccam tibi venerit, loquaris.
6. Non rector Libyci niger caballi,
7. Succinctus neque curſor antecedit:
8. Nuſquam mulio: mannuli tacebunt:
9. O ſi conſcius eſſet hic Avitus!
10. Aurem non ego tertiam timerem.
11. Totus quam bene ſic dies abiret!

V.1. Covine. Covinus eſt vehiculum quoddam cameratum, & tectum, quod is ipſe qui vehitur agitat. Quam jucundam, inquit, præbes mihi ſolitudinem, dum ſolus in te vehor!

2. Carruca eſt currus duabus rotis inſtructus.

Eſſedo. Eſſedum eſt major currus, olim Gallis uſitatus. P.92.

4.5.6. Poteris libere mecum in covino confabulari, quia nullus eſt auriga, nulli circa currum equites, qui ſublegere ſermones noſtros poſſint, ac nos reos facere, ſi quid liberius proloquamur. *Vector.* Significat eum quo vehitur equo, vel navi. Circa & ante lecticas curruſve nobilium obequitabant ſæpe honoris cauſa equites maxime Afri, & Mauri; quorum color fuſcus pag.482.

7. *Succinctus curſor.* Expeditus, & velox. P.100.

8. *Mulio.* Videtur hic aurigam ſignificare: mulas enim ſæpe curribus jungebant. *Mannuli.* Equi ſunt pumili. *Tacebunt.* Nos minime accuſabunt.

9. *&c.* Utinam hic adeſſet nobiſcum Avitus, noſtrorum ſermonum, & arcanorum conſcius particepſque! non ego illum tertium timerem, neque aurem illius reformidarem: quamvis arcanum ægre vel inter duos tutum ſit: ægrius autem, ſi tertius accedat conſcius.

XXIII.

In avarum amicum.

1. Cum rogo te nummos ſine pignore; non habeo: inquis:
2. Idem, ſi pro me ſpondet agellus, habes.
3. Quod mihi non credis veteri, Theleſine, ſodali,
4. Credis colliculis, arboribuſque meis.
5. Ecce, reum Carus te detulit; adſit agellus:
6. Exilii comitem quæris? agellus eat.

V. 1. *Sine pignore*. Pignus eſt res aliqua, v.g. fundus veſtis, domus &c. qua cavetur creditori; quam creditor tamdiu habere ſolet, dum delitor æs alienum diſſolvat.

2. Tu idem habes nummos, reperies pecuniam quam mihi des mutuam, ſi agellus meus a me tibi offertur, qui veluti ſpondeat, promittat me ſoluturum: ſi tibi do illum pro pignore.

5. *Carus*. Delator, & acculator civium famoſus, & Domitiano charus.

XXIV.

Ejuſdem laboris diſpar merces.

1. Sexaginta teras cum limina mane ſenator;
2. Eſſe tibi videor deſidioſus eques,
3. Quod non a prima diſcurram luce per urbem,
4. Et referam laſſus baſia mille domum.
5. Sed tu purpureis ut des nova nomina faſtis,
6. Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas:
7. At mihi, quem cogis medios abrumpere ſomnos,
8. Et matutinum ferre patique lutum,
9. Quid petitur? rupta cum pes vagus exit aluta,
10. Et ſubitus craſſæ decidit imber aquæ;
11. Nec venit ablatis clamatus verna lacernis:
12. Accedit gelidam ſervus ad auriculam,
13. Et, rogat ut cœnes ſecum Lætorius, inquit.
14. Viginti nummis non ego malo famem?
15. Quod ſit cœna mihi, tibi ſit provincia merces;
16. Et faciamus idem, nec mereamur idem.

Verſ. 1. 2. Cum tu, o Lætori, ampliſſime ſenator, ſalutandi cauſa non dubites adire mane ſexaginta domos, arguis me quaſi pigrum, quod idem non faciam, quippe qui ſim tantum eques, inferioris videlicet ordinis, ac dignitatis, cui proinde iſte ſalutandi officioſus labor magis convenire videatur.

4. *Baſia*. Oſcula. Inter ſalutandum oſculabantur.

5. At tu ſumis hunc laborem ſalutandi, ut conſulatum adipiſcaris. *Faſtis*. Pag. 371. *Purpureis*. Vel quia ornabantur minio; vel, quia purpura eſt magiſtratuum proprius color. P. 376.

6. Aut ut petas Numidiam (pag. 460.) vel Cappadociam (p. 437.) nempe proconſul, vel proprætor. Poſt geſtum in urbe conſulatum, vel prætoram, proficiſcebantur in provincias, ut eas adminiſtrarent.

7. *&c.* At, quid a me ſperatur,

ratur, cum te mane abrupto ſomno ſalutaturus propero lutoſa via?

9. *Aluta*. Calcei pelle p.114.

11. Non adeſt ſervus, quem inclamem, ut reponat mihi lacernam, quam abſtulerit. Divites dabant lacernas ſervandas vernulis, aut eas ipſi ſervi detrahebant ex humeris dominorum, & illas imbre ingruente repónebant.

12. 13. Venit tantum ſervus tuus, & me imbre ac frigore horrentem, clam ſic alloquitur: Lætorius, tuus patronus, vocat te ad cœnam. Ad hunc Lætorium hoc epigramma ſcriptum eſt.

14. Nonne merito antepono iſti cœnæ tuæ meam domi cœnulam, quam appellare jejunium aut famem poſſum? quæ conſtabit mihi tantum 20. nummis ſeſtertiis? Sunt duæ libræ Turonenſes, ut vocamus.

15. *Quod ſit &c.* Idcirco ego malo domi meæ eſurire, quia dolet mihi, cum video meorum laborum præmium eſſe hanc, ad quam me vocas, cœnam; tuorum vero provinciam. Poſtremos verſus iſtos ita legit, interpungitque doctiſſimus Scriverius. *Viginti nummis? non ego: malo famem, quam ſit cœna mihi, tibi ſit provinciæ merces.* Vocat te (inquit ſervus Lætorii) dominus meus, ut cum eo cœnes, ut cohoneſtes ejus cœnam præſentia tua. Quo pretio, qua mercede? viginti nummis, inquit ſervus: Ain tu viginti nummis? reſpondet Martialis: atqui ego hac mercede non ibo, & malo domi eſurire quã cœna tua, & nummis frui, o Lætori, interimque hoc dolore affici, ut te provincia tota donandum videam, ab aliquo divite, quem iiſdem colis officiis, quibus ego te obſervo. Diximus prioribus libris, ſolitos ſæpe clientes invitari certo pretio ad cœnam divitum præſentia ſua cohoneſtandam. Pag.145.

XXV.

In duos potores.

1. Poto ego ſextantes, tu potas, Cinna, deunces:
2. Et quereris quod non, Cinna, bibamus idem.

Verſ. 1. *Sextantes, Deunces*. Pag.47.

2. Immerito quereris, quod ego non idem vinum ac tu; ſed generoſius porem, cum ego perperam bibam, tu permultum. Extat epig. perſimile Lib.1. p.43.

XXVI.

Fur mapparum.

1. Hermogenes tantus mapparum, Pontice, fur eſt,

2. Quan-

2. Quantus nummorum vix puto Maſſa fuit.
3. Tu licet obſerves dextram, teneaſq; ſiniſtram,
4. Inveniet mappam qua ratione trahat.
5. Cervinus gelidum ſorbet ſic halitus anguem,
6. Caſuras alte ſic rapit Iris aquas.
7. Nuper cum Myrino peteretur miſſio læſo,
8. Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
9. Cretatam prætor cum vellet mittere mappam,
10. Prætori mappam ſurpuit Hermogenes.
11. Attulerat mappam nemo, dum furta timetur,
12. Mantile e menſa ſurpuit Hermogenes.
13. Hęc quoque ſi deerit; medios diſcingere lectos,
14. Menſarumque pedes, non timet Hermogenes.
15. Quamvis non modico caleant ſpectacula ſole,
16. Vela reducuntur, cum venit Hermogenes.
17. Feſtinant trepidi ſubſtringere carbaſa nautæ,
18. Ad portum quoties paruit Hermogenes.
19. Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba,
20. Inter adorantes cum ſtetit Hermogenes:
21. Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit unquam,
22. A cœna ſemper rettulit Hermogenes.

Verſ. 2. *Maſſa*. Bæbius Maſſa Bæticam, Hiſpaniæ provinciam, cui adminiſtrandæ præerat, ſpoliavit. Eum accuſavit Plinius junior, ut ipſe teſtatur ultima epiſtola libri VII.

6. Ita cervus halitu ſuo ſerpentes attrahit. Dicitur cervus paſci anguibus, & hac eſca ſenium curare: illorum latibulis applicat nares, & ſpiritum vehementiorem emittendo, coſdem, reluctantes licet, ad ſe attrahit, devoratque.

6. Sic Iris haurit e fluminibus aquas, & in altum educit, quæ deinde in imbres ſolvantur ac decidant. Arcus cœleſtis tum apparet, cum humor e terra elatus coit in nubem roſcidam, quæ radios adverſos Orientis, aut Occidentis ſolis excipit, ac refractos oculis intuentium objicit.

7. 8. Nuper cum Myrinus gladiator a ſuo adverſario vulneratus eſſet, ac vitam ipſi, miſſionemque populus poſceret: (vide p. 16. 24.) eam occaſionem Hermogenes captans, mappas ſubduxit. Populus, dum ludos expectaret, potitando ducebat horas, ut fit.

9. Cum vellet *prætor*, projecta mappa candida, ſignum ludis circenſibus inchoandis dare, hanc ipſi furripuit Hermogenes. Nero cum aliquando pranderet, flagitaretque populus, ut inchoa-

choarentur ludi, projecit e feneſtra mappam, quod deinde ſignum eſt uſurpatum, ut initium daretur ludis. Prætor ſæpe ludos edebat ipſe, alias ipſis præerat, ac omnia componebat. De Prætoribus dictum jam p. 218.

12. *Mantile*. Linteum tergendis manibus idoneum. Illud ab eo, qui convivas accipiebat, præbebatur, & menſæ inſternebatur: mappam vero ſuam quiſque afferebat, eaque veſtes & pectus maxime, ne jure aut condimentis inquinaretur, protegebat, manus vero, cum eſſet opus, tergebat mantili, quod e menſa ipſa pendebat. In aliquo igitur convivio, in quo nemo ſuam mappam, furti metu, attulerat, ac ſola erant mantilia, ea ſurripuit Hermogenes.

13. 14. Quod ſi defuerit mantile, nudat lectos ſtragulis, & toralibus, ac vincula, quibus culcitæ alligantur, ſolvit: imo detrahit purpureos pannos, argenti bracteas, &c. quibus ornantur lectulorum pedes.

15. 16. Quamvis, dum eduntur ſpectacula, ſol caliditſimus ingruat, vela tamen, in theatro ad ſolem arcendum poſita, colliguntur, ne ſurripiantur ab Hermogene.

17. *Subſtringere*. Colligere; colligare ad antennas.

19. *Paruit*. Apparuit, conſpectus eſt.

19. Sacerdotes calvi Iſidis (pag. 108.) qui linea capitis involucra, & veſtes e lino gerunt, fugiunt, cum vident Hermogenem ſubire templa, veriti ne quid ipſis ſurripiat. *Siſtrata*. Gerens ſiſtra, quæ ſunt quædam ex ære vel argento crepitacula.

XXVII.

Amicus nimium ſiccus.

1. Siccus, ſobrius eſt Aper: quid ad me:
2. Servum ſic ego laudo, non amicum.

Aper Martialem convivio admodum frugali exceperat; arguit intempeſtivam illius frugalitatem, negatque ſiccum, & ſobrium tunc eſſe amicum oportere: eſſe has ſervi boni dotes, non convivæ amici.

XXVIII.

De hortis Marcellæ.

1. Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis umbra ſupini
2. Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ,
3. Prataque, nec bifero ceſſura roſaria Pæſto,
4. Quodque viret Jani menſe, nec alget, olus.
5. Quæq; natat clauſis anguilla domeſtica lymphis,

6. Quæ-

6. Quæque gerit ſimiles candida turris aves ;
7. Munera ſunt dominæ : poſt ſeptima luſtra reverſo
8. Has Marcella domos, parvaque regna dedit.
9. Si mihi Nauſicae patrios concederet hortos,
10. Alcinoo poſſem dicere, malo meos.

Verſ. 1. *Textilis umbra palmitis*. Facta e ramis vitis intertextis. *Supini*. In pergula quaſi cubantis.

2. *Ductile flumen*. Scatebra e fonte vicino vel amne ducta.

3. *Pæſto*. Pag. 210. *Bifero*. Bis per annum roſas ferente.

4. *Jani menſe*. Pag. 371. 376. *Nec alget*. Vel quia hyems tepida eſt in Hiſpania : vel quia vitreis ſpecularibus protegebatur.

5. *Clauſis lymphis*. In vivario aut piſcina.

6. *Similes*. Candidas. Columbæ amant tecta nitida & alba.

7. *Dominæ*. Uxoris meæ. *Reverſo*. In Hiſpaniam poſt annos 35. *Luſtra*, pag. 87. 178.

9. *Nauſicae*. Alcinoi filia. *Patrius*. Patris ſui Alcinoi, de quo plura leges pag. 215. 341.

XXIX.

Mendici familia, & ſuppellex.

1. O Juliarum dedecus Kalendarum,
2. Vidi, Vacerra, ſarcinas tuas, vidi :
3. Quas non retentas penſione pro bima
4. Portabat uxor rufa crinibus ſeptem,
5. Et cum ſorore cana mater ingenti.
6. Furias putavi nocte Ditis emerſas.
7. Has tu priores frigore, & fame ſiccus,
8. Et non recenti pallidus magis buxo.
9. Irus tuorum temporum ſequebaris.
10. Migrare clivum crederes Aricinum.
11. Ibat tripes grabatus, & bipes menſa,
12. Et cum lucerna, corneoque cratere,
13. Matella curto rupta latere mejebat.
14. Focum ferenti ſuberat amphoræ cervix.
15. Fuiſſe gerres, aut inutiles mænas
16. Odor impudicus urcei fatebatur.
17. Qualem marinæ miſit aura piſcinæ.
18. Nec quadra deerat caſei Toloſatis,
19. Quadrima nigri nec corona pulei,
20. Calvæque reſtes allioque cepiſque :

21. Nec

21. Nec plena turpi matris olla resina.
22. Quid quæris ædes, villicosque derides,
23. Habitare gratis, o Vacerra, cum possis?
24. Hæc sarcinarum pompa convenit ponti.

Vers. 1. *Juliarum*. Qui ex una domo commigrabant in aliam, id vulgo Kalendis Juliis faciebant.

2. *Sarcinas*. Supellectilem quam e priori domo transferebas in aliam.

3. Quas sarcinas tuas ædium dominus noluerat retinere, licet bimam, ideſt, biennem, domus a te conductæ pensionem ipſi non solvisses: adeo viles, detritæ, nullius pretii, erant.

4. *Crinibus septem*. Habes tantum septem crines: tota calva.

7. *Priores*. Antecedentes.

8. *Non recenti*. Arida & flava.

9. *Irus*, pag. 260. 311.

10. Si quis familiam tuam hac incedentem pompa vidisset, merito putasset mendicos omnes ex Aricino colle, in alium locum demigrare. *Aricinum*, pag. 151. 299.

11. *Grabatus*. Vilis lectulus.

Tripes. Quatuor vulgo pedes lectorum & fulcra sunt; mensarum saltem tria: hic omnia manca & mutila.

13. *Mejebat*. Urinæ in ea contentæ partem effundebat.

14. Tua cervix suberat, suppositæ erat, amphoræ, testæ alicui focum continenti. Impositam cervici gerebas amphoram, in qua erat foculus, sive prunæ ad cibos coquendos, aut calefaciendos.

15. 16. 17. Odor fœtidus urcei alicujus, quem gerebas, qui odor similis erat auræ, quam exhalat marina piscina, indicabat gerres (locustarum est genus,) aut mænas (sunt viles pisciculi) fuisse in eo urceo.

19. Visebatur etiam fasciculus pulei in orbem & coronam collecti; sed nigri vetustate, quia jam erat quadrimum, seu lectum ab annis quatuor. *Pulei*. Pulejum, sive pulegium, est herba odoris gravioris, qua utuntur plurimum rustici ad olera condienda.

20. Et restes, seu funes glabri, attriti, & veluti calvi, pleni alliis & cepis.

21. Et olla non plena turpi resina, qua tua mater utitur loco cerussæ.

22. Quid ædes novas quæris, & eos decipis, qui eas tibi locant? Villicos hic appellat, qui conclavia & cœnacula elocant, mercedesque pro iis exigunt; quæ cura servis quibusdam urbanis mandabatur.

23. *Gratis*. In proseucha nempe, vel crepidine pontis. Non eges domo ad servandam istam miseram supellectilem: totam in aliquo ponte, aut vici angulo commode collocabis.

24. *Ponti*. Mendici fere in pontibus restitant, ob commeantium multitudinem.

Ni-

XXX.

Nimia familiaritas.

1. Triginta mihi quatuorque meſſes
2. Tecum, ſi memini, fuere, Juli;
3. Quarum dulcia miſta ſunt amaris:
4. Sed jucunda tamen fuere plura.
5. Et ſi calculus omnis huc, & illuc
6. Diverſus bicolorque digeratur;
7. Vincet candida turba nigriorem.
8. Si vitare velis acerba quædam.
9. Et triſtes animi cavere morſus,
10. Nulli te facias nimis ſodalem:
11. Gaudebis minus, & minus dolebis.

Verſ. 2. *Juli*. Eſt ille Julius Martialis, de quo ſæpe alibi.
5. *Calculus*. Vide pag. 388.
Bicolor. Ater & candidus.
10. *Sodalem*. Familiarem, amicum.

XXXI.

Hortatur ad liberalitatem.

1. Libras quatuor aut duas amico,
2. Algentemque togam, brevemque lænam
3. Interdum aureolos manu crepantes,
4. Poſſint ducere qui duas Kalendas,
5. Quod nemo, niſi tu, Labulle, donas:
6. Non es, crede mihi, bonus; quid ergo?
7. Ut verum loquar, optimus malorum:
8. Piſones, Senecaſque, Memmioſque.
9. Et Criſpos mihi redde, ſed priores:
10. Fies protinus ultimus bonorum.
11. Vis curſu, pedibuſque gloriari?
12. Tigrim vince, levemque Paſſerinum:
13. Nulla eſt gloria præterire aſellos.

Verſ. 1. *Libras*. Argenti Pag. 133. 244.
2. *Lænam*. Veſtis erat villoſa, quæ ceteris veſtibus injiciebatur.
3. *Aureolos*. Pag. 244. v. 14.
4. Qui ſufficere poſſint ad ducendos, tranſigendos menſes binos. Unde victus in duos menſes parari poſſit.
8. *Pi-*

8. *Piſones*. Viros inſigni & nota liberalitate. *Senecas*, pag. 68.

Criſpos. Pag. 206.

9. *Sed priores*. Non eos qui modo vivunt, Criſpos & Memmios, ſed eorum avos, & majores.

12. *Tigrim, Paſſerinum*. Viros velocitate præſtantes, pagina 522. vel equos potius, nam in hoc loco cum aſellis comparantur, & in aliquot vetuſtis inſcriptionibus mentio fit de equo Paſſerino.

XXXII.

Inepte ſalſus.

1. Naſutus nimium cupis videri
2. Naſutum volo, nolo polypoſum.

Verſ. 1. *Naſutus*. Argutus: acer, & emunctæ naris criticus.

2. Laudo hominem, qui naſum habeat, ſed juſtæ magnitudinis, non nimiæ, ut iis eſt qui laborant polypo, qui dicax ſalſuſque ſit, at in loco, & urbane; non ruſtice, ac proterve, ut tu. Polypus, morbus eſt naſi, caruncula quædam oſſi narium inhærens, & fibras radiceſque diffundens modo verſus labra, extra ipſas nares, modo intra, per id foramen, quo ſpiritus a naribus ad fauces permeat. Præcluſo ſpiritu ſæpe hominem ſuffocat. Sic appellatur a ſimilitudine polypi piſcis, e cancrorum genere, qui multis fibris, & pedunculis adhæret cautibus.

XXXIII.

Putide bellus.

1. Odi te, quia bellus es, Sabelle:
2. Res eſt putida bellus, & Sabellus:
3. Bellum denique malo, quam Sabellum.
4. Tabeſcas utinam, Sabelle belle!

V. 2. *Putida*. Inepta, faſtidioſa, ingrata. Sententia eſt: non bene iſta duo inter ſe conveniunt, bellus, & Sabellus. Tu enim bellus non es, niſi nomine ipſo.

3. Malo rem teterrimam & immaniſſimam, quale eſt bellum, quam te.

4. *Tabeſcas*. Male pereas, &c. De voce *bellus*. Vide plura p. 34. 171.

XXXIV.

Adulator.

1. Mentiris, credo; recitas mala carmina, laudo,

2. Can-

2. Cantas, canto: bibis, Pompiliane, bibo.
3. Nil tamen omnino præstas mihi: mortuus, inquis,
4. Accipiam bene te: nil volo, sed morere.

Vers. 1. *Credo*. Tibi, quasi verum diceres.
3. *Præstas*. Largiris, donas.
4. *Accipiam bene te*. Scribam te v. g. hæredem meum. locupletabo te. *Nil volo*. Nolo mihi des quidquam modo, respuo tua munera: mortem tuam & precor, & expecto, quam ipse confiteris adeo mihi fore quæstuosam.

XXXV.

Vitiorum ostentator.

1. Non est, Tucca, satis, quod es gulosus:
2. Et dici cupis, & cupis videri.

XXXVI.

Fratrum eruditorum concordia.

1. Unice, cognato junctum mihi sanguine nomen;
2. Quinque geris studiis corda propinqua meis:
3. Carmina cum facias soli cedentia fratri,
4. Pectore non minor es, sed pietate prior.
5. Lesbia cum lepido te posset amare Catullo,
6. Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
7. Nec deerant Zephyri, si te dare vela juvaret:
8. Sed tu littus amas, hoc quoque fratris habes.

Vers. 1. O Unice (nomen est viri,) quem cognatione, & affinitate attingo.
2. Qui eodem, quo teneor, poseos ac litterarum studio teneris.
4. *Pectore*. Ingenio, sapientia. *Pietate*. Qua fratri cedis ultro.
5. *Lesbia*. Erudita mulier & Catulli amica, ut Corinna Ovidii. Pag. 237.
7. Habes ventos faventes, quibus indulgere si velles, longius provehereris. Posses heroica scribere carmina, & in eo genere excellere, non deest tibi spiritus poeticus, ingenium, &c.
8. *Amas littus*. Intra elegiam te contines, parcis ingenio & viribus. In eo te fratrem vere esse, fraterno animo præditum, declaras.

XXXVII.

Caput calceatum.

1. Hædina tibi pelle contegenti

2. Nu-

2. Nudæ tempora verticemque calvæ
3. Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
4. Qui dixit caput esse calceatum.

Vers. 1. *Pelle*. Solebant calvi, aut senes tegere calvitiem, aut canos hædina pellicula, cui aliquot pilos appendebant: eadem pellis hædina, sive agnina, sæpe ad faciendos calceos adhibebatur. Inde calceatum istius Phœbi caput vocat.

XXXVIII.

Sani poetæ.

1. Vendunt carmina Gallus & Lupercus.
2. Sanos, Classice, nunc nega poetas.

Vers. 1. *Gallus, & Lupercus*. Poetæ non mali, qui tragœdias v. g. a se scriptas vendebant actoribus fabularum.

2. Certe sapiunt qui sua vendant carmina, quæ nisi venderent, nihil ex illis lucri, nihil famæ acciperent. Nonnulli volunt Gallum hunc, & Lupercum fuisse poetas pessimos, qui sani dicantur, quia scirent mala carmina vendere.

XXXIX.

Hostis amicus.

1. Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
2. Nec tecum possum vivere, nec sine te.

XL.

Cœna quæ reddi possit.

1. Boletos & aprum si tanquam vilia ponis,
2. Et non esse putas hæc mea vota: volo.
3. Si fortunatum fieri me credis, & hæres
4. Vis scribi propter quinque Lucrina: vale.
5. Lauta tamen cœna est: fateor, lautissima: sed cras
6. Nil erit; imo hodie, protinus imo nihil;
7. Mullorum, leporumque, & suminis exitus hic est,
8. Sulfureusque color, carnificesque pedes.
9. Non Albana mihi sit comessatio tanti,
10. Nec Capitolinæ pontificumque dapes.
11. Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum

12. Et

12. Et Vaticani perfida vappa cadi.
13. Convivas alios cœnarum quære magister,
14. Quos capiant mensæ regna superba tuæ:
15. Me meus ad subitas invitet amicus ofellas;
16. Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

Vers. 1. 2. Si mihi apud te cœnanti, apponis boletos (sunt fungi exquisiti saporis) & aprum, tanquam usitatos cibos, & viles, hoc est non compensandos aliquo pretioso munere: si eos putas mea vota non esse, a me non optari, volo cœnare apud te: non recuso tuam cœnam.

3. 4. Sin me istis obsoniis beatum fieri putas, si captas meam hæreditatem, eamque vis emere ostreis quinque captis in lacu Lucrino (pag. 68.) vale, habe tuam tibi cœnam; non venio.

6. *Protinus*. Ante istam diem elapsam, quid mihi de tua cœna supererit?

7. *Mullorum, fuminis*, pagina 118.

8. *Color &c.* Pallor vultus e stomachi cruditate natus, & pedes podagra vincti: qui crudeli carnificina hominem excruciant.

9. Nolo emere tanto pretio, tot doloribus, delicias vel imperatoriæ cœnæ.

Albana. Pagina 177. *Comessatio*. Est compotatio: convivium paulo intemperantius.

10. *Capitolinæ &c.* p. 206. 237. 355. In templis sæpe celebrabantur epulæ, verbi causa ob diem festum, triumphum, supplicationem. Tunc in lectis statuæ Deorum, quasi essent epulaturi, ponebantur, & dapes Diis appositæ a sacerdotibus consumebantur. Erant autem exquisita hæc fercula, similiter atque illa quibus pontifices vescebantur.

11. Si Deus ipse, si Jupiter suum nectar pro summo beneficio mihi imputaret, sorderet mihi nectar, & loco aceti, aut vappæ apud me esset. Vappa est vinum fugiens. Vaticanum vinum pessimum erat, p. 317.

13. *Magister cœnarum*. Ita vocabatur aliquis e convivis, qui toti convivio quasi præerat, isque vulgo talorum jactu eligebatur. Dicebatur etiam rex convivii, cœnæ pater, &c.

15. *Ofellas*. Sunt minutæ, & vulgo assatæ ciborum particulæ, puta, costæ agninæ, pulpæ porcinæ, &c.

XLI.

Domus lauta, & incommoda.

1. Daphnonas, platanonas, & aerias cypariſſos,
2. Et non unius balnea solus habes:
3. Et tibi centenis stat porticus alta columnis;

4. Cul-

4. Calcatuſque tuo ſub pede lucet onyx:
5. Pulvereumq; fugax hippodromon ungula plaudit,
6. Et pereuntis aquæ fluctus ubique ſonat.
7. Atria longa patent: ſed nec cœnantibus uſquam,
8. Nec ſomno locus eſt: quam bene non habitas:

Verſ. 1. *Daphnonas*. Laureta: Δαφνῶνας. *Platanonas*. Arva platanis conſita.

5. *Hippodromon*. Locus eſt, ubi equi exercentur. Ἱππόδρομος: ab ἵππος, equus; & δρόμος, curſus. *Plaudit*. Ferit quaſi numeroſe.

6. *Pereuntis*. Salientis ex alio labro in aliud decurrentis, &c.

XLII.

Homo bonus.

1. Tam ſæpe noſtrum decipi Fabullinum?
2. Miraris, Aule? ſemper homo bonus, tiro eſt.

Verſ. 2. *Tiro eſt*. Simplex, opportunus fraudi. Nunquam eſt veterator, & emeritus in arte fallendi.

XLIII.

Epitaphium.

1. Tempora Pieria ſolitus redimire corona,
2. Nec minus attonitis vox celebrata reis,
3. Hic ſitus eſt, hic ille tuus, Sempronia, Rufus:
4. Cujus & ipſe tui flagrat amore cinis.
5. Dulcis in Elyſio narraris fabula campo,
6. Et ſtupet ad raptus Tyndaris ipſa tuos.
7. Tu melior, quæ deſerto raptore rediſti:
8. Illa virum voluit nec repetita ſequi.
9. Accipient olim cum te loca læta piorum,
10. Non erit in Stygia notior umbra domo.
11. Non aliena videt ſed amat Proſerpina raptas:
12. Iſte tibi dominam conciliabit amor.

Verſ. 1. 2. Poeta bonus, idemque cauſidicus egregius. *Pieria*, pag. 350.

5. *Elyſio*. Pag. 302.

6. Sempronia Rufi uxor, ab alio rapta, deſerto raptore, ad virum ultro redierat. Tyndaris igitur, id

est, Helena Tyndari filia, | quæ raptorem Paridem non deseruit, miratur te, relicto raptore, ad virum rediisse.

8. *Repetita*. A Græcis flagitata, bello decennali.

11. *Aliena*. Infensa. *Raptas*. Quia ipsa quoque rapta fuit a Plutone.

12. *Iste amor*. Tuus amor in virum, & fides. *Dominam*. Proserpinam, uxorem Plutonis, Orci reginam.

XLIV.

Sordide illiberalis.

1. Nummi cum tibi sint, opesque tantæ,
2. Quantas civis habet, paterve rarus:
3. Largiris nihil, incubasque gazæ,
4. Ut magnus draco, quem canunt poetæ
5. Custodem Scythici fuisse luci.
6. Sed causa, ut memoras, & ipse jactas,
7. Diræ filius est rapacitatis.
8. Ut quid tu fatuos, rudesque quæris,
9. Illudas quibus, auferasque mentem?
10. Huic semper vitio pater fuisti.

Vers. 4. *Draco*. Qui vellus aureum custodiebat. Ovid. 7. Metamorph.

5. *Scythici*. Quia Colchis, ubi Æeta Medeæ pater regnabat, Scythiæ accensetur. P. 24. Vel, quia Mars, cui lucus hic sacer, Scythis erat amicus.

6. Causam hanc affers tuæ parsimoniæ, quod habeas filium decoctorem, & rapacem, qui omnia tibi rapiat, & abliguriat.

8. 9. An putas nos adeo esse fatuos, quibus hoc persuadeas?

10. Non tibi filius causa est, cur sis parcus, sed tu illi potius. Nam hujus artis magister idoneus, ac veluti pater semper fuisti.

XLV.

In deformem.

1. Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus;
2. Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

XLVI.

In avarum sæpius ægrotantem.

1. Ægrotas uno decies aut sæpius anno;

2. Nec

2. Nec tibi, sed nobis hoc, Policarme, nocet.
3. Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.
4. Sit pudor: ægrota jam, Polycarme, semel.

V. 1. *Surgis*. Convalescis letudinem fiunt: τὰ σωτήρια.
3. *Soteria*. Sic vocantur munera, quæ mittuntur amici morbo relevatis: sacrificia, vota, carmina, &c. quæ ob restitutam va-
4. *Semel*. Hoc est: more: ita ægrota, ut non recreeris. Extat epigramma simile lib. 5. pag. 260.

XLVII.

Villa cur poeta amica.

1. Cur sæpe sicci parva rura Nomenti,
2. Laremque villæ sordidum petam, quæris?
3. Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
4. In urbe locus est pauperi: negant vitam
5. Ludimagistri mane, nocte pistores;
6. Ærariorum marculi die toto:
7. Hinc otiosus sordidam quatit mensam
8. Neroniana nummularius massa;
9. Illinc paludis malleator Hispanæ
10. Tritum nitenti fuste verberat saxum.
11. Nec turba cessat entheata Bellonæ;
12. Nec fasciato naufragus loquax trunco:
13. A matre doctus nec rogare Judæus;
14. Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
15. Numerare pigri damna qui potest somni,
16. Dicet quot æra verberent manus urbis,
17. Cum secta Colcho Luna vapulat rhombo.
18. Tu, Sparse, nescis ista; nec potes scire,
19. Petilianis delicatus in regnis,
20. Cui plana summos despicit domus montes,
21. Et rus in urbe est, vinitorque Romanus:
22. Nec in Falerno colle major autumnus,
23. Intraque limen latus essedo cursus;
24. Et in profundo somnus, & quies nullis
25. Offensa linguis; nec dies, nisi admissus,
26. Nos transeuntis risucs exitat turbæ,
27. Et ad cubile est Roma: tædio fessis
28. Dormire quoties libuit, imus ad villam.

Vers. 1. *Sicci*. Aridi, sterilis.

Nomenti. pag. 90.

4. *Vitam*. Tranquillam nempe, Vivere per eos non licet.

5. *Pistores*. Qui pistillo incusso, aut versata mola, triticum frangunt ac terunt, ad exprimendam farinam, quod fieri nequit sine murmure.

6. *Marculi æratiorum*. Malleoli fabrorum æs tundentium.

7. Hinc audio nummularium, sive argentarium, qui in sua mensa sordida ob argentum, (quod nempe labem remittit sæpe tractatum, & impositum mensæ) numerat, & expendit nummos ex auro optimo, quale Neronis ævo fuit. Nero curaverat, ut aurum ad obrusam exigeretur, vetueratque ne ullum, nisi optimæ notæ, ad commercium adhiberetur. Sveton. cap. 44.

9. 10. Ex alia parte opifex malleo tundit impositum saxo linum, petitum ex Hispaniæ paludibus. Paludem pro lino ponit: sic urbs pro civibus dicitur, &c. Legunt nonnulli: *Illine balucis malleator Hispanæ*. Ut enim Plinius ait Lib. 33. c. 4. *Hispani aurum, quod minutum est, balucem vocant*. Quæ lectio si placeat, intelligenda erit de auro in tenues laminas, seu nummos, a malleatoribus ducto.

Nitenti. Saxa, mallei crebro ictu, trituque lævigantur, ac nitent.

11. Nec cessant Bellonæ sacerdotes obire urbem instar furentium. Illi se cultris cruentabant, & increditos edebant clamores. *Entheata*. Furore divino percita, enthea, ἔνθεος, p. 564.

12. Naufragus, qui truncum, ideſt, tabulam ligneam in qua ipsius naufragium est pictum, sert humeris alligatam fascia, ut gestetur commodius, non cessat stipem regare magna voce.

13. Non cessant Judæi mendicare. Multi erant Romæ, admodum inopes.

14. Non venditor sulphuratorum. Lib. I. Ep. 36.

15. *Damna*. Impedimenta. *Pigri*, hoc est, tardi, qui nisi post longum tempus non veniat.

16. 17. Qui hæc damna numerare poterit, idem numerabit, quot manus urbis, ideſt, civium in urbe, pulsent æreas pelves, quando luna vexatur magorum incantationibus, & tanquam flagris vapulat. Cum videbant lunam deficientem, putabant eam a magis extrahi cœlo, & vexari: ei autem succurrere se posse, si pulsarent æra, &c. Rhombus quid esset dixi Lib. 9. Epig. 23. Colchus vocatur, quia Colchis, regio Asiæ, de qua mentio fit pagin. 23. veneficis referta erat, & Medeæ patria. *Secta*. Veluti flagellis cæsa, loris in orbem acta: perinde quasi ea pateretur, quæ fierent in rhombo, qui loris in orbem agitabatur a fagis.

19. Qui habitas in monte Romæ Janiculo, ubi olim domus & ager fuit L. Petilii scribæ, in eoque tantum obtines latifundium, ut regnum

gnum dici aliquod possit.

20. Qua ex domo tua septem Romæ colles prospectas. Pag. 214.

22. Non sunt plures vinæ in Falerno. Pagin. 39. 218.

23. Intra domum tuam sunt ingentia spatia, in quibus agitari possint esseda. *Essedo*. Pag. 89.

24. *In profundo*: In intima tua domo.

25. *Admissus*. Apertis fenestris, cum libet expergisci.

26. *Transeuntis*. Per vicum cui mea fenestra, & cubiculum imminet.

27. Ita ut Roma tota meum cubile circumstare videatur in somnum meum, & quietem quasi conjurata.

XLVIII.

Importuni salutatores.

1. Quantum dat tibi Roma basiorum
2. Post annos modo quindecim reverso.
3. Te vicina tota, te pilosus
4. Hircoso premit osculo colonus:
5. Hinc instat tibi textor, inde fullo,
6. Hinc sutor modo pelle basiata:
7. Hinc menti dominus pediculosi;
8. Hinc defioculus, & inde lippus.
9. Jam tanti tibi non fuit redire.

Vers. 1. *Hircoso osculo*. Ore villoso, quo te osculatur. Hircorum barba est hispida, & hirsuta.

6. Qui modo suam pellem & coria putida osculatus est. Vide p. 459. Ep. 54. Lib. 9.

7. Cui mentum scatet pediculis.

8. *Defioculus*. Luscus, cui oculus desit, deest.

9. Satius fuisset non redire, quam tot osculis enecari.

XLIX.

Cur suum diem natalem ruri celebret.

1. Martis alumne dies, roseam quo lampada primum
2. Magnaque sideri vidimus ora Dei,
3. Si te rure coli, virideque pigebit ad aras,
4. Qui fueras Latia cultus in urbe mihi,
5. Da veniam, servire tuis quod nolo Kalendis,
6. Et qua sum genitus, vivere luce volo:

Vers. 1. *Martis alumne dies*. Natus erat Kalen. Martiis,

tiis, qui menſis Marti ſacer. *Lampadas*. Solem.

2. *Siderei Dei*. Phœbi: ſolis.

3. *Virides*. Gramineas, ceſpititias.

5. *Servire*. Vexari obſequiis, & officiis urbanis, ſalutationibus, donis ultro citroque mittendis, &c. quæ mera, & vera ſervitus eſt. Ignoſce igitur, ſi tuis Kalendis, nempe Martiis, nolo meam libertatem iſtis vinculis veluti obſtringere.

6. *Vivere*. Non enecari moleſtis officiis. Supra, ep. 48. Liberius indulgere genio: quod rure meo facere poſſum.

L.

Moleſta urbanitas.

1. Natali pallere ſuo, ne calda Sabello
2. Deſit, & ut liquidum potet Alauda merum,
3. Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba facco;
4. Atque inter menſas ire redire ſuas:
5. Excipere hos illos, & tota ſurgere cœna
6. Marmora calcantem frigidiora gelu:
7. Quæ ratio eſt, hæc ſponte tua perferre patique,
8. Quæ, te ſi jubeat rex dominuſque, neges?

Verſ. 1. 2. Ordo eſt: Quæ ratio eſt te pallere tuo die natali? hoc eſt, anxium eſſe & ſollicitum, ne aqua calida alicui e tuis conviviis, v. g. Sabello, deſit, &c.

Alauda. Nomen eſt convivæ. *Liquidum*. Sine fæce.

3. *Tranſmittere facco*. Percolare, per linum ducere, ut fæx omnis ſecernatur.

6. *Marmora*. Pavimenta ſtrata marmore.

Calcantem. Accumbentes menſæ, deponebant ſoleas, quas cœnæ v. g. rex, & pater, dum ſurgit propere ad obvios excipiendos, non poterat induere, atque adeo nudis pedibus pavimentum calcabat.

8. Hæccine facis ultro, ac libenter, quæ vix faceres regere, ac domino, ideſt, potente patrono, jubente?

L I.

Hoſtis indignus ultione.

1. Verſus, & breve vividumque carmen
2. In te ne faciam times, Ligurra,
3. Et dignus cupis hoc metu videri:
4. Sed fruſtra metuis, cupiſque fruſtra.

5. In

5. In tauros Libyci fremunt leones,
6. Non ſunt papilionibus moleſti.
7. Quæras, cenſeo, ſi legi laboras.
8. Nigri fornicis ebrium poetam;
9. Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.

Verſ. 8. Poetam aliquem qui ſoleat helluari in aliquo gurguſtio, & ganeo.
9. Tua frons digna non eſt, quam velim aut curem notare probroſis litteris, quales inuruntur ſervis fugitivis. Lege Lib. 2. Ep. 26. Lib. 6. 45.

LII.

Saturno votum pro amico reduce.

1. Antiqui rex magne poli, mundique prioris,
2. Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
3. Nec regale nimis fulmen; nec fulmine digna,
4. Sciſſa nec ad Manes, ſed ſita dives humus:
5. Lætus ad hæc faciliſque veni ſolemnia Priſci
6. Gaudia; cum ſacris te decet eſſe tuis.
7. Tu reducem patriæ ſexta, pater optime, bruma
8. Pacifici Latia reddis ab urbe Numæ.
9. Cernis ut Auſonio ſimilis tibi pompa macello
10. Pendeat, & quantus luxurietur honos?
11. Quam non parca manus, largæque numiſmata menſæ,
12. Qua, Saturne, tibi pernumerentur opes!
13. Utque ſit his pretium meritis, & gratia major,
14. Et pater, & frugi, ſic tua ſacra colit.
15. At tu, ſancte, tuo ſic ſemper amere Decembri,
16. Hos illis jubeas ſæpe redire dies.

Verſ. 1. *Antiqui poli*. Saturnus cœli imperium obtinuit ante Jovem, qui eum ſolio deturbavit.
2. *Sub quo &c.* Auream ætatem deſcribit.
3. *Regale*. Imperioſum, tyrannicum. Quo regnante fulmen quaſi mite, ac placidum erat. *Nec fulmine digna*. Humus non erat digna fulmine; non erant homines, qui terram tunc obtinebant, feriendi fulmine; quia pii, & probi.
4. Nec humus erat ſciſſa uſque ad manes, & intima viſcera, ut aurum effoderetur; ſed erat dives in ipſa ſuperficie: atque in eo ipſo

situ quo vulgo apparet, non revulsa, & refossa, opes promebat.

6. Te decet comitari tua sacra. Nunc aguntur Saturnalia: non potes hoc tempore convocari, non venire.

7. *Patriæ*. Hispaniæ.

8. *Aburbe Numæ*. Roma. *Pacifici*. Numa rex Rom. fecundus, pacis artibus maxime floruit.

9. Vides ut non cedant Saturnalia nostra Romanis Saturnalibus, ut dapes, & obsonia nihilo sint illis inferiora, quæ Romæ in macello prostant.

10. *Luxurietur*. Abundet, nitet. *Honos*. Splendor, ubertas, & copia.

11. 12. Vides quanta liberalitate, & munificentia nummi ex argentariorum mensis auferantur, mittendi amicis dono, vel impendendi in victimas, &c.

13. 14. Ut sit tibi liberalitas Prisci gratior, tua ille celebrat Saturnalia sic, idest, large, ut dixi, & magnifice, quamvis sit pater, habeatque liberos, quorum in gratiam videretur debere paulo esse parcior: quamvis sit frugi, frugalis, minime prodigus: quamvis non nimis genio indulgere soleat.

15. *Tuo*. Quo celebrantur Saturnalia.

LIII.

Securus poeta.

1. Uncto, Curduba, lætior Venafro,
2. Histra nec minus absoluta testa;
3. Albi quæ superas oves Galæsi,
4. Nullo murice, nec cruore mendax,
5. Sed tinctis gregibus colore vivo;
6. Dic vestro, rogo, sit pudor poetæ,
7. Nec gratis recitet meos libellos.
8. Ferrem, si faceret bonus poeta,
9. Cui possem dare mutuos honores:
10. Corrumpit sine talione celebs.
11. Cæcus perdere non potest, quod aufert.
12. Nil est deterius latrone nudo:
13. Nil securius est malo poeta.

Vers. 1. O Curduba (pag. 68.) quæ olearum copia & bonitate Venafrum superas. Fuit Venafrum urbs Italiæ in Samni finibus, nunc dicitur *Venafro*, estque in regno Neapolitano.

Uncto. Quia oleis abundat ejus ager.

2. Nec minus absoluta, idest, perfecta, locuples, quam testa Histra: Hoc est, cujus oleum

oleum non cedit illi, quod conditur in teſtis, ſeu amphoris figlinis Hiſtriæ. Hiſtria, ſive Iſtria, *l' Iſtria*, pars eſt Italiæ inſtar promontorii, ſeu peninſulæ, excurrens in mare, ſupra Illyricum, in intimo ſinu Adriatico.

3. *Galæſi*. Pag. 122. 257.

4. Quæ lanas tuarum ovium nullo fuco imbuis, neque mentiris, ideſt, imitaris, ac ſimulas colorem purpureum, aut ſanguineum. Oves Bæticæ vellera ferebant nativo colore aureo, & rutilo tincta, pag 257.

5. 6. 7. Oro te, mone quemdam e tuis poetis, ut ipſum pudeat mea carmina pro ſuis recitare. *Gratis*. Qui nullo ipſi labore conſtiterunt, quos non ſcripſit.

9. Cujus viciſſim recitare poſſem carmina pro meis, & illum ſic ornare, hunc illi habere honorem. Vel; illum ſic ulciſci, & par pari referre. Honos enim (τιμὴ Græcis) pro pœna poteſt accipi, ut ex antiquis probat Gellius. Legunt aliqui, neſcio cujus codicis fide, *dolores*.

10. 11. *Corrumpit*. Subaudi, ultionem. Cælebs dicitur, qui eſt ſine conjuge, atque adeo ſine liberis. In eo loco uſurpatur pro poeta, qui nullos libros ſcribit, ſunt enim libri partus ingenii. Senſus igitur eſt; vates imperitus, qui nihil ſcribit, non præbet unde illum ulciſcaris, non dat anſam & occaſionem ulcionis ab eo ſumendæ. Si enim ſcriberet aliquid, ejus libros carperes, &c. Similis eſt cæco, qui tibi oculum abſtuliſſet: cripere illi oculum non poſſes, utroque enim caret.

Talione. Talio eſt par vindicta, ſeu vindictæ ſimilitudo, cum quis tale aliquid mali patitur, quale alteri intulit: v. g. ſi amittat oculum, qui oculum effodit alteri; manum, qui manum præcidit. Eſt igitur ſine talione poeta, qui nihil ſcribit, quia non poſſunt ejus carmina recitari, vel reprehendi, ut ille carpit aliena.

12. *Nudo*. Egente: qui rapit omnia, cui nihil poteſt eripi.

LIV.

Doloſus venditor.

1. Bis quinquagenis domus eſt tibi millibus empta,
2. Vendere quam ſumma vel breviore cupis:
3. Arte ſed emptorem vafra corrumpis, Amœne,
4. Et caſa divitiis ambitioſa latet.
5. Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti,
6. Et Maruſiaci pondera rara citri.
7. Argentum atq; auru non ſimplex delphica portat:
8. Stant pueri, dominos quos precer eſſe meos.
9. Deinde ducenta ſonas, & ais non eſſe minoris:

12. Et Vaticani perfida vappa cadi.
13. Convivas alios cœnarum quære magister,
14. Quos capiant mensæ regna superba tuæ:
15. Me meus ad subitas invitet amicus ofellas;
16. Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

Vers. 1. 2. Si mihi apud te cœnanti, apponis boletos (sunt fungi exquisiti saporis) & aprum, tanquam usitatos cibos, & viles, hoc est non compensandos aliquo pretioso munere: si eos putas mea vota non esse, a me non optari, volo cœnare apud te: non recuso tuam cœnam.

3. 4. Sin me istis obsoniis beatum fieri putas, si captas meam hæreditatem, eamque vis emere ostreis quinque captis in lacu Lucrino (pag. 68.) vale, habe tuam tibi cœnam; non venio.

6. *Protinus*. Ante istam diem elapsam, quid mihi de tua cœna supererit?

7. *Mullorum, suminis*, pagina 118.

8. *Color &c.* Pallor vultus e stomachi cruditate natus, & pedes podagra vincti: qui crudeli carnificina hominem excruciant.

9. Nolo emere tanto pretio, tot doloribus, delicias vel imperatoriæ cœnæ.

Albana. Pagina 177. *Comessatio*. Est compotatio: convivium paulo intemperantius.

10. *Capitolinæ &c.* p. 206. 237. 355. In templis sæpe celebrabantur epulæ, verbi causa ob diem festum, triumphum, supplicationem. Tunc in lectis statuæ Deorum, quasi essent epulaturi, ponebantur, & dapes Diis appositæ a sacerdotibus consumebantur. Erant autem exquisita hæc fercula, similiter atque illa quibus pontifices vescebantur.

11. Si Deus ipse, si Jupiter suum nectar pro summo beneficio mihi imputaret, sorderet mihi nectar, & loco aceti, aut vappæ apud me esset. Vappa est vinum fugiens. Vaticanum vinum pessimum erat, p. 317.

13. *Magister cœnarum*. Ita vocabatur aliquis e convivis, qui toti convivio quasi præerat, isque vulgo talorum jactu eligebatur. Dicebatur etiam rex convivii, cœnæ pater, &c.

15. *Ofellas*. Sunt minutæ, & vulgo assatæ ciborum particulæ, puta, costæ agninæ, pulpæ porcinæ, &c.

XLI.

Domus lauta, & incommoda.

1. Daphnonas, platanonas, & aerias cypariſſos,
2. Et non unius balnea solus habes:
3. Et tibi centenis stat porticus alta columnis;

4. Cul-

4. Calcatuſque tuo ſub pede lucet onyx:
5. Pulvereumq; fugax hippodromon ungula plaudit,
6. Et pereuntis aquæ fluctus ubique ſonat.
7. Atria longa patent: ſed nec cœnantibus uſquam,
8. Nec ſomno locus eſt: quam bene non habitas!

Verſ. 1. *Daphnonas*. Laureta: Δαφνῶνας. *Platanonas*. Arva platanis conſita.

5. *Hippodromon*. Locus eſt, ubi equi exercentur. Ἱππόδρομος: ab ἵππος, equus; & δρόμος, curſus. *Plaudit*. Ferit quaſi numeroſe.

6. *Pereuntis*. Salientis ex alio labro in aliud decurrentis, &c.

XLII.

Homo bonus.

1. Tam ſæpe noſtrum decipi Fabullinum?
2. Miraris, Aule? ſemper homo bonus, tiro eſt.

Verſ. 2. *Tiro eſt*. Simplex, opportunus fraudi. Nunquam eſt veterator, & emeritus in arte fallendi.

XLIII.

Epitaphium.

1. Tempora Pieria ſolitus redimire corona,
2. Nec minus attonitis vox celebrata reis,
3. Hic ſitus eſt, hic ille tuus, Sempronia, Rufus:
4. Cujus & ipſe tui flagrat amore cinis.
5. Dulcis in Elyſio narraris fabula campo,
6. Et ſtupet ad raptus Tyndaris ipſa tuos.
7. Tu melior, quæ deſerto raptore rediſti:
8. Illa virum voluit nec repetita ſequi.
9. Accipient olim cum te loca læta piorum,
10. Non erit in Stygia notior umbra domo.
11. Non aliena videt ſed amat Proſerpina raptas:
12. Iſte tibi dominam conciliabit amor.

Verſ. 1. 2. Poeta bonus, idemque cauſidicus egregius. *Pieria*, pag. 350.

5. *Elyſio*. Pag. 302.

6. Sempronia Rufi uxor, ab alio rapta, deſerto raptore, ad virum ultro redierat. Tyndaris igitur, id

est, Helena Tyndari filia, | quæ raptorem Paridem non deseruit, miratur te, relicto raptore, ad virum rediisse.

8. *Repetita*. A Græcis flagitata, bello decennali.

11. *Aliena*. Infensa. *Raptas*. Quia ipsa quoque rapta fuit a Plutone.

12. *Iste amor*, Tuus amor in virum, & fides. *Dominam*. Proserpinam, uxorem Plutonis, Orci reginam.

XLIV.

Sordide illiberalis.

1. Nummi cum tibi sint, opesque tantæ,
2. Quantas civis habet, paterve rarus:
3. Largiris nihil, incubasque gazæ,
4. Ut magnus draco, quem canunt poetæ
5. Custodem Scythici fuisse luci.
6. Sed causa, ut memoras, & ipse jactas,
7. Diræ filius est rapacitatis.
8. Ut quid tu fatuos, rudesque quæris,
9. Illudas quibus, auferasque mentem?
10. Huic semper vitio pater fuisti.

Vers. 4. *Draco*. Qui vellus aureum custodiebat. Ovid. 7. Metamorph.

5. *Scythici*. Quia Colchis, ubi Æeta Medeæ pater regnabat, Scythiæ accensetur. P. 24. Vel, quia Mars, cui lucus hic sacer, Scythis erat amicus.

6. Causam hanc affers tuæ parsimoniæ, quod habeas filium decoctorem, & rapacem, qui omnia tibi rapiat, & abliguriat.

8. 9. An putas nos adeo esse fatuos, quibus hoc persuadeas?

10. Non tibi filius causa est, cur sis parcus, sed tu illi potius. Nam hujus artis magister idoneus, ac veluti pater semper fuisti.

XLV.

In deformem.

1. Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus;
2. Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

XLVI.

In avarum sæpius ægrotantem.

1. Ægrotas uno decies aut sæpius anno;

2. Nec

2. Nec tibi, ſed nobis hoc, Policarme, nocet,
3. Nam quoties ſurgis, ſoteria poſcis amicos.
4. Sit pudor: ægrota jam, Polycarme, ſemel.

V. 1. *Surgis*. Convaleſcis letudinem fiunt: τὰ σωτήρια.
3. *Soteria*. Sic vocantur munera, quæ mittuntur amici morbo relevatis: ſacrificia, vota, carmina, &c. quæ ob reſtitutam valetudinem fiunt: τὰ σωτήρια.
4. *Semel*. Hoc eſt: Imoreris: ita ægrota, ut non recreeris. Extat epigramma ſimile lib. 5. pag. 260.

XLVII.

Villa cur poeta amica.

1. Cur ſæpe ſicci parva rura Nomenti,
2. Laremque villæ ſordidum petam, quæris?
3. Nec cogitandi, Sparſe, nec quieſcendi
4. In urbe locus eſt pauperi: negant vitam
5. Ludimagiſtri mane, nocte piſtores;
6. Ærariorum marculi die toto:
7. Hinc otioſus ſordidam quatit menſam
8. Neroniana nummularius maſſa;
9. Illinc paludis malleator Hiſpanæ
10. Tritum nitenti fuſte verberat ſaxum.
11. Nec turba ceſſat entheata Bellonæ;
12. Nec faſciato naufragus loquax trunco:
13. A matre doctus nec rogare Judæus;
14. Nec ſulfuratæ lippus inſtitor mercis.
15. Numerare pigri damna qui poteſt ſomni,
16. Dicet quot æra verberent manus urbis,
17. Cum fecta Colcho Luna vapulat rhombo.
18. Tu, Sparſe, neſcis iſta; nec poteſcire,
19. Petilianis delicatus in regnis,
20. Cui plana ſummos deſpicit domus montes,
21. Et rus in urbe eſt, vinitorque Romanus:
22. Nec in Falerno colle major autumnus,
23. Intraque limen latus eſſedo curſus;
24. Et in profundo ſomnus, & quies nullis
25. Offenſa linguis; nec dies, niſi admiſſus,
26. Nos tranſeuntis riſucs exitat turbæ,
27. Et ad cubile eſt Roma: tædio feſſis
28. Dormire quoties libuit, imus ad villam.

Vers. 1. *Sicci*. Aridi, sterilis.

Nomenti. pag. 90.

4. *Vitam*. Tranquillam nempe, Vivere per eos non licet.

5. *Pistores*. Qui pistillo incusso, aut versata mola, triticum frangunt ac terunt, ad exprimendam farinam, quod fieri nequit sine murmure.

6. *Marculi ararioruṁ*. Malleoli fabrorum æs tundentium.

7. Hinc audio nummularium, sive argentarium, qui in sua mensa sordida ob argentum, (quod nempe labem remittit sæpe tractatum, & impositum mensæ) numerat, & expendit nummos ex auro optimo, quale Neronis ævo fuit. Nero curaverat, ut aurum ad obrussam exigeretur, vetueratque ne ullum, nisi optimæ notæ, ad commercium adhiberetur. Sveton. cap. 44.

9. 10. Ex alia parte opifex malleo tundit impositum saxo linum, petitum ex Hispaniæ paludibus. Paludem pro lino ponit: sic urbs pro civibus dicitur, &c. Legunt nonnulli: *Illine balucis malleator Hispanæ*. Ut enim Plinius ait Lib. 33. c. 4. *Hispani aurum, quod minutum est, balucem vocant*. Quæ lectio si placeat, intelligenda erit de auro in tenues laminas, seu nummos, a malleatoribus ducto.

Nitenti. Saxa, mallei crebro ictu, trituque lævigantur, ac nitent.

11. Nec cessant Bellonæ sacerdotes obire urbem instar furentium. Illi se cultris cruentabant, & inconditos edebant clamores. *Entheata*. Furore divino percita, enthea, ἔνθεος, p. 564.

12. Naufragus, qui truncum, ideſt, tabulam ligneam in qua ipsius naufragium est pictum, fert humeris alligatam fascia, ut gestetur commodius, non cessat stipem rogare magna voce.

13. Non cessant Judæi mendicare. Multi erant Romæ, admodum inopes.

14. Non venditor sulphuratorum. Lib. I. Ep. 36.

15. *Damna*. Impedimenta. *Pigri*, hoc est, tardi, qui nisi post longum tempus non veniat.

16. 17. Qui hæc damna numerare poterit, idem numerabit, quot manus urbis, ideſt, civium in urbe, pulsent æreas pelves, quando luna vexatur magorum incantationibus, & tanquam flagris vapulat. Cum videbant lunam deficientem, putabant eam a magis extrahi cœlo, & vexari: ei autem succurrere se posse, si pulsarent æra, &c. Rhombus quid esset dixi Lib. 9. Epig. 23. Colchus vocatur, quia Colchis, regio Asiæ, de qua mentio fit pagin. 23. veneficis referta erat, & Medeæ patria. *Secta*. Veluti flagellis cæsa, loris in orbem acta: perinde quasi ea pateretur, quæ fierent in rhombo, qui loris in orbem agitabatur a sagis.

19. Qui habitas in monte Romæ Janiculo, ubi olim domus & ager fuit L. Petilii scribæ, in eoque tantum obtines latifundium, ut regnum

gnum dici aliquod possit.

20. Qua ex domo tua septem Romæ colles prospectas. Pag. 214.

22. Non sunt plures vinæ in Falerno. Pagin. 39. 118.

23. Intra domum tuam sunt ingentia spatia, in quibus agitari possint essseda. *Essedo*. Pag. 89.

24. *In profundo*: In intima tua domo.

25. *Admissus*. Apertis fenestris, cum libet expergisci.

26. *Transeuntis*. Per vicum cui mea fenestra, & cubiculum imminet.

27. Ita ut Roma tota meum cubile circumstare videatur in somnum meum, & quietem quasi conjurata.

XLVIII.

Importuni salutatores.

1. Quantum dat tibi Roma basiorum
2. Post annos modo quindecim reverso.
3. Te vicina tota, te pilosus
4. Hircoso premit osculo colonus:
5. Hinc instat tibi textor, inde fullo,
6. Hinc sutor modo pelle basiata:
7. Hinc menti dominus pediculosi;
8. Hinc defioculus, & inde lippus.
9. Jam tanti tibi non fuit redire.

Vers. 1. *Hircoso osculo*. Ore villoso, quo te osculatur. Hircorum barba est hispida, & hirsuta.

6. Qui modo suam pellem & coria putida osculatus est. Vide p. 459. Ep. 54. Lib. 9.

7. Cui mentum scatet pediculis.

8. *Defioculus*. Luscus, cui oculus desit, deest.

9. Satius fuisset non redire, quam tot osculis enecari.

XLIX.

Cur suum diem natalem ruri celebret.

1. Martis alumne dies, roseam quo lampada primum
2. Magnaque sideri vidimus ora Dei,
3. Si te rure coli, virideque pigebit ad aras,
4. Qui fueras Latia cultus in urbe mihi,
5. Da veniam, servire tuis quod nolo Kalendis,
6. Et qua sum genitus, vivere luce volo:

Vers. 1. *Martis alumne dies*. Natus erat Kalen. Martiis,

tiis, qui menſis Marti ſacer. *Lampadas*. Solem.

2. *Sidetei Dei*. Phœbi: ſolis.

3. *Virides*. Gramineas, cæſpititias.

5. *Servire*. Vexari obſequiis, & officiis urbanis, ſalutationibus, donis ultro citroque mittendis, &c. quæ mera, & vera ſervitus eſt. Ignoſce igitur, ſi tuis Kalendis, nempe Martiis, nolo meam libertatem iſtis vinculis veluti obſtringere.

6. *Vivere*. Non enecari moleſtis officiis. Supra, ep. 48. Liberius indulgere genio: quod rure meo facere poſſum.

L.

Moleſta urbanitas.

1. Natali pallere ſuo, ne calda Sabello
2. Deſit, & ut liquidum potet Alauda merum,
3. Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba facco;
4. Atque inter menſas ire redire ſuas:
5. Excipere hos illos, & tota ſurgere cœna
6. Marmora calcantem frigidiora gelu:
7. Quæ ratio eſt, hæc ſponte tua perferre patique,
8. Quæ, te ſi jubeat rex dominuſque, neges?

Verſ. 1. 2. Ordo eſt: Quæ ratio eſt te pallere tuo die natali? hoc eſt, anxium eſſe & ſollicitum, ne aqua calida alicui e tuis conviviis, v. g. Sabello, deſit, &c.

Alauda. Nomen eſt convivæ. *Liquidum*. Sine fæce.

3. *Tranſmittere ſacco*. Percolare, per linum ducere, ut fæx omnis ſecernatur.

6. *Marmora*. Pavimenta ſtrata marmore.

Calcantem. Accumbentes menſæ, deponebant ſoleas, quas cœnæ v. g. rex, & pater, dum ſurgit propere ad obvios excipiendos, non poterat induere, atque adeo nudis pedibus pavimentum calcabat.

8. Hæccine facis ultro, ac libenter, quæ vix faceres regere, ac domino, ideſt, potente patrono, jubente?

LI.

Hoſtis indignus ultione.

1. Verſus, & breve vividumque carmen
2. In te ne faciam times, Ligurra,
3. Et dignus cupis hoc metu videri:
4. Sed fruſtra metuis, cupiſque fruſtra.

5. In

5. In tauros Libyci fremunt leones,
6. Non ſunt papilionibus moleſti.
7. Quæras, cenſeo, ſi legi laboras.
8. Nigri fornicis ebrium poetam;
9. Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.

Verſ. 8. Poetam aliquem qui ſoleat helluari in aliquo gurguſtio, & ganeo.

9. Tua frons digna non eſt, quam velim aut curem notare probroſis litteris, quales inuruntur ſervis fugitivis. Lege Lib. 2. Ep. 26. Lib. 6. 45.

LII.

Saturno votum pro amico reduce.

1. Antiqui rex magne poli, mundique prioris,
2. Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
3. Nec regale nimis fulmen; nec fulmine digna,
4. Sciſſa nec ad Manes, ſed ſita dives humus:
5. Lætus ad hæc faciliſque veni ſolemnia Priſci
6. Gaudia; cum ſacris te decet eſſe tuis.
7. Tu reducem patriæ ſexta, pater optime, bruma
8. Pacifici Latia reddis ab urbe Numæ.
9. Cernis ut Auſonio ſimilis tibi pompa macello
10. Pendeat, & quantus luxurietur honos?
11. Quam non parca manus, largæque numiſmata menſæ,
12. Qua, Saturne, tibi pernumerentur opes!
13. Utque ſit his pretium meritis, & gratia major,
14. Et pater, & frugi, ſic tua ſacra colit.
15. At tu, ſancte, tuo ſic ſemper amere Decembri,
16. Hos illis jubeas ſæpe redire dies.

Verſ. 1. *Antiqui poli*. Saturnus cœli imperium obtinuit ante Jovem, qui eum ſolio deturbavit.

2. *Sub quo &c.* Auream ætatem deſcribit.

3. *Regale*. Imperioſum, tyrannicum. Quo regnante fulmen quaſi mite, ac placidum erat. *Nec fulmine digna*. Humus non erat digna fulmine; non erant homines, qui terram tunc obtinebant, feriendi fulmine; quia pii, & probi.

4. Nec humus erat ſciſſa uſque ad manes, & intima viſcera, ut aurum effoderetur; ſed erat dives in ipſa ſuperficie: atque in eo ipſo

situ quo vulgo apparet, non revulsa, & refossa, opes promebat.

6. Te decet comitari tua sacra. Nunc aguntur Saturnalia: non potes hoc tempore convocari, non venire.

7. *Patriæ*. Hispaniæ.

8. *Aburbe Numæ*. Roma. *Pacifici*. Numa rex Rom. fecundus, pacis artibus maxime floruit.

9. Vides ut non cedant Saturnalia nostra Romanis Saturnalibus, ut dapes, & obsonia nihilo sint illis inferiora, quæ Romæ in macello prostant.

10. *Luxurietur*. Abundet, nitet. *Honos*. Splendor, ubertas, & copia.

11. 12. Vides quanta liberalitate, & munificentia nummi ex argentariorum mensis auferantur, mittendi amicis dono, vel impendendi in victimas, &c.

13. 14. Ut sit tibi liberalitas Prisci gratior, tua ille celebrat Saturnalia sic, idest, large, ut dixi, & magnifice, quamvis sit pater, habeatque liberos, quorum in gratiam videretur debere paulo esse parcior: quamvis sit frugi, frugalis, minime prodigus: quamvis non nimis genio indulgere soleat.

15. *Tuo*. Quo celebrantur Saturnalia.

LIII.

Securus poeta.

1. Uncto, Curduba, lætior Venafro,
2. Histra nec minus absoluta testa;
3. Albi quæ superas oves Galæsi,
4. Nullo murice, nec cruore mendax,
5. Sed tinctis gregibus colore vivo;
6. Dic vestro, rogo, sit pudor poetæ,
7. Nec gratis recitet meos libellos.
8. Ferrem, si faceret bonus poeta,
9. Cui possem dare mutuos honores:
10. Corrumpit sine talione cœlebs.
11. Cæcus perdere non potest, quod aufert.
12. Nil est deterius latrone nudo:
13. Nil securius est malo poeta.

Vers. 1. O Corduba (pag. 68.) quæ olearum copia & bonitate Venafrum superas. Fuit Venafrum urbs Italiæ in Samni finibus, nunc dicitur *Venafro*, estque in regno Neapolitano.

Uncto. Quia oleis abundat ejus ager.

2. Nec minus absoluta, idest, perfecta, locuples, quam testa Histra: Hoc est, cujus oleum

oleum non cedit illi, quod conditur in teſtis, ſeu amphoris figlinis Hiſtriæ. Hiſtria, ſive Iſtria, *l' Iſtria*, pars eſt Italiæ inſtar promontorii, ſeu peninſulæ, excurrens in mare, ſupra Illyricum, in intimo ſinu Adriatico.

3. *Galæſi*. Pag. 122. 257.

4. Quæ lanas tuarum ovium nullo fuco imbuis, neque mentiris, ideſt, imitaris, ac ſimulas colorem purpureum, aut ſanguineum. Oves Bæticæ vellera ferebant nativo colore aureo, & rutilo tincta, pag 257.

6. 7. Oro te, mone quemdam e tuis poetis, ut ipſum pudeat mea carmina pro ſuis recitare. *Gratis*. Qui nullo ipſi labore conſtiterunt, quos non ſcripſit.

9. Cujus viciſſim recitare poſſem carmina pro meis, & illum ſic ornare, hunc illi habere honorem. Vel; illum ſic ulciſci, & par pari referre. Honos enim (τιμὴ Græcis) pro pœna poteſt accipi, ut ex antiquis probat Gellius. Legunt aliqui, neſcio cujus codicis fide, *dolores*.

10. 11. *Corrumpit*. Subaudi, ultionem. Cælebs dicitur, qui eſt ſine conjuge, atque adeo ſine liberis. In eo loco uſurpatur pro poeta, qui nullos libros ſcribit, ſunt enim libri partus ingenii. Senſus igitur eſt; vates imperitus, qui nihil ſcribit, non præbet unde illum ulciſcaris, non dat anſam & occaſionem ultionis ab eo ſumendæ. Si enim ſcriberet aliquid, eius libros carperes, &c. Similis eſt cæco, qui tibi oculum abſtuliſſet: cripere illi oculum non poſſes, utroque enim caret.

Talione. Talio eſt par vindicta, ſeu vindictæ ſimilitudo, cum quis tale aliquid mali patitur, quale alteri intulit: v. g. ſi amittat oculum, qui oculum effodit alteri; manum, qui manum præcidit. Eſt igitur ſine talione poeta, qui nihil ſcribit, quia non poſſunt ejus carmina recitari, vel reprehendi, ut ille carpit aliena.

12. *Nudo*. Egente: qui rapit omnia, cui nihil poteſt eripi.

LIV.

Doloſus venditor.

1. Bis quinquagenis domus eſt tibi millibus empta,
2. Vendere quam ſumma vel breviore cupis:
3. Arte ſed emptorem vafra corrumpis, Amœne,
4. Et caſa divitiis ambitioſa latet.
5. Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti,
6. Et Maruſiaci pondera rara citri.
7. Argentum atq; auru non ſimplex delphica portat:
8. Stant pueri, dominos quos precer eſſe meos.
9. Deinde ducenta ſonas, & ais non eſſe minoris:

10. Inſtructam vili vendis, Amœne, domum.

Verſ. 1. Centum milia feſtertiorum, ſeu mille majora ſeſtertia conficiunt libras, ut loquuntur Galli, Turonicas 100000.

2. Quam velles vendere multo minori pretio, quia pluris emiſti, quam par erat.

4. *Caſa*. Domus vitioſa, male ſtructa. *Latet*. Parietes v. g. male materiati aulæis integuntur, tabellis, &c.

5. *Gemmantes*. Picti, nitidi, gemmulis falſis ornati, &c. *Prima teſtudine*. Vel putaminibus teſtudinum primarum, ideſt, eximiarum, vel, fornice, cubiculo primo. Nam in atrio, ſeu primo conclavi, prope limen, ſternebatur lectus genialis.

6. Et menſæ e citro Mauruſia ea, ſeu Libyca. Mauruſia, regio Africæ, in ora Libyæ.

7. *Delphica*. Menſa e marmore Delphico. Delphi urbs Græciæ, *Delfo*, in Achaja, prope Parnaſſum. *Non ſimplex*. Non una, multiplex; multæ menſæ. Vel: variata emblematis, & inſititiis ornamentis.

8. *Pueri*. Servi. *Dominos*. Heros. Tam ſunt culti & lauti, ut pro dominis, & heris haberi poſſint.

9. *Ducenta*. Nempe ſeſtertia, hoc eſt, libras 20000.

Sonas. Petis, indicas, pro pretio domus. *Eſſe valere*, venditum iri.

10. *Inſtructam*. Ornatam magnifica ſupellectili. Ironia eſt: quia ſupellectilem non erat cū domo venditurus.

LV.

Natalis Virgilii.

1. Majæ Mercurium creaſtis Idus,
2. Auguſtis redit Idibus Diana,
3. Octobres Maro conſecravit Idus.
4. Idus ſæpe colas & has & illas,
5. Qui magni celebras Maronis Idus.

Verſ. 1. 2. Natus eſt Mercurius Idibus Maiis, Diana Idibus Auguſti. *Redit*. Eſt colenda ſacris anniverſariis.

Idus. P. I. 5. 217.

3. *Conſecravit*. Suo die natali.

4. O tu quicumque diem natalem Virgilii celebras, opto ut ſæpe colas idus, & *has*, Maronis, *& illas* Mercurii, ac Dianæ; ac proinde vivas, valeaſque diu.

LVI.

Cliens moleſtus.

1. Matutine cliens, urbis mihi cauſa relictæ,

2. Atria,

2. Atria, si sapias, ambitiosa colas.
3. Non sum ego causidicus, nec amaris litibus aptus,
4. Sed piger, & senior; Pieridumque comes.
5. Otia me, somnusque juvant; quæ magna negavit
6. Romæ mihi; redeo, si vigilatur & hic.

Vers. 1. O cliens, quisquis es, qui mane primo salutaturus patronos, surgis: qui es in causa cur Romam reliquerim.

2. *Ambitiosa atria.* Domos nobilium.

6. *Redeo.* Ex Hispania Romam redibo. *Hic.* In Hispania: eam deseram, si tam difficile est somno indulgere hic, quam illic; in Hispania, quam in Italia. Vide supra, epig. 47.

LVII.

Amici Archetypi.

1. Sic tanquam tabulas scyphosque, Paulle,
2. Omnes archetypos habes amicos.

Vers. 1. *Tabulas.* Pictas tabellas, & imagines.

2. *Archetypos.* Veteres statuæ, tabulæ, &c. sic vocabantur. Pag. 524. Innuit eum amicos habere inutiles, quibus, tanquam ad speciem, & pompam dumtaxat, utatur. Vel, nihil eum largiri amicis, quemadmodum statuæ ornant domum, tametsi nihil fiat in eas impensæ. Vel, illis luti parum familiariter.

LVIII.

Divitiæ mores mutant.

1. Lintea ferret Apro vacuus cum vernula nuper,
2. Et supra togulam lusca sederet anus;
3. Atque olei stillam daret Opelicus unctor;
4. Nudorum tetricus censor, & asper erat.
5. Frangendos calices, effundendumque Falernum
6. Clamabat, biberet qui modo lotus eques.
7. A sene sed postquam patruo venere trecenta;
8. Sobrius a thermis nescit abire domum.
9. O quantum diatreta valent, & quinque comati!
10. Tunc, cum pauper erat, non sitiebat Aper.

Vers. 1. Cum nuper servulus *vacuus*, ideſt, panno-

ſus, & detritus, vel, carens iis rebus, quæ cum linteis ferri ſolent, nempe oleo, vino, dapibus quibuſdam, &c. ferret in balneum Apro lintea, quibus ſe abſtergeret. In quibuſdam codicibus pro *vacuus*, legitur *vatius*. Eſt autem vatius, cui crura ſunt introrſum contorta.

2. Et ſupra veſtes. Apri ſederet anus luſca, ut eas nempe cuſtodiret.

3. Cnm ipſe oleum, quo ſe poſt balneum ungeret, non haberet, ſed Opelicus ipſi dono daret oleum. *Unctor*. Aliptes voce græca dicebatur, cui cura ungendi corpora poſt balneum. Legit Gruterus, approbante Scriverio: *Stillam daret enterocelicus unctor*, hoc eſt, herniolus, quo verbo ſignificatur, iſti Apro viliſſimos mortalium navaſſe operam in thermis. *Enterocelicus*. Pag. 515.

4. Objurgabat Aper eorum mollitiem, qui ne velatis quidem iis, quæ pudor tegi jubet, lavarent. Legit Scriverius: *Udorum*, ideſt, ebriorum: udus enim, ſive uvidus, idem eſt ac madidus, ebrius.

6. *Biberet &c.* Si quis eques recens balneo egreſſus, perpotaret.

7. 8. At poſtquam illi ſenex patruus teſtamento legavit ſeſtertia 3000. juſſit aſferri ſibi vinum in ipſis balneis, & eo ſe proluit.

9. *Diatreta*. Διατετρημένος, perforatus, cælatus. Diatreta igitur ſunt vaſa pertuſa certis locis ad inferendas gemmas, & alia id genus ornamenta. Nempe ſupellectilem nitidam Aper recentibus nummis auctus emerat. Legunt aliqui *Diatheca valet*. Vox græca eſt Διαθήκη ſignificatque teſtamentum. O quantum valet teſtamentum locuples, pecunia teſtamento relicta!

Comati. Servi lauti. *Quinque*. Numerus certus pro incerto. Famulorum multitudo maxime divites commendat.

LIX.

E cauſidico agricola.

1. Jugera mercatus prope Buſta latentis agelli
2. Et male compactæ culmina fulta caſæ,
3. Deſeris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
4. Parvaque, ſed tritæ præmia certa togæ:
5. Frumenta, milium, ptiſanamq; fabamq; ſolebas
6. Vendere pragmaticus: nunc emis agricola.

Verſ. 1. *&c.* Mercatus es pauca deſerti, & latentis agelli jugera, quæ ſunt prope Buſta, & nuncium remiſiſti foro. Locus quidam erat Romæ, dictus *Buſta Gallica*, quod Galli olim, cum obſiderent capitolium, morbo,

bo, pestilentia, Camilli armis, ac virtute domiti, & cedere compulsi, multos hic suorum acervos combusserint.

3. *Tuæ prædia*. Quæ tibi instar divitis fundi erant.

4. *Togæ*. Quæ fori, & causidicorum propria est.

5. *Ptisanam*. Oryzam, ex qua fit ptisana.

6. *Vendere*. Tanta erat illarum rerum apud te copia, quæ tibi undique muneri mittebantur, cum esses pragmaticus. *Nunc emis*. Quia ste-rilis est ac parvus tuus iste agellus. Vel quia etsi dives sit ac ferax, tamen non æquat tuorum olim clientium liberalitatem, & munera. Deberes eas res vendere, cum agricola sis; cogeris tamen easdem emere.

Pragmaticus. Est proprie jurisconsultus, seu advocatus, qui non facit verba, causas non agit: sed domi consulentibus respondet: ipsos causidicos quasi armis instruit, jura & leges suggerens.

LX.

Certus hæres.

1. Hæredem tibi me, Catulle, dicis,
2. Non credam, nisi legero, Catulle.

Vers. 2. *Nisi legero*. Nempe me a te institutum hæredem: quod quia fieri non potest, nisi resignato, & aperto testamento, post mortem tuam, oro te, cito morere.

LXI.

Coramedi calices.

1. Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
2. Accipe de circo pocula Flaminio.
3. Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt
4. Munera? sed geminus vilibus usus inest.
5. Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem
6. Et nimium calidis non vitiantur aquis.
7. Quid quod fecuro potat conviva ministro,
8. Et casum tremulæ non timuere manus.
9. Hoc quoq; nonnihil est, quod propinabis in istis.
10. Frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix.

Vers. 1. 2. Etsi tibi naves Ægyptiæ vasa crystallina ferant; tamen a me accipe pocula vitrea vilia, qualia dantur venum in circo Flaminio. Pag. 23. 307.

Cataplus. Vox est græca, κατάπλους, id est, navis, classis.

3. Utri sunt audaciores? isti calices, qui audeant in tuas hominis lauti, ac divitis venire manus? an qui illos tibi mittunt muneri? Ego qui tam viles tibi mitto scyphos, nonne sum illis, audacior, nonne inurbanus?

4. Tamen his vilibus poculis utilitas ineſt gemina: prima; quod fures non metuunt: altera, quod calida aqua non vitiantur.

5. *Toreumata*. Proprie ſunt pocula cælata, pag. 156. 203. Sic ironice vocat vitreos vilſque ſcyphos.

6. *Vitiantur*. Rumpuntur. vel, deteruntur, infuſcantur.

7. *Securo*. Nullum aut leve creant miniſtro periculum, ſi frangantur, amittantur, &c.

9. *Propinabis*. Offeres alteri libandum ejuſmodi calicem, ex quo cum ille biberit, ſi tu nolles bibere, ſi volueris calicem frangere, id facere poteris impune, quod non poſſes, ſi eſſet pretioſus calix. Incantari aliquando putabant pocula; cumque id ſuſpicarentur, ea frangebant. Idem factitabant, ſi veneno infectum calicem crederent: ſi quis ore impuro, & graveolenti bibiſſet, &c.

LXII.

Annonæ vilitas.

1. Amphora vigeſſi, modius datur ære quaterno.
2. Ebrius & crudus nil habet agricola.

Verſ. 1. Datur, venditur amphora vini, viginti aſſibus. Continebat autem amphora ſextarios octo, & quadraginta; itaq; oportuit vini pretium eſſe viliſſimum.

Vigeſſis, viginti aſſium eſt ſumma, ut centuſſis, centum. Vel, res conſtans viginti aſſibus. *Modius &c.* Modius frumenti quadruplici nummo æreo datur.

2. Quid fit? nempe inebriantur vino agricolæ, & pane ſe ingurgitant, unde vētriculi cruditas oritur. Et nihil tamen habent pecuniæ, ſumma egeſtate vexantur. Juvat agricolas caritas annonæ: vilitas pauperat.

LXIII.

Maligne ſatisfaciens.

1. Nil in te ſcripſi, Bithynice: credere non vis,
2. Et jurare jubes; malo ſatisfacere.

Verſ. 2. *Jurare*, Qui citatus ad judicem de aliquo crimine, recuſabat purgare ſe jureiurando, is cogebatur certam pecuniæ ſummam accuſatori ſolvere. *Malo ſatisfacere*. Pro pecunia ſolvam verſus, aliquid de te vere ſcribam. Faciam carmina ut tibi ſatisfaciam: ſed quæ tibi fortaſſe non ſatisfacient, quorum te pœnitebit.

LXIV.

Qui omnes laudat, nullum laudat.

1. Ne laudet dignos, laudat Calliſtratus omnes.
2. Cui malus eſt nemo, quis bonus eſſe poteſt?

LXV.

Pauper divite liberalior.

1. Brumæ diebus, feriiſque Saturni,

2. Mit-

2. Mittebat Umber aliculam mihi pauper.
3. Nunc misit alicam: factus est enim dives.

Vers. 2. Alicula est toga brevior quædam; alica vero est flos frumenti, unde pultes & sorbitiunculæ fiebant: ita dicitur, quod alat corpus. Videtur alica quiddam esse majus, quam alicula, ut pellis, quam pellicula: tamen alicula, toga nimirum est multo majoris pretii, quam alica & tantillum farinæ. Carpit igitur Umbri sordes, qui dives factus, evasit parcior, & cum mitteret aliculam & vestem, nunc placentas & pultem donat.

LXVI.

Cœnipeta.

1. Effugere in thermis & circa balnea non est.
2. Menogenen, omni tu licet arte velis.
3. Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
4. Imputet acceptas ut tibi sæpe pilas.
5. Colliget & referet lapsum de pulvere follem,
6. Etsi jam lotus, jam soleatus erit.
7. Lintea si sumes, nive candidiora loquetur.
8. Sint licet infantis sordidiora sinu.
9. Exiguos secto comentem dentem capillos,
10. Dicet Achilleas dispositisse comas.
11. Fumosæ feret ille tropin de fæce lagenæ,
12. Frontis & humorem colliget ipse tuæ.
13. Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
14. Perpessus dicas tædia mille, veni.

Vers. 1. Nemini licet effugere Menogenem, illum cœnarum captatorem.

3. 4. Pilam trigonalem accipiet dextera, & sinistra, quasi a te missam, ut te lusorem egregium prædicet, qui pilam numquam non excipias, ac reddas. *Trigonem*. Pag. 189.

5. Follem, tibi ludenti elapsum, & in via pulverulenta jacentem ab humo tollet, referetque, nec pedes inquinare pulvere dubitabit, quamvis jam ipse usus sit balneo, & illo egressus soleas ceperit, brevi accubiturus. De folle diximus. Pag. 189.

9. 10. Te comam pectine componentem dicet pares Achilleis comas habere.

11. Ipse tibi lavanti feret vinum famosum, vappam. Vino utebantur ad corpus lavandum; vel ad vomitum ad cœnam ciendum, & exonerandum stomachum. Est autem tropis, τρόπις proprie insi-

infima pars navis; hic metaphorice est infima pars dolii, & lagenæ.

12. *Humorem*. Sudorem ipse tibi, mancipii instar, absterget.

14. *Veni*. Ad cœnam.

LXVII.

Conviva excalceatus.

1. Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
2. Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
3. Qui solus inopi præstat, & facit turbam:
4. Excogitavit homo sagax & astutus,
5. Ne facere posset tale sæpius damnum:
6. Excalceatus ire cæpit ad cœnam.

Vers. 1. *Soleas*. Ibant ad convivia soleati: soleas tamen, cum lectos conscenderent, ponebant, ac servis dabant custodiendas.

2. Cùm diceret se illas perdidisse negligentia sui vernæ, ideſt, servi, quem ad pedes suos duxerat, & illis servandis apposuerat.

3. Quia verna, solus præstat ideſt, præsto est ad omne obsequium, navat operam Cottæ: atque instar turbæ servorum, licet unicus, est. Vel, *facit turbam*, est, tumultum excitat clamando, trepidando circa dominum.

6. *Excalceatus*. Quia revera carebat calceis.

LXVIII.

Bene nasutus.

1. Tongilianus habet nasum: scio, non nego; sed jam
2. Nil præter nasum Tongilianus habet.

Vers. 2. Videtur esse illius nasus par, aut major reliquo corpore.

LXIX.

Focale calvi.

1. Quod lana caput alligas, Charine,
2. Non aures tibi, sed dolent capilli.

V. 1. *Lana*. Qui perfrixerant, aut quibus fauces dolebant, laneis fasciis, & focalibus protegebant fauces, & collum. Calvus, ut calvitium tegeret, caput similiter obnubebat. In eum jocatur. *Alligas &c.* Pag. 200.

LXX.

Voti pœnitens.

1. Pro sene, sed clare, votum Maro fecit amico;
2. Cui gravis, & fervens hemitritæos erat.

3. Si

3. Si Stygias æger non iret missus ad undas,
4. Ut caderet magno victima grata Jovi.
5. Cœperunt certam medici spondere salutem:
6. Ne votum solvat, nunc Maro vota facit.

Vers. 1. Maro votum hoc pro sene fecit, ut si convalesceret, sacrificaret ipse Maro victimam Jovi. *Sed clare.* Honestum votum clare, improbum clam & arcano ore, ut ait alibi Martialis, præferri solet. Lege satyram 2. Persii.

2. *Hemitritæos*. Pag. 224.

LXXI.

Mores divitum.

1. Sæpe rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
2. Si fiam locuples, simque repente potens.
3. Quemquam posse putas mores narrare futuros?
4. Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

LXXII.

Improbus amulus.

1. Scribebamus epos: cœpisti scribere, cessi,
2. Æmula ne starent carmina nostra tuis.
3. Transtulit ad tragicos se nostro Thalia cothurnos
4. Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
5. Fila lyræ movi doctis exculta Camœnis;
6. Plectra rapis nobis, ambitione nova.
7. Audemus satyras: Lucilius esse laboras:
8. Ludo leves elegos: tu quoque ludis idem.
9. Quid minus esse potest? epigrammata fingere cepi.
10. Hinc etiam petitur, jam mea fama tibi.
11. Elige quid nolis: quis enim est pudor omnia velle?
12. Et, si quid non vis, Tucca, relinque mihi.

Vers. 1. *Epos*. Carmen Epicum, ab ἔπος, verbum, narratio: quia narrantur omnia in ejusmodi poemate, cum in Dramatico agantur & exhibeantur adhibitis personis & actoribus: a ἔφω, fascio.

3. *Thaliæ*. Musarum una. Pag. 183. *Cothurnos*. Pag. 151.

4. *Syrma*. Vestis humum verrens. pag. 204.

5. Lyricos versus condidi.

6. *Plectra*. Pag. 330. *Nova*. Audaci inusitata.

7. *Lucilius*. Primus latinam Satyram scripsit. Vide Horat. Satyr. 4. & 10. Lib. I.

8. *Elegos*. Pag. 151. 253.

Pro-

LXXIII.

Provinciæ gubernatori Ἐπιτήριον.

1. Bætis olivifera crinem redimite corona,
2. Aurea qui nitidis vellera tingis aquis:
3. Quem Bromius, quē Pallas amat: cui rector aquarū
4. Albula navigerum per freta pandit iter:
5. Omnibus & lætis veſtras Inſtantius oras
6. Intret, & hic populis, ut prior, annus eat:
7. Non ignorat, onus quod ſit ſuccedere Macro.
8. Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Verſ. 1. *Bætis*. Fluvius Hiſpaniæ. Pag. 83. 257.

2. *Aurea &c.* Supra, Epigrammate 52.

3, 4. *Bromius*. Bacchus: a βρίμω, fremo. *Pallas*. Inventrix oleæ. Hoc eſt, cujus ripæ vitibus, & oleis abundant. *Cui &c.* Cui Neptunus per alba freta, iter navibus pervium aperit. Exoneratur Bætis in Oceanū, oſtio peramplo.

5. *Inſtantius*. Macro ſuccedebat in Bætica provinciæ adminiſtranda.

7, 8. Satis intelligit Inſtantius quam grave ſit onus ſuccedere viro optimo, qui charus omnibus fuerit: ſed qui prudenter expēdit quid ferre valeat; eum ſcias oneri, quod ſubit, ferendo parem eſſe.

LXXIV.

In impudentem.

1. Os atavi, patrui naſum, duo lumina patris,
2. Et matris geſtus dicis habere tuæ.
3. Cum referas priſcos, nullamq; in corpore partem
4. Mentiris; frontem dic mihi cujus habes?

Verſ. 3. Cum majores tuos repræſentes vere ac citra mendacium, in omni tui corporis parte.

4. *Cujus*. Neminis, quia frontem non habes, impudentiſſimus es; vel, frontem habes hominis ignobilis, nebulonis. A bonis codicibus abeſt hoc Epigramma.

LXXV.

Dormiens adeuntibus.

1. Qui negat eſſe domi ſe, tunc cum limina pulſas,
2. Quid dicat neſcis? dormio, Marce, tibi.

Verſ. 2. *Dormio tibi*. Id eſt, domi ſum, ſed alloqui te nolo; cæteris vigilo, non item tibi.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS.

EPIGRAMMATUM

LIBER XIII.

Cui nomen inditum XENIA.

EPIGRAMMA I.

Alea & nuces poetarum.

1. NE toga cordyllis, ne pænula deſit olivis,
2. Aut inopem metuat ſordida blatta famē,
3. Perdite Niliacas, Muſæ, mea damna, papyros:
4. Poſtulat ecce novos ebria bruma ſales.
5. Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
6. Senio nec noſtrum cum Cane quaſſat ebur.
7. Hæc mihi charta nuces, hæc eſt mihi charta fritillus.
8. Alea nec damnum, nec facit iſta lucrum.

XENIA. Sic vocabantur munera, quæ hoſpitibus hoſpites, deinde quæ amicis amici promiſcue mittebant. ξένος, hoſpes ξένιον, hoſpitale munus. Ejuſmodi munera quia in hoc libro deſcribuntur, hinc nomen *Xenia* libellus invenit.

Verſ. 1. Toga. Involucrum, cucullus. Vide p. 143. Cordyllæ ſunt piſces minuti, & viles: pænula, veſtis craſſior. Sententia eſt: ſcribamus ſane verſiculos, chartis eos illinamus; ſi nihil aliud aſſequemur, hoc ſaltem faciemus lucri, ut coquis profimus, ut demus blattis eſcas, togam cordyllis.

2. *Blatta*. Vermiculus libros, & pannos arrodens.

3. *Niliacas*. Papyrus in Ægypto naſcitur. Arbuſcula eſt, cujus intimus cortex adhibebatur, inſtar membranæ, ad ſcribendum. *Mea damna*. Chartas, quas unas perdo his Saturnalibus, dum alii opum jacturam, & grave damnum rei familiaris ludendo faciunt.

5. *Bruma*. Brumæ tempore menſe Decembris, celebrabantur Saturnalia, & comeſſationes, ludi, &c. frequentabantur.

5. 6. 7. In Saturnalibus pueri ludebant nucibus, alea viri. Ego, inquit noſter, ludo verſiculis: Quid ſit teſſera, quid talus, docui p. 217. *Depugnat*. Teſſera videtur eſſe fortior talo, quia latera ſex habet, quibus poſſit inſiſtere: talus, quatuor tantum.

Ma-

Magnanimo. Lusores vulgo sunt pertinaces, & obnixi alii aliis non cedere.

Senio. Erat jactus tesserarum felix, cum sex punctis notata tessera cadebat, si unica tessera singuli lusores uterentur: vel, cum omnes diversis notatæ punctis ac dissimili facie, jaciebantur: si plures tesseræ ad ludendum adhiberentur. Canis, erat infelicissimus jactus; cum unico notata puncto tessera mittebatur.

Quassat ebur. Cadendo ferit tabulam eburneam, seu alveolum, in quem tesseræ conjiciuntur e fritillo: vel, ipsum fritillum, in quo tali concutiuntur, non percutit. *Fritillus*. Pag. 187.

8. Versiculi nostri, si nulli prosunt, certe nulli nocent.

II.

Nigro lectori.

1. Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,
2. Quantum noluerit ferre rogatus Atlas:
3. Et possis ipsum tu deridere Latinum,
4. Non potes in nugas dicere plura meas,
5. Ipse ego quam dixi: quid dentem dente juvabit
6. Rodere? carne opus est, si satur esse velis.
7. Ne perdas operam: qui se mirantur, in illos
8. Virus habe; non hæc novimus esse nihil.
9. Nec tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
10. Nec matutina si mihi fronte venis.

Vers. 1. *Nasutus*. Derisor, emunctæ naris, censor asper, & morosus criticus. Pag. 31. nota 6.

2. Habeas nasum tantæ molis & ponderis, ut illum ipse Atlas licet rogatus, ferre nolit: quamvis totum cœlum ferat. *Atlas*. Pag. 368.

3. *Latinum*. Insignem Domitiani tempore mimum & histrionem.

5. *Quid dentem, &c.* Quid tibi proderit Epigrammata mordacia, & acuta mordere, & carpere, quæ te remordere possunt? Videtur indicare fabellam, qua narratur serpens limam arrodere voluisse. Cui lima, quid me, inquit, mordes, quæ alios mordere soleo? Horat. Lib. II. Serm. Sat. 1. *Fragili quærens illidere dentem, offendet solido*.

7. *Qui se mirantur*. Sibi placent, boni poetæ sibi videntur. In illos tuum stylum, & maledicum acumen verte.

8. *Hæc*. Nostra carmina. *Esse nihil*. Levia esse, nullius ponderis, pretii.

9. Non sunt tamen nullius plane momenti & ponderis, si candida aure, benigna, facili, audiantur.

10. Si pransus & potus hilarior & solutior, ea legas; non siccus & sobrius, ut mane homines vulgo sunt.

III.

De ſuis iſtis Xenïis.

1. Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
2. Conſtabit nummis quatuor empta tibi.
3. Quatuor? eſt nimium, poterit conſtare duobus,
4. Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
5. Hæc licet hoſpitibus pro munere diſticha mittas,
6. Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
7. Addita per titulos ſua nomina rebus habebis:
8. Prætereas, ſi quid non facit ad ſtomachum.

Verſ. 2. *Nummis quatuor*. Nempe ſeſtertiis quatuor minoribus, hoc eſt, denario uno: aſſibus octo noſtratibus.

8. Si quid tibi diſplicet.

IV.

Thus.

Serus ut ætheriæ Germanicus imperet aulæ,
Utque diu terris, da pia thura Jovi.

Germanicus. Domitianus. P. 230. *Serus, &c.* Sero cœlum petat, ibi imperaturus; potius terris diu imperitet.

V.

Piper.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, ſi ſapis, adde piper.

Cerea. Pinguis, pag. 168. *Ficedula*. Avis, ita dicta quod ficis præſertim veſcatur. *Lucet*. Nitet præ adipe.

VI.

Alica.

Nos alicam: mulſum poterit tibi mittere dives:
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Alicam. Vide Lib. XII. Ep. 62. ſignificat hic potionem cerviſiæ ſimilem, aut zytho. *Mulſum*. Eſt aqua, ſeu vinum, melle conditum. Pag. 186. *Eme*. Omnino enim indiges mulſo, ſi alica uti volueris. Hæc erat inſulſa, niſi eſſet elota mulſo.

VII.

Conchis.

Si ſpumet rubra conchis tibi pallida teſta,
Lautorum cœnis ſæpe negare potes.

Si

Si habes conchem bene coctam, & oleo spumante inunctam, poteris domi cœnare, & lautorum convivia spernere. Conchis est fabæ genus. *Rubra testa*. In vase fictili, *Negare*. Nuncium remittere.

VIII.

Lens.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem:
Vilior est alica, carior illa faba.

Pelusium, urbs est Ægypti in ostio Nili, quod Pelusiacum appellant: illam hodie vulgus vocat *Belbais*. In Ægypto proveniunt optimæ lentes. *Vilior*. Minoris pretii. *Alicas*. Vide Epigramm. 6. supra. Et pag. 607.

IX.

Far.

Impune plebejas Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

Si vinum, dulce instar musti, bibere cupis, ollas seu cados imbue, obline, pultibus factis ex farre Clusino, ut illis, cum vacuæ erunt, vinum condas: sic enim fiet æque dulce ac mustum. Imbuere, est quasi saporem dare, inficere. Clusium Italiæ oppidum, in Hetruria, (*Chiusi*) ubi far eximium. *Satur*. Cum ederis pultes. *Vacuis*. Consumpta pulte, quæ in ollis antea erat.

X.

Similæ.

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus,
Pistori toties cum sit & apta coco.

Similia, vel similago, est farinæ flos. *Dotes*. Utilitates. *Pistori apta*. Ad panem, ad mattyas conficiendas. *Coquo*. Ad condimenta, & alias res id genus.

XI.

Hordeum.

Mulio quod non des taciturus, accipe, mulis:
Hæc ego cauponi, non tibi dona dedi.

Accipe hordeum, quod mulio dare non solet mulis mutis, & ejus furtum taciturus; illud cauponi vendes: itaque non tam tibi datur a me, ut eo vescaris (pecudum enim cibus est) quam ut illud cauponi vendas, cui est opus ad jumentorum pastum.

XII.

Frumentum.

Tercentum Libyci modios de messe coloni

Su-

Sume, ſuburbanus ne moriatur ager.

Moriatur. Sterilis ſit. Habe hoc frumentum, ut patiaris agros tuos quieſcere, ne, ſi eos ſemper jubeas ſegetem ferre, effæti fiant ac inutiles. Dum illi ceſſabunt, tu hoc tritico veſceris. Agri frequenti ſatione ſterileſcunt.

XIII.

Beta.

Ut ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam ſæpe petet vina piperque cocus!

Sapiant. Saporis aliquid habeant, probe condiantur. *Fatuæ*. Inſipidæ. *Prandia fabrorum*. Quas betas cœnant fabri; quæ ſunt plebejus cibus.

XIV.

Lactuca.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes!

Claudere. Id faciebant ad arcendam ebrietatem, rati lactucam vini vim æſtumque inſita frigiditate retundere: inchoabant ab eadem cœnam, quia creditur ciere ventrem, & cibi appetentiam facere. Vopiſcus de Tacito Imperatore ſcribit, eum lactucis indulſiſſe ad ſomnum conciliandum.

XV.

Ligna acapna.

Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, ruſtice, ligna feras.

Acapna. Quæ ardent ſine fumo: κάπνος, fumus: ἄκαπνος, ſine fumo. Ligna fieri acapna docet Cato, ſi amurca conſpergantur & ſoli exponantur. *Nomento*. Erat oppidum Latinorum in paludibus ſitum, atque adeo ibi nulla ligna reperiebantur ſicca, & a capna. ſed paluſtria, uda, & viridia, licet omnia ſylvis fere eſſent plena. Itaque eius generis ligna eo importanda erant.

XVI.

Rapa.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa,
Quæ damus, in cœlo Romulus eſſe ſolet.

Frigore. Rapa frigore ali, & pruinis gaudere dicuntur. *Eſſe*. Comedere. Romulus interris veſcebatur rapis; iiſdem in cœlo latus veſcitur: cur eaſpernas? Putabant unum-

numquemque post mortem iisdem uti cibis, iisdem teneri | studiis, quibus in vita tenebatur, Virgil. VI. Æn. 653.

XVII.

Cauliculi.

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

Caules maturi & seniores pallescunt: item, dum coquuntur. Vernam viriditatem servant, si aspersi fuerint aqua nitrata, aut in ea docti. Nitrum est salis genus.

XVIII.

Porri sectivi.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Fila. Porrum sectile in tenuissima secari frusta, & quasi fila potest. Optimum Tarenti nascebatur. Est urbs in extrema Italia, *Tarantum*. *Clausa.* Ne os apertum animam olentem emittat. Est enim porri odor gravis.

XIX.

Porri capitati.

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niveo virides stipite cerne comas.

Præcipuos. Optimæ notæ, peculiares. *Aricia.* Urbs Italiæ Pag. 299. *Nemoralis.* A nemore vicino sic appellatur. Pag. 214. nota 16. *Stipite.* Calamo porri, seu caudice. Porri capitati jam maturi stipes albicat: in summo, comæ, seu folia, virent.

XX.

Napi.

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Amiternus. Amiternum civitas Italiæ, in Aprutio, patria Salustii, ad amnem Aternum: nunc *S. Vittorino*. *Pilas.* Rapa rotunda, dura: instar pilæ, qualia nascuntur Nursiæ (*Norcia*) in urbe Sabinorum. Sententia est. Si habeas napos Amiternos, poteris contemnere,

annere, & parcius, rarius, esse, ideſt, edere rapa Nurſica, quia napi iſti ſunt ſuaviores, & ſalubriores.

XXI.

Aſparagi.

Mollis in æquorea quæ crevit ſpina Ravenna,
Non erit incultis gratior aſparagis.

Mollis &c. Aſparagus, qui ſeritur, & creſcit in agris Ravennatibus, non eſt ſuavior & melior iſtis incultis, montanis, ſylveſtribus, quos tibi mitto. Aſparagus inſtar ſpinæ acutæ, mollis tamen, e terra naſcitur ſine ullis foliis: inculsus & ſua ſponte natus, fertur eſſe melior culto, & ſato. *Ravenna*. Urbs Italiæ. P. 165. Hujus ager aſparagis gratiſſimus, ita ut in eo naſcerentur interdū trilibres.

XXII.

Uva duracina.

Non habilis cyathis, & inutilis uva Lyæo,
Sed non potanti me tibi nectar ero.

Uva duracina dicitur, quæ pellem duram, & ſiccam habet. Ex ea vinum exprimi non poteſt, itaque Baccho & poculis idonea non eſt. Eadem eſt cibus ſuaviſſimus. *Nectar ero*. Inſtar nectaris ero tibi, me non potanti, ſed me comedenti. Nectar Deorum potus erat. P. 183.

XXIII.

Chia ficus.

Chia ſeni milis Baccho, quem Setia miſit,
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem,

Chia. Advecta ex inſula Chio. Pag. 331. *Seni Baccho &c.* vino Setino veteri: *Setia*. P. 216. 316. *Ipſa &c.* Habet ſaporem vini veteris, & ſalis.

XXIV.

Cydonia.

Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle
Ponentur: dicas hæc melimela licet:

Poma cotonea, dicuntur Cydonia, quia primum advecta ſunt ex inſula Creta, in qua urbs Cydon. Hæc melle incoquuntur, & eo immerſa menſæ apponuntur, tumque

dici melimela possunt, inquit Martialis, quasi mellita poma: μέλι, mel μῆλον, pomum. Melimela proprie sunt poma quædam, sapore musteo, & melleo, pag. 50. 331. *Cecropio*. Attico, Pag. 427.

XXV.

Nuces pineæ.

Poma sumus Cybeles: procul hinc abssiste viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Poma. Omnes fructus paulo majores, vocantur poma: minores vero, baccæ. *Cybeles*. Pinus Cybelæ est sacra. *Ne &c.* Ne te ruentes, & cadentes obruamus. Ferire caput graviter illæ nuces possent ex alto decidentes, ob suam magnitudinem, & corticem crebris aculeis, tanquam squamis, consertum.

XXVI.

Sorba.

Sorba sumus, molles nimium durantia ventres:
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis.

Sorba. Alvum astringunt fistuntque. *Puero*. Quia pueri alvum habent molliorem, & magis fluidam, quam viri.

XXVII.

Spathalion caryotarum.

Aurea porrigitur Jani caryota Kalendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Spathalion. σπαθάλιον, est ramus palmæ, σπαθάλιον, ramulus. Caryotæ sunt fructus palmæ arboris. Illæ mittebantur initio anni, mense Januario, & levi auri bractea illinebantur, lib. 8. Ep. 33. p. 390. Hinc *aureæ* hic vocantur. *Sed tamen &c.* Istud aureum ornamentum non impedit, quin caryota sit munus pauperi conveniens.

XXVIII.

Coctana.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta:
Si majora forent coctana, ficus erat.

Coctana, seu cottana, sunt ficus quædam, sed paulo minores. Itaque ait secundo versu, nihil deesse quin sint ficus, præter molem. *Meta*. Est vas testaceum in metæ, sive turbinis formam: torta dicitur, idest, rotunda, & in acumen desinens. Legit Domitius *mentha*. Est herba quædam: ea involvebantur coctana, ne concussa colliderentur. Legitur in nonnullis codicibus: *ficus erant*.

Pru-

XXIX.

Pruna Damascena.

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri solvere ventris onus.

Peregrinæ senectæ. Quæ senectutem, & rugas in dissita regione induerunt. Damascus est civitas Syriæ: *Damas.* Hæc pruna cient alvum ac solvunt.

XXX.

Caseus Lunensis.

Caseus Etruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Lunensis. Luna Italiæ civitas in Liguriæ finibus, (*Luna.*) Fortasse istis caseis effigies lunæ imprimebatur, ut esse Lunenses intelligerentur. Erant autem insigni magnitudine, ac servis ad plura prandia unus sufficiebat.

XXXI.

Caseus Vestinus.

Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Jentacula. Aliquid cibi mane sumebant Romani, vixque prandebant, sed paulo ante solis occasum cœnabant. *Frugi.* Sana: vel frugalia, levis impendii: est genitivus instar adverbii, a nominativo frux frugis, & sublato *s.* frugi. *Massa* Caseus. Est enim lac concretum. *De grege Vestino.* Ex ovibus Vestinis; ager Vestinus in Italia erat, inter Picenos, Marsos, & Pelignos. Hodie pars est ulterioris Aprutii, *Abruzzo.*

XXXII.

Caseus Velabrensis.

Non quemcumq; focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

Ordo verborum est. Non sapit caseus, qui quemcumque focum, & quemlibet fumum bibit: sed qui Velabrensem dumtaxat. Velabrum erat Romæ vicus. Vide Lib. XI. Epigram. 30. versu 10.

XXXIII.

Casei Trebulani.

Trebula nos genuit: commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

Trebula. Urbs Italiæ pag. 274. *Gratia duplex.* In pre-

tio ſumus ob duplicem uſum qui nobis ineſt: duplici modo paramur, & apponimur cum gratia, & dignitate; vel in fruſtula, & offulas ſecti ac levi igne toſti, vel aqua calida macerati, & molliti.

XXXIV.

Lucanica.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Lucanica. Pag. 202. *Picenæ*. Sues egregie ſaginati adducebantur ex agro Piceno. P. 51. *Pultibus &c.* Lucanicæ recte coronant, ideſt, ambiunt patinam plenam pultibus niveis, nempe factis e polline triticeo.

XXXV.

Oliva.

Hæc, quæ Picenis venit ſubducta trapetis,
Incheat atque eadem finit oliva dapes.

Subducta. Detracta, non ſubjecta. *Trapetis*. Prælis, Trapetum eſt mola, qua premuntur olivæ, ut oleum exprimatur, a τρίπω verto, volvo. *Picenis*. Pag. 53. *Incheat*. Ut orexim inviteť: *finit*, ut arceat ciborum faſtidium. Utrumque oliva præſtat.

XXXVI.

Mala citrea.

Aut Corcyræi ſunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Maſſyli poma draconis erant.

Citrea mala. Fructus citri arboris. Vocantur etiam mala aurea, Heſperia, Medica, Perſica. *Corcyræi*. Pag. 215. 341. 411. *Maſſyli*. Libyci. Pag. 403. 432. *Draconis*. Qui ſervabat hortos Heſperidum. Pag. 18.

XXXVII.

Coloſtrum.

Surripuit paſtor quæ nondum ſtantibus hædis,
De primo matrum lacte coloſtra damus.

Coloſtrum eſt primum illud lac, quod ex uberibus armentorum exprimitur, prius quam ea pulli ſugant. Damus igitur coloſtra, quibus paſtor fraudavit hœdos recens natos, & nondum inſiſtere pedibus valentes.

Ha-

XXXVIII.

Hædus.

Lascivum pecus, & viridi non utile Baccho
Det pœnas: nocuit jam tener ille Deo.

Non utile Baccho. Quia vitium gemmas arrodit hædus. *Det pœnas.* Nempe mactatus. *Nocuit &c.* Non immerito cæditur, licet sit parvulus: jam enim vites corrosit.

XXXIX.

Ova.

Candida si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet ova liquor.

Si ovum sorbile tibi ponitur, in quo humor candidus vitellum flavum ambiat, bene illud condies adhibito liquamine, seu garo, quod sit e succo scombrorum piscium, qui optimi capiuntur in Hispania. De garo V. p. 318.

XL.

Porcellus lactens.

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, & Ætolo de sue dives edat.

Mero. Solo. *Matris.* Porcæ. *Ponat.* Epulandum det. *Ætolo sue.* Apro ingenti, qualis Ætolus ille, sive Calydonius fuit. (Lib. Spect. Ep. 14.) Apros edat ingentes dives, ego pauper libentius porcellis vescar.

XLI.

Apyrina, & tuberes.

Non tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Tuberes. Sunt poma quædum, (Plin. Lib. 15. c. 14.) Item Apyrina (Plin. Lib. 13. cap. 19.) Quæ ideo sic appellantur, quia abest illis nucleus lignosus, ac durior; insunt molliores duntaxat acini: πυρὼν, nucleus. ἀπύρηνος sine nucleo. Utraque olim poma in Africa nascebantur, in Italiam deinde traducta, in agro maxime Nomentano (pag. 94.) ubi villam habebat Martialis, optima proveniebant.

XLII.

Idem munus,

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes, quid tibi cum Libycis?

Quid tibi, &c. Quid curas Libycos? nempe tuberes. Potes illos spernere. Habes vernas tuberes, hoc est, domi, in Italia, natos; quid peregrinos expetis?

XLIII.

Sumen.

Esse putes nondum sumen; sic ubere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Sumen. Erat ferculum confectum e papillis porcæ lactantis. Istæ papillæ porcinæ, inquit, coctæ, ita sunt adhuc plenæ lactis, ut nondum sumen, sive coctas papillas esse merito putes; ut ipsam vivæ suis carnem esse dixeris. Quidam legunt, *nudum sumen*, idest, adhuc vivas, nondum coctas, aut elixas suis papillas.

XLIV.

Pulli gallinacei.

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

Volucres Libycæ. Gallinæ Africanæ, quas Numidicas vocabant. pag. 167. nota 15. *Phasides volucres.* Phasiani. p. 167. *Cortis.* Ubi altilia domestica. pag. 449.

XLV.

Mala Persica.

Vilia maternis fueramus Perfica ramis:
Nunc in adoptivis Persica chara sumus.

In arbore materna eramus olim fructus parvi pretii: at cum insiti fuimus, & ab altera quasi arbore adoptati, chari sumus. Isti fructus insitione fiunt præstantiores. Legunt quidam in primo versu *præcoquæ*, idest, præmatura. Nam æstate maturescunt, cum cetera ejusdem generis mala miteſcant sub autumnum. Persica dicuntur, quod allata credantur e Perside. Nuciperſica etiam vocantur, quia ægre nux, sive nucleus a carne solvitur: item Armeniaca, quia Armenia Persidi est vicina.

XLVI.

Panes Picentini.

Picentina Ceres niveo sic nectare crescit,
Ut levis accepta spongia turget aqua.

Picentina. Pag. 51. Ejusmodi panes fiebant (Plinio teste lib. 18. cap. 11.) ex alica, & in furno, ollis inditis, torrebantur: ob duritiem ægre frangebantur, neque in cibum adhibebantur, nisi macerati lacte, quo intumescebant, instar spongiæ aqua imbutæ.

Boleti

XLVII.

Boleti.

Argentũ atq; aurum, facile eſt, lænamque, togamque
Mittere: boletos mittere difficile eſt.

Lænam. Veſtem villoſam aliis veſtibus ſuperinjici ſolitam. *Boletos.* Sunt fungi optimi: ſed ancipites, & periculoſi; atque adeo difficile eſt bonos tutoſq; mittere. Vel: quia unuſquiſque mavult iis veſci, quam amico mittere.

XLVIII.

Ficedula.

Cum me ficus alat, cum paſcar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

De hac avicula dictum jam epigr. 5. veſcitur ficis, & uvis. Cur igitur non vocatur uvedula, ut ficedula?

XLIX.

Tubera.

Rumpimus altricem tenero quæ vertice terram
Tubera, boletis poma ſecunda ſumus.

Vertice. Tubera enim (fungorum eſt genus vulgare, a tubere, ſeu tumore vocatum) calloſo capite erumpunt ex humo. *Secunda.* Gedemia, inferiora. Sumus fructus deteriores boletis. Sunt illi fungi nobiles, & exquiſiti. *Poma.* Sic vocat fungos improprie, fortaſſe quod, pomorum inſtar, ſint capitati.

L.

Turdi.

Texta roſis fortaſſe tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Nardo. Coronæ lautiſſimæ, teſte Plinio, fiebant e foliis nardi; quæ eſt arbuſcula odorata. *Corona* Rotundum vimen, vel ramus, turdis undique in orbem pendentibus. Denos vulgo inſerebant ramulo torto: unde vulgo hujus epigram. lemma eſt, *Turdorum decuria.*

LI.

Anas.

Tota quidem ponatur anas; ſed pectore tantum
Et cervice ſapit: cetera redde coco.

LII.

Turtur.

Dum pinguis mihi turtur erit : lactuca valebis ;
Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.

Perdere, &c. Nolo famem placare tam vilibus cibis.

LIII.

Perna.

Cerretana mihi fiet, vel missa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

Perna, quamvis Menapia, & deterior Cerretana, mihi tamen erit gratissima, & fiet mihi Cerretana, id est, erit instar Cerretanæ, lautis petasonem relinquo. Perna est pars coxæ porcinæ salitæ pedi proximior, una cum ipso pede. Mittebatur optima de Cerretanis Hispaniæ populis, ad montes Pyrenæos sitis, quorum regio dicitur hodie *la Cerdana*, & oppidum primarium *Puicerdam*; olim, Jugum Cerretanorum. Menapii populi erant Germaniæ, ubi nunc Juliacenses, Moguntini; vel ut quidam malunt, Brabantini.

Lauti. Delicatioris fastidii homines, divites.

LIV.

Petaso.

Musteus est; propera, charos nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Est petaso coxa porcina salita, costarum partem comprehendens: lata instar pilei Thessalici, quem πέτασον vocabant. *Musteus.* Recens, succi, & saporis plenus. Veteres enim Latini mustum appellabant, non tantum vinum recens expressum, sed etiam quidquid novum, & integrum foret. *Differ.* Vocare ad cœnam.

LV.

Colocasia.

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila manuque trahes.

Mitto tibi colocasiam (est faba Ægyptiaca, pagina 390.) olus in Ægypto notum, quod licet apud multos in pretio sit, tamen contemnes ac ridebis, cum inter edendum videbis illud in longa fila duci, & digitis tuis, ac dentibus male adhærescere.

Jesur

LVI.

Jecur anſeris.

Aſpice, quam tumeat magno jecur anſere majus,
Miratus dices: hoc, rogo, crevit ubi?

Tumeat. Farciebant illud ficis, lacte, mulſo, &c. ita ut in miram amplitudinem creſceret.

LVII.

Glires.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Glis, mus eſt ſylveſtris, & major domeſtico: hyeme tota dormit ac ſaginatur; vere exeunte, expergiſcitur. Plin. Lib. 8. cap. 52.

LVIII.

Cuniculus.

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris,
Monſtravit tacitas hoſtibus ille vias.

Cuniculus, animal agreſte & notum, domos ſub terra fodiens, tantoque proventu ferax, ut incolæ Balearium inſularum militares copias adverſus cuniculos rura peraſtantes ab Auguſto petierint. Plin. Epiſt. 55. lib. 8. *Tacitas vias.* Artem cuniculorum, & meatuum ſubterraneorum, quibus urbes capiuntur.

LIX.

Attagena.

Inter ſapores fertur, alitum primus
Jonicarum guſtus attagenarum.

Attagenæ, aves Aſiaticæ, ſaporis exquiſiti, præſertim in Jonia.

LX.

Gallina altilis.

Paſcitur & dulci facilis gallina farina:
Paſcitur & tenebris, ingenioſa gula eſt.

Facilis. Cicur: vel, facile parabilis. *Farina.* Maxime hordeacea, vel triticea. *Tenebris.* In obſcuro continentur gallinæ, ut facilius pingueſcant: imo illis interdum

dum oculi effodiuntur eamdem ob causam. *Ingeniosa gula est.* O gulæ artes & industriam admirabilem! quæ sciverit altilia in tenebris, & carcere saginare.

LXI.

Perdix.

Ponitur Ausoniis perdix rarissima mensis.
Hanc in lautorum condere sæpe soles.

Condere &c. Interdum tamen ponitur in lautorum mensis, ubi eam soles abdere in peram, ac domum ferre.

LXII.

Columbæ.

Ne violes teneras perjuro dente columbas,
Tradita si Cnidiæ sunt tibi sacra Deæ.

Ne columbas ede, si Veneris es sacerdos. Columbæ acræ erant Veneri, quæ Dea Cnidia vocatur, quia Cnidus, oppidum Cariæ, in Asia (*Gnido*) Venerem præcipue colebat, ostentabatque illius imaginem insigni artificio elaboratam a Praxitele.

LXIII.

Galbula.

Galbula decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

Galbula. Est avicula, quæ uvis maturescentibus capi solet. *Calamis.* Visco illitis. *Rudis.* Immatura. Cum racemi sunt adhuc virides.

LXIV.

Cattæ.

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas:
Mavult hæc Domino mittere dona Pudens.

Inter aves recensentur cattæ hoc in loco, de quibus nulla mentio apud veteres scriptores. Advectæ primum sunt e Pannonia (pag. 379.) & in Umbria Italiæ parte (p. 234.) in qua dominum & agros habebat Pudens, capiebantur. Sed eas tamen, inquit Martialis, non mittit ille Romam amicis, sed Domino, idest Domitiano, vel diviti patrono, quippe lautissimum cibum.

LXV.

Pavo.

Mirari quoties gemmantes explicat alas.
Et potes hunc sævo tradere, dure, coco?

Tra-

Tradere. Dare interficiendum, & menſæ apponendum. Cum pavo tam pulcra præbeat ſpectacula, mactandus profecto non eſt; ſervire oculis, non gulæ, debet.

LXVI.

Phœnicopterus.

Dat mihi penna rubens nomen; ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit, quid ſi garrula lingua foret?

Cur hæc avis ita dicatur, docui p. 167. verſu 14. *Garrula*. Loquax, loqui docilis, ut pſittacorum. Si mihi talis eſſet lingua, quanto eſſem pretioſior?

LXVII.

Phaſianus.

Argiva primum ſim tranſportata carina:
Ante mihi notum nil, niſi Phaſis, erat.

Argonautæ (pagin. 174. 327.) dicuntur primi Phaſianum e Colchide (p. 22.) attuliſſe: *Phaſis*. Colchorum in Aſia fluvius.

LXVIII.

Gallinæ Numidicæ.

Anſere Romano quamvis ſatur Hannibal eſſet:
Ipſe ſuas nunquam barbarus edit aves.

Romano. Quia Capitolium ſervarat: (p. 438.) vel, quia illius jecur inter ciborum delicias erat Romæ. Supra ep. 56. *Suas Aves*. Gallinas e Numidia, parte Africæ, allatas. *Numquam*. Quia nondum erant Romanis menſis uti nunc ſunt, cognitæ. Carpit luxum Romanorum.

LXIX.

Anſer.

Hæc ſervavit avis Tarpeii templa Tonantis.
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

Servavit. Galli. Brenno duce, cum Romam naſcentem expugnaſſent, arcem Tapejam (pag. 206. 349.) conſcendebant, ſopitis cuſtodibus, anſeris clangore proditi ſunt. *Miraris*? Quid mirum tunc ab anſere ſervatum Capitolium, cum eſſet humanum opus, templum ab hominibus conditum? nunc, neque anſere iſto, neque alio cuſtode eget, quia Dei opus eſt; nempe ipſius Domitiani. Ille ſe Deum appellari jubebat, & capitolium incendio deformatum inſtauraverat, ac munierat.

LXX.

Grues.

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Unum perdideris si Palamedis avem.

Grues cum volant, ac maria transmittunt, ut calidiora loca petant, trianguli, seu litteræ græcæ Delta, formam efficiunt: (pag. 427.) quod Palamedes Nauplii, Eubœæ regis filius, cum observasset, hanc litteram inveniſſe dicitur. *Turbabis versus.* Lineas trianguli, & ordines gruum volantium confundes, neque totum delta efficietur, si unam sustuleris ex illis gruibus.

LXXI.

Rusticula.

Rustica sum perdix: quid refert? si sapor idem est,
Carior est perdix; sic sapit illa magis.

Rusticula est avis e perdicum genere, longo rostro & recto. *Quid refert?* Quid interest, quod sim perdix rusticana, & agrestis, si sapor idem est mihi, ac aliis perdicibus? sed nimirum sapit magis, suavior est, perdix alia, quia majori pretio constat. *Sic.* Quia carior est. *Pretiosos cibos*, inquit Seneca, *non eximius sapor, sed raritas & difficultas parandi facit.*

LXXII.

Cycnus.

Dulcia defecta modulantur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

Defecta. Deficiente, moribunda. Pag. 442.

LXXIII.

Porphyriones.

Nomen habet magni volucris tam parva, Gigantis,
Et nomen Prasini Porphyrionis habet!

Avis porphyrio, par est gallinæ altili, crura tamen habet longiora, & rubore purpureo splendentia. Porphyrion fuit unus e Gigantibus: Item auriga quidam Neroni charus, qui etiam Prasinus appellabatur, fortasse quia princeps factionis Prasinæ (de qua l. 4. ep. 31.) Quidā libri habent *Purpureonis*: Purpureo idem latine significat quod Porphyrio, græce: πορφύρα, purpura.

Mul-

LXXIV.

Mullus.

Spirat in advecto, ſed jam piger æquore mullus
Langueſcit: vivum da mare, fortis erit.

Spirat. Vivit quidem mullus in *advecto æquore* ideſt, piſcina, vivario: vel aqua marina cum piſce advecta: ſed in ea tamen languet, iners & fere mortuo ſimilis. *Vivum.* Verum, patens & apertum.

LXXV.

Muræna.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exuſtam mergere ſole cutem.

Muræna eſt piſcis anguillæ ſimilis: capitur maxime in freto Siculo; & cum eſt admodum pinguis, natare ſolet in ſummo mari, ac tergum ſoli exponere, quod ita calore aduritur, ut movere ſe deinde muræna, & immergere mari nequeat, ac manu facile capiatur.

LXXVI.

Rhombus.

Quamvis lata gerat patella rhombum;
Rhombus latior eſt tamen patella.

LXXVII.

Oſtrea.

Ebria Bajano veni modo concha Lucrino:
Nobile nunc ſitio luxurioſa garum.

Ebria. Pinguis, ſatura. *Bajano*, pag. 65. 209. *Lucrino*, p. 67. *Veni.* Romam advecta ſum. *Concha.* Teſta oſtreum. *Garum*, pag. 318. Senſus eſt. Dum viverem, aquis contenta fui; nunc mortua condiri amo nobili garo. *Luxurioſa.* Delicata: laute condienda.

LXXVIII.

Squilla.

Cæruleus nos Liris amat, quem ſylva Maricæ
Protegit: hinc ſquillæ maxima turba ſumus.

Squilla eſt piſciculus, gregatim natans. *Liris.* Fluvius Latii, p. 498. *Maricæ*, p. 498. nota 9. *Hinc.* Ex hoc flumine, ex hac ripa maritima prodimus ſquillarum agmen ingens. *Squillæ.* Legitur etiam *Scyllæ.*

Sca-

LXXIX.

Scarus.

Hic ſcarus æquoreis qui venit obeſus ab undis,
Viſceribus bonus eſt: cetera vile ſapit.

Scarus. Piſcis exquiſitus, quem Ennius vocabat cerebrum Jovis. *Viſceribus* &c. Habet jecur egregium, & optimi ſaporis: ceteras corporis partes inſulſas.

LXXX.

Caracinus.

Princeps Niliaci raperis, Coracine, macelli:
Pellææ prior eſt gloria nulla gulæ.

Corvus piſcis, κορακῖνος, principatum obtinet inter piſces Ægyptios. *Raperis*. Ab emptoribus. *Pellææ*. Alexandrinæ: Alexander Magnus, Alexandriæ conditor, vocatur Pellæus a patria Pella urbe Macedoniæ. Nullus piſcis eſt nobilior Coracino, & menſis Alexandrinis gratior.

LXXXI.

Echinus.

Iſte licet digitos teſtudine pungat acuta,
Cortice depoſito mollis echinus erit.

Echinus Piſcis eſt, acutis, inſtar telorum, ſetis armatus. *Teſtudine*. Putamine, concha, teſta. *Cortice &c.* Si detrahas ipſi ſquamas, erit mollis, & innoxius.

LXXXII.

Murices.

Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas
Induis; & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

Noſtro. E ſanie, ſive cruore muricis piſcis egregia purpura tingitur. De Lacernis dictum p. 114. 179.

LXXXIII.

Gobius.

In Venetis ſint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius eſſe ſolet.

Venetis. Italiæ populis, ad oram intimi ſinus Adriatici. *Principium &c.* Inde Gobii laus, quod in lautis etiam conviviis, primo loco apponatur.

LXXXIV.

Lupus.

Lanetus Euganei lupus excipit ora Timavi,

Æquo-

Æquoreo dulces cum ſale paſtus aquas.

Laneus. Cujus alba, & mollis, inſtar lanæ, eſt caro.
Euganei p. 192. *Timavi* p. 192. *Æquoreo &c.* Præcipuo erant in pretio lupi, qui caperentur in oſtiis fluminum: illi enim marinis aquis paſcebantur, & flumineis abluebantur.

LXXXV.

Aurata.

Non omnis laudem pretiumque aurata meretur.
Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.

Ita vocatur hic piſcis ab aureo colore capitis. Ait eum eſſe in pretio, qui verſetur in Lucrino lacu (p. 66.) & ibi minutis piſciculis conchа incluſis paſcatur.

LXXXVI.

Acipenſis.

Ad Pallatinas acipenſem mittite menſas:
Ambroſias ornent munera rara dapes.

Pallatinas. Imperatorias p. 232. *Ambroſias*. Divinas, Cæſareas. P. 183.
Rara. Lege Horat. Lib. 2. Serm. Sat. 2. Dicitur etiam, acipenſer; acipenſeris.

LXXXVII.

Lepus.

Inter aves turdus, ſi quid me judice certum eſt.
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Gloria prima. Suaviſſimus cibus. Legitur in quibuſdam codd. *mactea prima*, *lepus*. Eſt autem mactea, ſeu mattya, genus delicatioris, & dulciarii ferculi, p. 519. Quæ vox non tantum femineo genere effertur, ſed etiam neutro.

LXXXVIII.

Aper.

Qui Diomedæis metuendus ſetiger agris
Ætola cecidit cuſpide, talis erat.

Ætola. Meleagri. Lege p. 13. 90. *Diomedæis agris*. Ætolis. Diomedes enim fuit Ætoliæ rex, in Græcia.

LXXXIX.

Damæ.

Dente timentur apri, defendunt cornua tauros:
Imbelles damæ quid, niſi præda, ſumus?

Oryx

XC.

Oryx.

Matutinarum non ultima præda ferarum.
Servus oryx, conſtat quot mihi morte canum!

Matutinarum. Ante meridiem exhibebantur in amphiteatro venationes ferarum: poſt meridiem homines inter ſe digladiabantur. *Mane*, inquit Seneca Lib. 1. epiſt. 7. *leonibus, & urſis homines, meridie ſuis ſpectatoribus objiciuntur.*

Oryx. Capra quædam Africana, immanis acuto cornu, &c. Sententia eſt. Iſte Oryx qui matutino in ſpectaculo fuit objectus canibus venaticis, & aliis, quibuſcum depugnaret, feris, in arena, quam multorum mihi canum morte conſtat! Quot canes, antequam caperetur, interfecit!

XCI.

Cervus.

Hic erat ille tuo domitus, Cypariſſe, capiſtro:
An magis iſte tuus, Silvia, Cervus erat?

Cypariſſe. Ovidius 10. Metamorph. narrat fuiſſe cuidam puero, quem Cypariſſum appellat, cervum cicurem in deliciis, cui fræna, & capiſtrum, ut equis aſſolet, injiciebat. Cum vero eum imprudens interemiſſet, ac ſibi dolore victus, necem conſciviſſet, in cypariſſum, ſive cupreſſum arborem, mutatum fuiſſe. *Capiſtro.* P. 91. *Silvia.* Soror Thyrridæ, de qua Virg. 7. Æneid. verſ. 483. Ea cervum quoque cicurem domi alebat. Cervum igitur, quem amico mittit, ab antiquitate commendat. Cervi ſunt admodum vivaces.

XCII.

Laliſio.

Cum tener eſt onager, ſolaque laliſio matre
Paſcitur; hoc infans, ſed breve nomen, habet.

Dum onager eſt tener, & recens natus; dum ſolo matris lacte paſcitur, vocatur laliſio: hoc nomen habet, dum eſt pullus, ſed non diu habet, quia cito adoleſcit, ac inſitam feritatem exercet. Eſt onager, ſylveſtris aſinus. Laliſio apud Afros gratiſſimum erat ferculum.

XCIII.

Caprea.

Pendentem ſumma capream de rupe videbis:
Caſuram ſperes; decipit illa canes.

Decipit. Quia per invias rupes evadit agilitate ſumma.

Dor-

XCIV.

Dorcas.

Delicium parvo donabis dorcada nato;
Jactatis ſolet hanc mittere turba togis.

Dorcaſ, caprea ſylveſtris eſt: facile cicuratur, ita ut pueris dari ſoleat, a quibus duci ſe & tractari ſinit. Eadem in arenam, ſeu caveam mittebatur dato ſigno a populo, quod fiebat jactatis togis, & excuſſis.

XCV.

Onager.

Puleher adeſt onager: mitti venatio debet
Dentis Erythræi: jam removete ſinus.

Mitti. Omitti, relinqui. *Dentis Erythræi* Elephantorum Africanorum. Ad Erythræum mare jacet Africæ pars, elephantorum nutrix. De onagro dictum eſt ſupra, Epig. 92. De mari Erythreo p. 257. *Sinus.* Retia, quibus non eſt opus ad venationem onagri, ut ad illam Elephantis. Jucundior erit onagri & mitior venatio.

XCVI.

Oleum Venafranum.

Hoc tibi Campani ſudavit bacca Venafri:
Unguentum, quoties ſumis, & iſtud oles.

Bacca. Oliva. *Venafri.* Eſt civitas Italiæ. Pag. 600. *Unguentum &c.* Quoties uteris unguento, oleum oles. Unguenta odorata oleo admiſto confici ſolent.

XCVII.

Garum ſcombrorum.

Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo
Accipe fæcoſum, munera chara, garum.

Quid eſſet garum dixi, pag. 318. Olim ex garo piſce fiebat: poſtea confectum eſt e ſanguine thynnorum, ſcombrorum, &c. *Fæcoſum.* Fæculentum.

XCVIII.

Muria.

Antipolitani (fateor) ſum filia thynni:
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

Con-

Confecta fui e ſanguine thynnorum, qui capiuntur ad Antipolim, (*Antibes*, urbem Galliæ maritimam, in Provincia. Si eſſem e ſcombrorum nata ſanguine, eſſem carior & nobilior, neque ad te miſſa forem.

XCIX.

Mel Atticum.

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti
Pallados a ſylvis nobile nectar, apis.

Theſei. Attici. Theſeus rex fuit Athenienſium: Hymettus, mons Atticæ, pag. 426. 427. 361. *Pallados ſylvis*. Atticis. Pallas enim Athenienſium præſes. *Nectar*. pag. 394. Mel iſtud inſtar nectaris tibi erit.

C.

Favi Siculi.

Cum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet eſſe favos.

Favi ſunt cellulæ in alvearibus, mellis receptacula. Cum mel Siculum dederis, poteris affirmare merito, eſſe mel Atticum, nihilo enim deterius eſt Siculum Attico. *Hyblæ*, p. 124. 426. *Cecropios*. p. 47. 231.

CI.

Paſſum.

Gnoſſia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi: quod mulſum, Pauperis eſſe ſolet.

Paſſum eſt vini dulcis genus, quod fit ex uvis paſſis, ſive ad ſolē expanſis & aduſtis. Paſſum igitur iſtud factum fuit ex uvis Creticis, & eo utuntur pauperes pro mulſo. Mulſum proprie fit ex melle & vino generoſo: itaque carius & nobilius eſt paſſo, quod exprimitur ex uva qualibet, affuſa etiam interdum aqua. *Gnoſſia*. Cretenſis. Gnoſſius civitas Cretæ inſulæ, (p. 101.) in qua regnavit Minos. De mulſo conſule epigramma 103. infra.

CII.

Vinum picatum.

Hæc de vitifera veniſſe picata Vienna
Ne dubites: miſit Romulus ipſe mihi.

Picatum. Pice admiſta medicatum: vel factum ex uvis picem redolentibus. Tales naſcebantur in agro Viennenſi in Gallia: (*Vienne en Deuphiné*.) Poſtea in Romano ſolo ſponte natas affirmat Plinius. *Romulus*. Vel amicus vatis quiſpiam, & nobilis caupo: vel ipſe Romæ conditor, hoc ſenſu: quod vinum iſtud antea petitum e Gallis, jam Romano in agro naſcatur.

Mul-

CIII.

Mulſum.

Attica nectareum turbatis mella Falernum:
Miſceri decet hoc a Ganymede merum.

Mulſum eſt potio confecta ex melle, & vino, vulgo Falerno, pag. 185. Ait vates turbari melle, corrumpi, & inquinari Falernum, quod inſtar nectaris a Jove bibi, miſcente Ganymede, debeat purum, & merum; non corruptum melle ac vitiatum.

CIV.

Vinum Albanum.

Hoc de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, Juleo quæ ſibi monte placet.

Cæſaris. Albanis. Pag. 177. *Juleo &c.* Vindemia quæ ſibi placet, ſe amat, uberrima eſt in monte Albano, qui Juleus vocatur, quia Julus Æneæ filius Albam condidit.

CV.

Surrentinum.

Surrentinam bibis? nec murrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina ſuos.

Si bibis vina ex agro Surrentino miſſa, noli ſumere vaſa aurea vel murrhina: (pag. 225.) Poteris ea bibere in vaſis fictilibus, nec inelegantibus factis itidem, & natis, ut ipſa vina, Surrenti. Surrentum eſt urbs Italiæ, in Piceno, maritima & ampla, *Sorrento*.

CVI.

Falernum.

De Sinueſſanis venerunt Maſſica prælis:
Condita quo, quæris, conſule? nullus erat.

Maſſica vina, & Falerna, eadem hic ſunt: quia Maſſicus mons eſt Falerno vicinus. Ab utroque prope abeſt Sinueſſa urbs Latii, (Pag. 299.) ubi hæc vina premebantur. *Nullus erat.* Adeo ſunt vetuſta vina, ut nondum eſſent creati conſules, cum in amphoris condita ſunt. Creati porro fuerunt conſules, exactis regibus, anno ab urbe condita 245.

CVII.

Setinum.

Pendula Pomptinos quæ ſpectat Setia campos,
Exigua vetulos miſit ab urbe cados.

Setia. Pag. 216. 316. *Pomptinos.* 524.

Fun-

CVIII.

Fundanum.

Hæc Fundana tulit felix autumnus Opimi;
Expreſſit muſtum conſul, & ipſe bibit.

Fundana. Fundi, urbs Italiæ (*Fondi*) *Opimi.* De Opimio conſule facta mentio P. 43. *Expreſſit.* Tanta erat illorum temporum frugalitas, ut ipſi conſules non dubitarent agros colere, ac vinum ipſi ſuum premere.

CIX.

Trifolinum.

Non ſum de primo (fateor) Trifolina Lyæo,
Inter vina tamen ſeptima vitis ero.

Mons Trifolinus, hujus vini patria, eſt in Campania prope Neapolim, hodie *Monte di S. Martino.* Dictum volunt a copia trifolii, cujus herbæ ferax eſſet. Non ſum (inquit vitis Trifolina) parens vini, quod primum ac principem habere locum debeat: habeo tamen facile ſeptimum. Sex enumeravit hactenus vini genera Martialis, quibus hoc Trifolinum, ſubjicit. *Lyæus*, pag. 72.

CX.

Cæcubum.

Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis:
Vitis & in media nata palude viret.

Cæcubi agri ſunt in Campania, prope Fundos (ſupra Ep. 108.) & Amyclas, quod oppidum erat Italiæ, inter Cajetam & Terracinam, a Laconibus excitatum. *Coquuntur.* Æſtivis ſolibus.

CXI.

Signinum.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimium ſiſtant, ſit tibi parca ſitis.

Signina. Nata in agris prope Signiam urbem olim Latii; nunc Campaniæ Romi. in ditione Pontificia. *Segni.* *Ne &c.* Parce tamen illa bibe, ne nimium ventrem aſtringant ac ſiſtant.

CXII.

Mamertinum.

Amphora Neſtorea tibi Mamertina ſenecta
Si detur, quod vis nomen habere poteſt.

Mamertini ſunt incolæ Siciliæ, qui olim, ejecti Samo, Meſſanam urbem (*Meſſina*) occuparunt: quamobrem

pro

pro Meſſanenſibus interdum accipiuntur. Senſus eſt: ſi detur tibi vinum Siculum vetus, certabit cum aliis quibuslibet etiam laudatiſſimis, eorumque nomen cum dignitate fert. *Neſtorea*. Pag. 166.

CXIII.

Tarraconenſe.

Tarraco, Campano tantum ceſſura Lyæo,
Hæc genuit Tuſcis æmula vina cadis.

Tarraco.55. Campano. Italo Falerno. *Lyæo.71. Tuſcis.p.332.*

CXIV.

Nomentanum.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum:
Si te Quinctus amat, commodiora bibes.

Meum. Quia in agro Nomentano (pag. 90.) villam habebat. *Quinctus.* An Q. Ovidius, amicus Martialis, ad quem multa extant Epigrammata? an alius quiſpiam dives, ac beatus?

CXV.

Spoletinum.

De Spoletinis quæ ſunt carioſa lagenis
Malueris, quam ſi muſta Falerna bibas:

Vetuſta vina Spoletina præferes Falernis recentibus. Præſtat vinum Spoletinum ſenex, & lãguidum, muſto Falerno. Spoletum, hodie. *Spoleto*, eſt civitas Umbriæ, in Italia.

CXVI.

Pelignum.

Marſica Peligni mittunt turbata coloni:
Non tu, libertus ſed bibat illa tuus.

Marſica. Marſi populi ſunt Italiæ, prope Pelignos (pag. 43.66.) ubi vina fæcata, & tenuia: ſervis aptiora, quam dominis. Libertus eſt ſervus donatus libertate.

CXVII.

Acetum.

Amphorá Niliaci non ſit tibi vilis aceti:
Eſſet cum vinum, vilior illa fuit.

Niliaci. Fiebat optimum acetum in Ægypto. *Vilior.* Quia ex vino non optimo conficitur acetum præſtans.

CXVIII.

Maſſilitanum.

Cum tua centenos expugnet ſportula cives,
Fumea Maſſiliæ ponere vina potes.

Cum

Cum ſportulam des centenis clientibus, quos hoc levi munere expugnas, cogiſque ad obſequia omnia tibi præſtanda; potes illis apponere, præbere, vinum Maſſilienſe, inſuave, ac fumoſum. Ita ſumptui parces, & parum ex eo bibetur. *Maſſilia*. Pag. 503.

CXIX.

Cæretanum.

Cæretana Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

Cære, ſive Cærete, oppidum olim Tuſciæ, nunc *Cervetere*. *Nepos*. Homo dives amicus Martialis. *Setina*. Pag. 316. *Tribus*. Cum paucis convivis.

CXX.

Tarentinum.

Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon,
Det pretioſa tibi vellera, vina mihi.

Aulon. Convallis prope Tarentum, velleribus, propter oves, & paſcua; nec non vitibus, abundans. Eſt etiam urbs Albaniæ, olim Macedoniæ, nunc *Valona*.

CXXI.

Unguentum.

Unguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas:
Ille habeat nummos, hæc tibi tota dato.

Hæc. Unguenta & vina, nummis omnibus potiora.

CXXII.

Roſa hiberna.

Dat feſtinatas, Cæſar, tibi bruma coronas:
Quondam veris erat, nunc tua facta roſa eſt:

Feſtinata. Studio, & arte ortas ante tempus. *Nunc tua &c.* In tuum honorem, ut ea coroneris in convivio, naſcitur, & floret etiam in ipſa bruma, medio Decembri. Eo celebrabantur Saturnalia, & iſta xenia mittebantur.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS.

EPIGRAMMATUM

LIBER XIV.

Cui nomen eſt APOPHORETA.

EPIGRAMMA I.

De iſto ſuo libello.

1. SYNTHESIBUS dum gaudet eques, domi-
nuſque ſenatus;
2. Dumq; decent noſtrum pilea ſumpta Jovem:
3. Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo,
4. Cum videat gelidos tam prope verna lacus:
5. Divitis alternas & pauperis accipe ſortes,
6. Præmia convivæ det ſua quiſque ſuo.
7. Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.
8. Quis neſcit? vel quis tam manifeſta negat?
9. Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus
10. Quos tibi pro cœlo filius ipſe dedit?
11. Vis ſcribam Thebas, Trojamve, malaſve Mycenas?
12. Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.
13. Quoviſcumque loco potes hunc finire libellum
14. Verſibus explicitum eſt omne duobus opus.

APOPHORETA. In Saturnalibus duo munerum genera mittebantur, Xenia primum: deinde ii, quibus data erant, mittebant Apophoreta, quæ inde nomen invenerunt, a verbo Græco ἀποφερω, refero, reporto, rependo. Quidam volunt fuiſſe munera, quæ ſuis quiſque tunc dabat convivis, domum aſportanda, idque ipſe Martialis indicat in hoc primo Epigrammate, verſu 6. & D. Ambroſius in exhortatione ad virgines: *Qui ad convivium magnum invitantur, Apophoreta ſecum reportare conſueverunt.*

Verſ. 1 *Syntheſibus*. Syntheſis erat genus quoddam veſtis, quo utebantur domi, ad cœnam, toga poſita, idque veſperi. Saturnalibus autem, illam

illam gestabant tota die, ac foris etiam, non domi tantum, quia per eos dies continua inter sese agitabant convivia. Erant quoque tunc omnes Pileati. Vide lib. XI. Ep. 7.

2. *Jovem*. Domitianum.

3. *Nec &c.* Nec verna, ideſt, servus, habens fritillum præ manibus, quem movet, timet spectare Ædilem, tutus Ædilem cernit. Ædiles animadvertebant in aleatores aliis, quam Saturnaliorum diebus, pag. 380. *Fritillo*. Pag. 187.

4. *Cum &c.* Cum videat instare brumam, seu extremum Decembrem, quo tempore lacus, ideſt, fontes gelidi sunt, gelu astringuntur; hoc est, cum sentiat Saturnalibus aleam esse permissam. Hæc celebrabantur mense Decembri.

5. *Alternas*. Accipe munera mutua, dari sortito solita per eos dies, a divitibus & pauperibus, alternis distichis hic descripta. Nempe pugillares citrei, de quibus est epigramma tertium, a divitibus dabantur; quincuplices, de quibus est epigramma quartum, a pauperibus, &c. idque, ut sors tulerat.

7. *Sunt apinæ, &c.* Sunt ista quidem carmina levia & exigua. De apinis & tricis dictum lib. I. Ep. 94.

9. *Madidis*. Quibus diebus vino, & epulis indulgetur.

10. *Quos*. Quos Jupiter in tuum honorem celebrari voluit, ut solaretur te cœlo ejectum & regno spoliatum.

11. *Thebas*. Bellum Thebanum, quod Argivi ad Thebas gesserunt, in quo Eteocles & Polynices fratres mutuis vulneribus periere; Illud Statius egregio carmine descripsit, quod Thebaida nuncupavit. *Mycenas*. Ubi Thyestes, Atreus, Agamemnon, regnarunt.

Malas. Ob scelera Pelopis, Atrei, Orestis, &c. pag. 161. 204. 265.

14. *Explicitum*. Finitum, pag. 567.

II.

De lemmatis.

Lemmata si quæris cur sint adscripta; docebo:
Ut, si malueris, lemmata sola legas.

Lemmata. Vim hujus vocis pete ex p. 516.

III.

Pugillares citrei.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Pugilares. Tabellæ sunt plures, compactæ, in quibus scribere licet: ita dictæ, quod pugno & manu comprehendantur. *Onus*. Essemus mensa aliqua citrea, sustinenda pede eburneo, dente elephantino.

Quin-

IV.

Quincuplices.

Cæde juvencorum domini calet area felix,
Quincuplici cera cum datur auctus honor.

Pugillares nomen sortiebantur a numero foliorum, seu laminarum eboris, citri, buxi, &c. e quibus constabant. Viliores erant quinque foliorum, utpote ponderosiores, ac idcirco pauperum erant: ea tamen dote præstabant, quod in illis scriberetur, ac denunciaretur Imperatori triumphus decretus a senatu, vel civi consulatus. Sententia est. Immolantur boves, aut ad sacrificium, aut ad epulum populo præbendum, ab eo cui honor summus, ideſt, vel consulatus, vel triumphus, datus denunciatur cera quincuplici. *Cera.* Vide sequens Epig. *Area.* Domus Imperatoris, vel civis, cui honor iste obtigit. *Auctus.* Legit Raderus, *altus.*

V.

Pugillares eburnei.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

Quibus oculorum acies erat obtusior, ut lippis, & senibus illi utebantur fere pugillaribus eburneis, & in iis atramento, vel rubrica scribebant? ligneæ vero tabellæ, in aliis pugillaribus, tegebantur levi cera, in qua graphio, sive acu ferrea & stilo, inarabantur litteræ. Porro cera ista inducta ligno, erat fere nigri coloris, qui oculos obscuritate suæ facile confundebat: in ebore autem, nigror litterarum, ob subjecti eboris candorem, oculos facilius feriebat, juvabatque.

VI.

Pugillares gypsati.

Esse putes ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis, quoties scripta novare voles,

Pugillares fiebant aliquando e membrana, quæ induci consueverat gypso vel creta, ut hodieque fit. Delebantur vero, quæ scripta erant, madefacto, & detenso gypso, vel creta. Ejusmodi pugillares, inquit poeta, locum obtinent, eorum, in quibus pagina lignea obducitur cera: ut enim complanatur, & æquatur cera, sic deletur gypsum. Consule superius Epigramma.

VII.

Chartæ vacuæ.

Non eſt munera quod putes puſilla,
Cum donat vacuas poeta chartas.

Non eſt, &c. Non debes exiſtimare leve eſſe munus, ſi poeta puras, & vacuas ad te chartas mittat: beneficium ingens, & munus dat, cum chartas nullis oneratas nugis donat. Lege Ep. 98. Libri 1.

VIII.

Chartæ epiſtolares.

Seu leviter noto, ſeu charo miſſa ſodali;
Omnes iſta ſolet charta vocare ſuos.

Vocare ſuos. Hanc vocem Romani præſcribebant in fronte epiſtolæ. Plancus v. g. Ciceroni ſuo ſalutem dat.

IX.

Loculi eburnei.

Hos niſi de flava loculos implere moneta
Non decet: argentum vilia ligna ferant.

Loculi. Capſulæ quædam ſunt obſeratæ; in iis maxime ſervabantur nummi. Eburneæ magni erant pretii. *Ligna.* Lignei loculi: ſcrinia ex acere, buxo, &c.

X.

Loculi lignei.

Si quid adhuc ſupereſt in noſtri fœce locelli,
Munus erit: nihil eſt? ipſe locellus erit.

Si quid. Si quid pecuniolæ in imo iſto loculo reſtat, dabo illud pro munere: nihil certe pecuniæ eſt: loculus ipſe dabitur, licet vilis, & ligneus; munus non magnum, at mihi non magni ſumptus. *In fœce.* In intimo fundo.

XI.

Tali eborei.

Cum ſteterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dediſſe tibi.

Eodem. Tali tum feliciſſime jacti cenſebantur, (ſive potius teſſeræ. Supra, lib. 13. Ep. 1.) cum omnes diverſam haberent faciem, ſive diverſis punctis notatam, iſque jactus dicebatur Venus. Quatuor tali vulgo jaciebantur; interdum plures. Senarius punctorum numerus, qui dicebatur etiam Senio, & Cous, felix erat: punctum

ctum vero unicum, infelix; qui Canis vocabatur, & Chius. Cum una teſſera ſinguli luſores utebantur, tunc Canis erat ille jactus, qui teſſeræ faciem dabat unico puncto notatam: cum autem pluribus teſſeris ludebatur, Canem tunc vocabant, ubi teſſeræ omnes iiſdem notatæ punctis, & numeris jaciebantur. In talis nulli erant numeri, ſeu puncta; ſed quod præſtabant in teſſeris puncta Unio, Binio, Trinio, Quaternio, Quinio, Senio, hoc idem in talis efficiebat poſitura, & ſitus ipſius tali. Cum enim talus cadebat ſuppus, ideſt, ſupinus; tunc felix erat jactus, qui Venus, ſeu Cous, ſeu Baſilicus vocabatur; cum planus jacebat, tunc infelix erat jactus, quem diximus appellari Canem, & Chium, interdum Vulturium. Cur autem jactus felix Cous dicebatur? cur infelix, Chius? Quia Cos, inſula maris Ægæi abundabat viris probis, & gnaris, Chios contra perditis, & nebulonibus. Vox Baſilicus regium ſonat, ac fortunatum, vulturius, ſeu vultur, avis damnoſa eſt, & carnivora. Venus matutinum, & fauſtum ſidus: Canicula, pernicioſum, & infauſtum. Quod ſi in talis uſurpatur nomen Unionis, ac Senionis, id translatum eſt a teſſeris, ad ſignificandum felicem jactum. Conſule Delrium in Hercule Furente. Pagina 238. & ſeqq. Adi etiam Epigram. 54. Lib. IV.

XII.

Teſſera.

Non ſit talorum numero par teſſera, dum ſit
Major, quam talis, alea ſæpe mihi.

Teſſeræ duæ vulgo adhibebantur ad ludendum; tali vero tres, aut quatuor. Hinc teſſera dicit ſe eſſe talis imparem, & inferiorem numero; ſed majorem alea, ſive damno: quia major pecunia deponi ſolebat in teſſerarum ludo, quam in talorum.

XIII.

Turricula.

Quæ ſcit compoſitos manus improba mittere talos,
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Compoſitos. Ita diſpoſitos, (vide pag. 187.) fraude ludentis, & induſtria, ut certo modo, & ſitu, eoque felici, cadant. *Si &c.* At ſi, tali, inquit turricula, (idem eſt ac fritillus, de quo) per me, ſive ex me, mittantur, luſor improbus nihil facit niſi vota, eaque inania: fraudem facere non poteſt, tantum vota fraudandi facit.

XIV.

Tabula luſoria.

Hic mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto:
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Hæc tabula dicebatur etiã alveolus, & abacus: in eaq; ludebatur teſſeris, & calculis: Sententia eſt. Hic, in hac tabula, interdum luditur teſſeris duabus, in quibus ſingulis ſummus punctorum numerus eſt ſenarius, & in duabus duodenarius. In eadem tabula interdum luditur calculis ſeu latrunculis, & tunc unus calculus a duobus aliis diverſi coloris calculis, tamquam hoſtibus, circumventus perit, tollitur e medio: ſi v.g. unus albus inter duos nigros deprehendatur. Plura de illis dixi pag. 354.

XV.

Nuces.

Alea parva nuces, & non damnoſa, videntur:
Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates.

Sæpe &c. In cauſa fuit cur cæderentur pueri, ſi ultra præſcriptum tempus luſiſſent.

XVI.

Theca calamaria.

Sortitus thecam, calamis armare memento:
Cetera nos dedimus, tu leviora para.

Sortitus. Cum forte tibi theca inter apophoreta mittetur, tu illam calamis inſtrue. *Levicra.* Calamos; pretii minoris videlicet, quam thecam.

XVII.

Calculi.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles & hoſtis erit.

Calculi, ſeu ſcrupi, ſunt proprie lapilli triti, & poliri, quales vulgo in fluminum ripis viſuntur. Illi autem ad ludum latrunculorum olim adhibebantur. *Latronum.* P. 354. *Gemmeus.* Vitreus, criſtallinus. *Miles erit.* Si opponas eum alteri calculo diverſi coloris, quem tu oppugnes. *Hoſtis.* Si eo utatur colluſor tuus, & adverſarius, ut calculos tuos capiat. Calculi ejuſdem coloris, ſunt quaſi commilitones, ac ſeſe invicem tuentur: diverſi coloris, ſunt hoſtes.

Gra-

XVIII.

Graphiarium.

Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

Graphiarium eſt theca graphiorum: graphium vero, ſtilus ferreus ima parte acutus, ſumma capitatus & planus. Ima exarabant litteras in cera, ſeu ligneis tabulis cera tectis; ſumma, complanabant eamdem ceram, & exaratas litteras delebant. *Suo ferro.* Stilis ferreis, qui ſervantur in graphiario. *Puero.* Pueri enim, cum docebantur ſcribere, utebantur graphiis.

XIX.

Dentiſcalpium.

Lentiſcum melius; ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna levare poteſt.

Melius. Subaudi, dentes levare ſeu purgare poterit. Lentiſcus ſive lentiſcum, eſt arbor, cujus lignum, in minuta fruſtra ſectum, utile eſt purgandis & fodicandis dentibus, *Frondea cuſpis.* Lentiſci ramulus præacutus. *Penna.* Calamus. Vel, ut alii legunt, *pinna*, quæ vox pennam duriorem ſignificat, vel etiam quidlibet acutum. *Levare.* Reliquiis ciborum, & ſordibus, quæ dentibus innaſcuntur.

XX.

Auriſcalpium.

Si tibi moroſa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Moroſa prurigine. Moleſto pruritu. *Verminat.* Pungitur & vellicatur interdum auris, quaſi verme admordente. *Libidinibus.* Pellendo pruritui, & titillationi.

XXI.

Acus crinalis.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus ſparſas ſuſtineatque comas.

Ne crines unguento odorato madidi inquinent bombycina reticula, & vela fronti capitique obducta, do tibi acum, quæ comas figat & ſuſtineat. Crines in quoſdam gradus, ac varias quaſi compages erigebant feminæ: imponebant etiam capiti ſerica quædam vela, quæ a comis madentibus fœdari potuiſſent, niſi fuiſſent acu fixæ comæ, atque a reticulo & velo ſeparatæ.

XXII.

Pecten ad calvum.

Quid faciet nullo hic inventura capillo,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

XXIII.

Sapo.

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos,
Captivis poteris cultior eſſe comis.

Cauſtica ſpuma. Καυστικὸν, urendi vim habens. Ita ſaponem deſcribit: cum enim e cinere, ſevo, &c. fiat, utendo labes abſtergit. Spumam autem, aqua maceratus, emittit. *Senſus eſt:* ſapo accedit, hoc eſt, rufos & igneos capillos reddit, qui color maxime placet Teutonibus, ideſt, Germanis *Captivis &c.* Sapone ſi utaris, eris cultior & ornatior, cum comis rufis, quales habent Germani & Teutones jam captivi, & ab Imperatore domiti, quam cum iis comis, quas gerunt Romani rerum domini. Teutones, inter Germanos, ii proprie vocabantur, qui attingebant Cimbros, incolebantque inſulas, Fioniam, Selandiam, &c.

XXIV.

Mattiacæ pilæ.

Si mutare paras longævos cana capillos,
Accipe Mattiacas (quo tibi, calva) pilas.

Mutare. E canis facere nigros, vel rutilos. *Mattiacas.* Mattiacum, ſeu Mattium *Marpurg.*) etiam nunc oppidum eſt nobile in Germania; Hatliæ primarium, & olim Cattorum caput. Ibi fiebant iſtæ pilæ, ſive trochiſci, & orbiculi e ſapone. *Quo tibi calva?* Modo tamen cana ſis, anuſque tantum: nam ſi eſſes calva, quo tibi conſilio, quorſum pilæ iſtæ mitterentur, cuinam uſui?

XXV.

Umbellæ.

Accipe quæ nimios vincant umbracula ſoles:
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Tua vela. Non aliena, non publica, qualia in theatro panduntur: quæ ventos vehementiores, ſolemque non vincunt: & quibus uti pro arbitrio non potes.

Can-

XXVI.

Cauſia.

In Pompejano tecum ſpectabo theatro:
Nam ventus populo vela negare ſolet.

Gauſia eſt pilei genus uſitatum Macedonibus, oras latiores habens, inſtar umbellæ. *Solet negare.* Quia vela ſpectatoribus ſuperne impoſita, disjicit, aufert, revolvit.

XXVII.

Venabula.

Excipient apros, expectabuntque leones,
Intrabunt urſos, ſit modo firma manus.

Venabulum eſt telum venatorum, ferro longo & lato. *Excipient.* Eſt verbum inſidiis aptum. Docet apros quaſi aſtu, & ex inſidiis venabulo petendos eſſe, ſolent enim illud excutere, ſi videant, ac venatorem, disjecto venabulo, adoriuntur. *Expectabunt.* Leo cominus & ab expectante venatore feriendus. *Firma.* Quia feræ declinant tela, niſi valido & certo ictu feriantur.

XXVIII.

Culter venatorius.

Si dejecta geres longo venabula roſtro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Si excuſſum tibi ſit apro & dejectum venabulum, cujus ferrum & quaſi roſtrum eſt prolixum: hic brevis culter aprum tibi certo ictu perimet.

XXIX.

Parazonium.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma tribunitium cingere digna latus.

Parazonium telum eſt a zona pendens, aut cingulum cum enſe breviori. Donabantur hoc munere Tribuni militares ab Imperatoribus. Lege Turnebum lib. 12. cap. 6. *Tribunitium*, pag 175.

XXX.

Pugio.

Pugio, quem curva ſignat brevis orbita vena,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Pugio. Sic dictus est, quod punctim feriat. *Venis*. Pugionis laminæ lineis quibusdam, ferro impressis, erant ornatæ. *Orbita*. Ductus, sulcus, *Salo*. Fluvius Hispaniæ, cujus aqua vim præcipuam habet ad arma tingenda.

XXXI.

Falx.

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus:
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Me. Quæ olim ensis eram. *Ducis*. Imperatoris. *Placidos in usus*. Ad segetem v. gr. demetendam.

XXXII.

Securicula.

Cum fieret tristis solvendis auctio nummis,
Hæc. quadringentis millibus empta fuit.

Auctio. Pag. 80. 423. *Solvendis nummis*. Ut e venditis bonis alicujus debitoris, æs ejus alienum dissolveretur. *Quadringentis millibus*. Libris Turon. 40000. Mirum securis exiguæ pretium, utrum propter operis artificium? an artificis nobilitatem?

XXXIII.

Feramenta tonsoria.

Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis;
Unguibus hæc longis; utilis illa genis.

Hæc arma. Nimirum forfices longiores, ad tondendas comas. *Unguibus &c.* Breviores forfices seu cultellus, ad ungues resecandos. *Illa*. Novacula, qua raduntur genæ.

XXXIV.

Scrinium.

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittent tineas truceſque blattas.

Constrictos. In me inclusos. Vel, in fasciculum collectos. *Tineas*. Scrinia vulgo fiebant e cedro, quod ligni genus incorruptum: aut oleo cedrino illinebantur, quo arcebantur tineæ, ac blattæ, chartarum pestes.

XXXV.

Calami.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Hæ-

Habiles. Idoneos, utiles. *Calamos*. Arundine. *Memphiticæ*. Ægyptia, pag. 2. *Texantur &c.* Tecta, fastigia domorum, texantur a te reliqua palude; idest, ex aliis arundinibus ad scribendum non ita commodis, quæ in Ægypti paludibus crescunt; illis poteris operire domos, & contexere: istis vero uteris ad scribendum.

XXXVI.

Candela.

Ancillam tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

Sors tibi, o pauper, dedit candelam, quæ lucerna multo vilior est, ejusque dici ancilla potest: ut pauper femina divitis ancilla est. *Tutas* Candela tutum te noctu præstat, a latronibus, ab hostibus: ne offendas, ne corruas. *Sors*. Munera, quæ mitterent, legebant sorte.

XXXVII.

Lucerna polymyxos.

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

Myxas, μύξα ellychnium est, sive canaliculus, in quo est filum, quod lucernæ inseritur, & ignem concipit, quia e lucerna prominet instar naris. Vox enim μύξα significat nares: lucerna πολυμύξου, quæ habet plura ellychnia, & plures quasi nasos.

XXXVIII.

Cereus.

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes.
Subducta est puero namque lucerna tuo.

Subducta. Furto rapta. *Puero*. Servo.

XXXIX.

Candelabrum Corinthium:

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Nomina &c. Candelæ dederunt nobis nomen vetus, ut a candelis candelabra diceremur, quia candelas gerebamus. *Uncta*. Quia oleo vivit: atque adeo majoris impendii, quam candela, est. *Patres*. Majores nostros. De ære Corinthio, ex quo fiebant candelabra, dixi p. 451.

XL.

Candelabrum ligneum.

Esse vides lignum; serves nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Lignum. Hoc e ligno constare candelabrum vides. *Serves* &c. Ni caveas ne candelę urant ipsum candelabrum. *Magna*. Nempe ardebit ipsum candelabrum, & tæda fiet.

XLI.

Pila paganica.

Hæc quę difficili turget paganica pluma.
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Paganica. Pag. 190. 135. *Difficili*. Stipata, & densa. *Minus arcta pila*. Laxior pila communi, quæ vilibus panniculis compactis, & consertis farta est, atque adeo arctior, & durior. *Folle*. Pag. 190.

XLII.

Pila trigonalis.

Si me mobilibus scis expulsare siniſtris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

De hac pila fuse dixi pag. 190. & 135. *Siniſtri*. Dextra, & siniſtra pellebatur, imo sæpius siniſtra. *Redde pilam*. Abstine a ludo.

XLIII.

Follis.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Folle, p. 190. Cur pueris, & senibus conveniat, dixi eodē loco.

XLIV.

Harpaſta.

Hæc rapit Antæi velox in pulvere draucus
Grandia qui vano colla labore facit.

Harpaſta (p. 290.) facile rapiuntur a drauco, ideſt, forti, & valido viro, qui sit velox, & exercitatus in pulvere Antæi, hoc est, in arte gladiatoria, in qua excellebat Antæus. P. 270. 473. Opus erat viribus, & magna contentione, ut harpastum eriperetur. *Pulvere*. Arena. p. 10. vel

vel palæstra p. 168. *Grandia &c.* Qui draucus, ad harpastum rapiendum, sæpe frustra collum protendit. *Vano labore.* Potest etiam exponi, labore inutili & exercitatione otiosorum propria, qualis erat istorum lusorum & palæstritarum.

XLV.

Halteres.

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros:

Halteres. Massæ quædam erant plumbeæ, aut lapideæ, quæ ab athletis artollebantur, exercitationis causa, & ex uno loco in alium transferebantur. Vel levia quædam pondera, quæ manu continebant, ut facilius saltarent, ab ἅλλομαι, salio. De priori halterum genere videtur hic loqui Martialis. Cur, inquit, tot valentes viri hoc inani ludo tempus terunt, ac vires & lacertos male perdunt, quos in excollendis vitibus melius collocarent?

XLVI.

Galericulum.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Ceroma. Unguentum e cera & pulvere confectum. pag. 181. *Lutet.* Lutosum ac pingue reddat. *Pelle.* Ex qua confectum galericulum, & cui assuta erat coma adscititia. Libri 12. 37.

XLVII.

Strigiles.

Pergamus has misit, curvo destringere ferro.
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Strigilis, a stringendo, tergendove corpore dicta. Pergamus (*Pergamo*) Asiæ urbs duplex ejusdem nominis fuit. p. 249. *Curvo.* Strigiles in modum falcis erant factæ: longæ duos circiter pedes latitudine pollicis: rotundo manubrio sex pollices longo, reliqua parte cava & incurva, interdū ornata eboreo strito & fulcato, ut commodius deraderetur sudor. *Destringere.* Imperativus est passivæ vocis: cura ut destringaris. radaris sæpius: minus sullone indigebis, quia sudor tuas vestes non inquinabit.

XLVIII.

Guttus corneus.

Gestavit modo fronte me juvencus,
Verum rhinocerota me putabis.

Guttus, vasculum est, ex quo oleum funditur; fiebat vulgo, & adhibebatur a pauperibus factus e cornu taurino: talis sum, inquit iste guttus, attamen adeo eleganter, & affabre sum factus, tantæ molis, ut putes me factum esse ex cornu rhinocerotis, quali divites utuntur. Rhinoceros, quæ bellua sit, disces p. 10. 19.

XLIX.

Rhinoceros.

Nuper in Ausonia Domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Domini. Domitiani Imperatoris. *Arena.* Pag. 10. *Ausonia* 8. *Hic &c.* Idem ille Rhinoceros (sive illius cornu) erit tibi vasculum olearium, qui cum tauro pugnans, cum ut pilam jactabat. Pag. 10. 18. Rhinoceros hoc in loco sumitur pro gutto facto e cornu Rhinocerotis. Juvenal. Sat. 7. *magno cum Rhinocerote lavari qui solet.* Vide superius Ep. Legunt quidam, *Hic erat ille.*

L.

Crepitaculum.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Vernula. Infans natus domi tuæ, ex ancilla. *Sistra.* Erant proprie tinnula quædam crepitacula, quæ agitatione crebra sonitum edebant; a σείω, quatio: ab Ægyptiis usurpata, maxime in sacris Isidis.

LI.

Flagellum.

proficies nihil, hoc cædas licet usque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Si agitas equos, & unus es de factione Russata, seu purpurea, nihil proficies, numquam vinces Prasinos agitatores, licet usque & usque verberes hoc flagello tuos equos. Factiones illæ a nobis explicatæ sunt Lib. 7. Ep. 31. & Lib. 11. 19. Prasinis favebat Martialis.

LII.

Dentifricium.

Quid mecum est tibi? me puella fumat:
Emptos non foleo pulire dentes.

Loquitur dentifricium ipsum, & vetulam, quæ emptis dentibus gaudeat, arguit, seque alteri feminæ be-

ne

ne dentatæ dari rogat. Est autem dentifricium instrumentum quoddam, volsella, scalpellumve, fricandis ac purgandis dentibus inventum.

LIII.

Myrobalanum.

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, & ex balano.

Myrobalanum est nux odorata quædam, unde unguentum exprimitur, μύρον, unguentum; βάλανος, glans: ea porro vox non reperitur apud Homerum, nec Virgilium, quia tres medias syllabas breves habet.

LIV.

Aphronitrum.

Rusticus es? nescis quid Græco nomine dicar?
Spuma vocor nitri. Græcus es? Ἀφρονίτρον.

Rusticus es, &c. Si ignoras quid nomen meum præfixum in titulo, nempe *Aphronitrum*, significet; si græce nescis, explicabo: spumam nitri significat. Quod si græce scias, sufficit tibi titulus ad epigrammatis intelligentiam. Nitrum est genus quoddam salis, quod adhæresit parietibus humidis, locis subterraneis, &c. aliud fossile, aliud artefactum, &c. Ejus partes subtiliores, flos nitri, seu spuma nitri, dicuntur, Aphronitrum, ab ἀφρός, spuma, & νίτρον, nitrum.

LV.

Opobalsamum.

Balsama me capiunt, hæc sunt unguenta virorum:
Delicias Cosmi vos redolete nurus.

Sum succus ex arbore balsamo expressus: quem arbor ista continet, ὀπός, succus, βάλσαμον, balsamum.

Delicias Cosmi &c. Alia unguenta, veluti ex nardo, amomo, &c. feminis conveniunt. Cosmus erat insignis unguentarius, pag. 434. Habent quædam exemplaria, *Delicias Nini*. Ninus Assyriorum rex; ob luxum & delicias male in historiis audit. *Nurus*. Pag. 221.

LVI.

Lomentum.

Gratum munus erit, sciſſo nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

Est

Est lomentum, farina e fabis, quæ rugas obducit, expletque. Si petes Stephani (erat balneator notus) balnea de die, & operam dare velis ne scissa, ideft, rugiosa, tua cutis apparea:, ac risum moveat, utere lomento.

LVII.

Laterna cornea.

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

Clausis Flammis. Lucernam ardentem clausam continens. *Aurea*. Auro ornata, vel splendida, & aurea luce fulgens.

LVIII.

Laterna e vesica.

Cornea si non sum, numquid sum fuscior? aut me
Vesicam, contra qui venit, esse putat?

Fuscior. Obscurior. *Contra qui venit*. Qui occurrit, viator. Nemo me factam e vili vesica putet.

LIX.

Fistula.

Quid me compactam ceris, & arundine rides?
Quæ primum structa est fistula, talis erat.

Quæ primum &c. Reperta fistula dicitur a Pane Deo pastorum, & compacta ex arundinibus imparibus, cera conjunctis. Virg. eclog. 2. versu 32.

LX.

Tibia.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis:
Sæpe duas patitur, sæpe monaulon habet.

Tibicina. Mulier tibiam inflans. *Rumpit*. Magna voce implet. Hæc tibicina tibiam aliquando geminam habet, inflatque; aliquando simplicem; μόνος, solus; αὐλός, tibia. Ebria porro dicitur, quia cantores, & tibicines multo utuntur vino. Duæ tibiæ conjunctim sæpe inflabantur apud Romanos. Vide annotationes nostras in Terentium expurgatum, in ipso Andriæ & Hecyræ limine.

LXI.

Soleæ lanatæ.

Defuerit si forte puer, soleasque libebit
Sumere: pro puero proderis ipse tibi.

So-

Soleæ vulgo fiebant e corio: illas antequam lavarent, aut mensæ accumberent, exuebant, pueroque servandas tradebant. Si careas, inquit, servo ad soleas tuas & crepidas gestandas; sume laneas, quas ipse ferre in pera, &, cum ad mensam accumbes, retinere possis. Noa indigebis servo: ipse tibi servus eris. Ejusmodi soleæ, cum essent puræ, nec lectos inquinarent, poterant gestari in lectulis, in quibus strati accubabant.

LXII.

Muscaria pavonina.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Flabella, quibus abigerentur muscæ, fieri solebant a ditioribus, e pavonis cauda.

LXIII.

Copta Rhodia.

Peccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam quam tibi misit, edat.

Copta, erat placentæ, seu panis genus quoddam, cui nonnulla, quæ tunderentur, (ut ipsum vocabulum indicat, κόπτω enim Græcis est, *percutio*, *tundo*) miscebantur, ut nuclei pinei, amygdalæ: Copta porro durissima afferebatur Rhodo, ita ut dentes, nisi bene firmos, elideret. Edat igitur servus flagitiosus coptam, satis pœnarum dederit: non erit opus ei pugno dentes tundere. *Rhodos*. Pag. 208.

LXIV.

Porcus.

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes, ilice pastus apros.

LXV.

Muscarium e cauda bubula.

Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levis.

Muscarium. Ea vox in hoc loco non significat instrumentum ad muscas abigendas, sed ad excutiendum e veste pulverem, quod vulgo e setis porcinis conficitur.

LXVI.

Botulus.

Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

Bo-

Botulus, seu botellus, genus est farciminis, pag. 277. Ait igitur eum quem amico mittit, ad se ante Saturnalia esse missum, atque adeo esse optimum. Solebant enim ista farcimina ineunte hyeme fieri, neque laudabantur, si essent recentiora. *Medio &c.* Saturnalibus, quæ medio Decembri celebrabantur, per dies septem. Olim uno die peragebantur: Cæsar duos adjecit, Augustus quartum diem addidit, quintum Caligula: præterea Sigillaria duos dies obtinebant, ac proxime post Saturnalia celebrabantur. Erant autem Sigillaria festa quædam, quibus sigilla, idest, exigua signa, seu statuæ, muneri mittebantur inter amicos.

LXVII.

Psittacus.

Psittacus a vobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere, *Cæsar ave.*

Per me. Nullo docente. V. Persii prologum. *Quis expe-* | *divit psittaco suum xαῖρε? &c.* ac nostras eo loci notas.

LXVIII.

Luscinia.

Flet Philomela nefas incesti Tereos: & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Philomela. Pag. 512. *Tereos.* Pag. 105. 271.

LXIX.

Pica.

Pica loquax certa dominum te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis avem.

Esse negabis avem. Hominem esse credas.

LXX.

Cavea.

Si tibi talis erit, qualem delecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Talis. Subaudi: passer. Lesbia, Catulli amica, passerem eximium habuit, quem mortuum immortalibus ver- | siculis Catullis flevit. Est autem cavea septum ligneum quo aviculæ includuntur. *Catullo.* Pag. 33.

LXXI.

Narthecium.

Artis ebur medicæ narthecia cernis habere
Munera, quæ cuperet Paccius esse sua.

Nar-

Narthecium. Est capsa, seu theca medicamentorum plena: unde chirurgi depromunt quod in rem opus est. Fiebat primum e ligno cujusdam arboris, quam Latini ferulam, Græci νάρθηκα, vocant, unde illi nomen, etsi ex ebore postea, aut buxo esset. Sententia est: Cernis istam pyxidem eburneam, arti medicæ, & medicis aptam continere in se unguenta, & pharmaca, vel ipsi Paccio expetenda. Erat ille præstans chirurgus. Legitur etiam aliter hic versus: *Narthecia cernis, habebis munera, &c.* Vides hanc pyxidem? Habebis a me hoc munus, quod tale est, ut illud suum esse vellet Paccius.

LXXII.

Flagra.

Ludite lascivi, sed tantum ludite, servi:
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Lascivi. Petulantes, protervi. *Tantum lud te*. Nolite quidquam aliud flagitii gravioris admittere: vobis enim impune non esset. *Hæc*. Flagra. *Signata*. Clausa, & condita. *Quinque diebus*. Per quos durabant Saturnalia, & quibus servorum scapulæ a flagris erant immunes.

LXXIII.

Ferulæ.

Invisæ nimium pueris, gratæque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Prometheo. Dicitur Prometheus ignem e cœlo furatus esse, admota solis currui ferula. P. 9. Est autem ferula, arbuscula tædæ similis, & igni concipiendo apta.

LXXIV.

Pera.

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat, & tetrico cum cane, pera rogat:

Hæc pera rogat ne detur alicui philosopho Cynico, & ejus prandium mendicando corrogatum, ferat, cumque illo dormiat. Cur Cynici canes vocarentur, causam attuli p. 205. Iidem barbam insigniter alebant, ac pro omni supellectile ferebant scipionem, & peram; erantque fere nudi, ac uno pallio contenti. Tunicam ad pallium addebant Stoici. *Tetrico*. Morosо, tristi, horrido.

LXXV.

Scopæ.

In pretio scopas testatur palma fuisse:
Sed pretium scopis nunc analecta dabunt.

Pal-

Palma. Ex ejus enim ramis olim scopæ fiebant; atque adeo erant ob ipsam materiam, pretiosæ. *Sed &c.* Istæ nostræ scopæ sient pretiosæ, quia pretiosas conviviorum reliquias colligent. *Analecta*. Ciborum reliquias. Pag. 328. Legitur etiam sic iste pentameter: *Otia sed scopis nunc analecta dabit*. Non indigebimus scopis, quia analecta, ideſt, servus reliquias colligens, ὁ ἀναλοκάτος, fungetur officio, & vice scoparum.

LXXVI.

Scalptorium.

Defendet manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Scalptorium. Instrumentum quoddam erat ex ære aut argento, instar strigilis, quo dorsum scalpebant; & scapulas, ad quas manus pertingere non potest, fricabant. *Si quid &c.* Pediculus.

LXXVII.

Manuale.

Ne toga barbatos faciat vel pænula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Erat *manuale* thæca quædam lignea, & involucrum, quo libri papyracei involvebantur, ne, si togæ affricarentur, fierent pilosi, ac detererentur. *Barbatos*. P. 70.

LXXVIII.

Lectus pavoninus.

Nomina dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Junonis avis; sed prius Argus erat.

Sponda est lecti latus, seu tabulæ, quæ utrinque lectum sustinent, & claudunt. Tabulæ porro citreæ magno erant in pretio; quæ undatim crispatæ, ut ait Plinius, oculos caudæ pavoninæ imitarentur. *Avis*. Pavo: in quem Argus mutatus est. Ovid. 1. Metamorph.

LXXIX.

Ephippium.

Stragula succincti venator sume veredi:
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

Stragula. Proprie sunt vestes, quibus lecti insternuntur. Hic pro ephippio, & pannis equorum dorso injici solitis; accipitur ea vox. Veredus est hic equus celerior, vulgo, equus cursus publici. *Nudo*. Qui ephippio careat. *Ficus*. Morbi, & ulceris genus. P. 67.

Sti-

LXXX.

Stibadium.

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma:
Octo capit; veniat, quiſquis amicus erit.

Stibadium lectus erat, in quo ad menſam accumbebant. Factum nomen a voce græca στιβὰς, στιβάδος, quæ proprie ſignificat molliorem herbam, inſtar tomenti, qua iſti olim lecticuli erant farti. Idem dicebatur etiam figma. Cauſam attuli p. 509. Senſus diſtichi eſt: accipe hoc ſtibadium præferens, & repræſentans litteram ſigma, in eo, videlicet confectum e ligno curvato in modum lunæ creſcentis, & putaminibus teſtudinum ornato. Honoratiſſimus erat ſtibadii locus cornu dextrum; proximus ſiniſtrum. Lib. 10. Ep. 44. *Amicus*. Tales invitari decet.

LXXXI.

Guſtatorium.

Femineam nobis cherſon ſi credis ineſſe,
Deciperis: pelagi maſcula præda ſumus.

Guſtatorium. Erat menſula, in qua ponebatur guſtus, ſive leviora fercula. Lib. 11. Ep. 17. & 30. Hæc menſa vulgo ſectis in tenues laminas teſtudinum ſquamis ornabatur. Teſtudo duplex: altera nuncupatur terreſtris, ſeu cherſos, & cherſina, (σοσδίνη terra) eſtque molliori, & vilior, unde etiam feminea vocatur: altera marina, & major meliorq; unde maſcula dicitur. Loquitur ipſum guſtatorium, & ait ſe non tectum eſſe aliqua cherſo, & feminea teſtudine, ſed marina, & maſcula.

LXXXII.

Menſa citrea.

Accipe felices, Atlantica munera, ſylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Atlantica. Atlas mons Mauritaniæ, in quo multæ citri. P. 368. *Sylvas*. Menſam e lignis, citriſque ſylvarum Atlanticarum. *Aurea dona*. Poma aurea, ex hortis Heſperidum Atlantis filiarum. P. 18. Vel, menſam ex auro conſtantem, auream totam.

LXXXIII.

Menſa acerna.

Non ſum criſpa quidem, nec ſilvæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Ac r

Acer est arbor nota. Ex ea mensæ conficiebantur non ignobiles. *Crispa*. Mauri fere crispos, & cirratos habent crines. Indicat vox ea quasdam venas in citro, nuce, & aliis id genus arboribus, istar cincinnorum expressas, & intortas. Vide supra Ep. 78.

LXXXIV.

Dentes eborei.

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris
An Libycas possint sustinuisse trabes?

Taurorum. In amphitheatro elephanti jactabant dentibus tauros, instar pilarum. P. 10. *Trabes*. Mensas ligneas e citro, &c. Iis enim sustinendis adhibebantur dentes elephanti.

LXXXV.

Quincupedal.

Puncta notis ilex, & acuta cuspide clausa
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

Quincupedal. Ita vocabatur mensura quædam lignea pedum quinque, ut decempeda, mensura pedum est decem, &c. in ea singuli pedes, & pollices punctis, & lineolis quibusdam, ut in mercatorum ulnis hodieque fit, notabantur, & in imo cuspis erat. *Puncta*. Notata, incisa. *Ilex*. Pertica illigna pedum 5. *Redemptoris*. Eius qui opus aliquod, v. g. domum faciendam, sternendum lignis tessellatis pavimentum, &c. suscipit certi pretii pactione. Eius fraudes regula, & mensura detegit.

LXXXVI.

Pocula archetypa.

Non est ista recens, nec nostri gloria cœli:
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

Archetypa. Pag. 324. *Cœli*. Pag. 531.

LXXXVII.

Calices vitrei.

Nos sumus audacis plebeja toreumata vitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Toreumata, P. 203. *Audacis vitri*. Pretioli calices timide tractantur. P. 545. Vel, quia audemus calidam ferre, quam ipsa crystallina nobis longe nobiliora, non ferunt. Vitrum crassius, & plebejum calida non vitiatur, non rumpitur. *Gemma*. Vitrum vide, ironice.

Phia-

LXXXVIII.

Phiala aurea calata.

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam meus iste labor.

Callaico. Pagin. 198. *Meus*. Iste labor me commendat: ars me pretiosam facit, non aurum nudum & inelaboratum. Legit Raderus *Myos*. Mys fuit priscus colator insignis. Pag. 391. 400.

LXXXIX.

Calices Vatinii.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Vatinii. Sutoris Beneventani, pag. 478. *Ille*. Ipsius Vatinii. *Longior*. Quam ora ipsa, & rostra calicum.

XC.

Lances chrysendetæ.

Grandia ne viola parvo chrysendeta mullo:
Ut minimum, libras debet habere duas:

Tam pretiosis, inquit, in vasis non debent apponi viles dapes, nec nulli (pag. 118.) nisi bilibres: aliter ipsæ lances violarentur, inquinarentur. Mullis pretium moles præcipuum faciebat.

XCI.

Vasa Aretina.

Aretina nimis ne spernas vasa, monemus.
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Porsena, p. 41. *Lautus*. Splendidus, dives. *Tuscis*. Pag. 332.

XCII.

Bascauda.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis;
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

Bascauda est vas escarium, e Britannia primo allatum, deinde Romæ factum, & usurpatum. *Pictis*. Ora cæruleo colore inficiebant Britanni. Pag. 557.

XCIII.

Panaca.

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Petasti testa Rhætica vina mea.

Ter-

Terra Catulli. Verona, Catulli patria. Ibi testæ fiebant, seu fictiles amphoræ, in quibus vinum Rhæticum condebatur. Rhæti sunt populi Germaniæ Subalpinæ, ubi nunc Grisones, &c. Panaci vero populi sunt Rhætiæ, a quibus nomen ejusmodi testis factum.

XCIV.

Boletaria.

Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis (pudet, heu) servio coliculis.

Patina erat qua boleti, seu fungi præstantes, inferebantur in mensam, *Prototomis*. Pag. 510.

XCV.

Calices Surentini.

Accipe non vili calices de pulvere natos:
Sed Surrentinæ lęve toreuma rotæ.

Pulvere. Argilla. *Surrentum* est urbs Picentinorum, in Italia, ad mare Tyrrhenum: *Sorrento*. *Toreuma*. Opus torno elaboratum. Pag. 203.

XCVI.

Colum nivarium.

Setinos, moneo, nostra nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Colum. Vas erat pertusum, cujus in medio linum tenuissimum, & purissimum, cui nix, sive glacies imponebatur, deinde super nivem leniter infundebatur vinum, & transmittebatur per linum: ita & contrahebat frigus ex nive; & si quid haberet fæcis, deponebat. Hoc vocabant colare vinum, seu percolare. Interdum colum fiebat e minutis viminibus, aut e spongioso lapide. Monet igitur colum se idoneum esse colandis vinis optimis, qualia sunt Setina (Pag. 216. 316.) vilioribus colandis sufficere lina vulgaria, saccos nivarios. *Frange*. Refrigera, vis enim vini & austeritas ita frangitur. *Trientes*. Pocula quatuor cyathos continentia.

XCVII.

Saccus nivarius.

Attenuare nives norunt & lintea nostra:
Frigidior colo non salit unda tuo,

Pau-

Pauperes ad colandum & refrigerandum vinum, sive aquam, utebantur crassiore linteo in modum sacci facto, *Attenuare*. Commi-nuere, solvere. *Salit*. Cum impetu fusa, resilit; cum strepitu transmittitur. *Tuo*. Subtili & lineo, quo uteris, o dives.

XCVIII.

Urceoli ministratorii.

Frigida non desit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

Petenti. Convivæ abunde tibi ex istis urceolis aqua frigida, & calida ministrabitur. *Morosa*. Anxia, difficili; noli esse delicatior in aqua eligenda, ad restinguendam sitim, & queri, v.g. quod sit frigidior, calidior &c

XCIX.

Urceolus fictilis.

Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa:
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

Panda. Incurva. *Ruber*. Fictilis: argilla cocta fere est rubra. *Stoicus*. Pag. 351. *Fronto*. Philosophus insignis ea tempestate. *Petebat*. Atque adeo magni æstimandus urceolus, quo tantus vir usus est. *Gelidam*. Pro sua frugalitate; quippe qui vino abstineret.

C.

Calathi.

Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

Calathi. Pag. 452. *Satyri*. Agrestes Dii caprinis pedibus, villoso corpore, naso simo. Illi floribus ferendis calathos adhibebant, ut eosdem Bacchus uvis gestandis. Et vinum in calathis, ad sacra peragenda, positum testatur Virgilius, Ecl. 5. *Ebria*. Vino e calathis hausto. *Perfusos*. Vino *Domini*. Bacchi, cujus currum tigres trahunt. *Lambere*. Cicurata nempe.

CI.

Calices Saguntini.

Quæ non sollicitus teneat fervetque minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Sollicitus. Ne cadant, ne frangantur, ne surripiantur. *Saguntino*. Saguntus, civitas Hispaniæ veteris. Pag. 202.

Ca-

CII.

Calices gemmati.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Adſpice quot digitos exuit iſte calix!

Scithicis ignibus. Smaragdis, qui præſtantes in Scythia. Lib. XII. Ep. 15.

Exuit. Ut detractæ digitis, annuliſque gemmæ, poculo inſererentur.

CIII.

Ampulla potoria.

Hac licet in gemma, quæ ſervat nomina Coſmi,
Luxurioſe, bibas, ſi foliata ſitis.

Ampulla, proprie vaſculum eſt condendis unguentis idoneum. Fiebat vulgo ex aliquo pretioſo lapide, ſeu gemma, v. g. onyche, alabaſtro, &c. Sententia eſt: o delicate, quiſquis es, ſi ſitias, ſi bibere geſtias unguenta, & vina foliata, potes in hac ampulla Coſmiana bibere.

Coſmi. Erat ille nobilis unguentarius.

Foliata. Vina foliata. Nardinum unguentum, e folio nardi, odorati fruticis, præcipue factum, foliatum vocabatur: id vino admiſcebatur, quod foliatum quoque ideo appellabatur. Unguentis utebantur non tantum ad ungendos crines, ſed interdum etiam ad potum.

CIV.

Cryſtallina.

Frangere dum metuis, franges cryſtallina: peccant
Securæ nimium ſollicitæque manus,

CV.

Nimbus vitreus.

Ab Jove qui veniet, miſcenda ad pocula largas
Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit.

Nimbus duo ſignificat: aliquando nubem, ſeu potius repentinam & præcipitem pluviam; aliquando, ut hoc in loco, vas vinarium.

Senſus eſt. Nimbus cœleſtis dabit aquam vino temperando & miſcendo; hic nimbus, hoc vas, vinum porriget.

Jove. Cœlo, aere.

CVI.

Mirrhyna.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior ſit ſapor inde mero.

Si

Si amas potare vinum calidum, hauri illud e poculis myrrhinis, in quibus & calorem ſervat; & odorem e vaſe ipſo trahit, ac ſaporem. *Myrrhina*. Pag. 225.

CVII.

Patella Cumana.

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere teſtam,
Municipem miſit caſta Sibylla ſuam.

Cumano. Pag. 436. *Pulvere*. Argilla. *Municipem ſuam*. Ex eadem urbe ortam. Pag. 216. 519. *Sibylla*. Pag. 436.

CVIII.

Calices vitrei.

Aſpicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah, quoties perdidit auctor opus!

Aſpicis, quam ingenioſe vaſa hæc vitrea facta fuerint ab Ægyptiis. Dum artifex conatur addere novum illis decus, & in novas formas fingit vitrum, ſæpe totum calicem fregit ac perdidit.

CIX.

Lagena nivaria.

Spoletina bibis, vel Marſis condita cellis;
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Vina Spoletina, (Lib. 13. Ep. 115.) vel Marſica, (Lib. XIII. Ep. 116) erant deterioris notæ. Tu igitur ſi bibis vina vilia, cur illa temperas aqua nivea, quæ magni eſt pretii, & ipſo vino tuo carior? Aquam decoquebant, ac vitreo incluſam ſcypho demittebant in nives, atque ita refrigerabant. Plin. Lib. 31. cap. 3.

CX.

Nives.

Non potare nivem, ſed aquam potare rigentem
De nive, commenta eſt ingeniosa ſitis.

Rigentem. Nive miſta refrigeratam; vel, per nivem colatam; ut dixit Epig. 95. 96. aut ſcypho, in quo ipſa eſſet, in nives demiſſo, refrigeratam. *Commenta eſt*. Excogitavit, invenit.

CXI.

Aqua nivea.

Maſſiliæ fumos miſcere nivalibus undis
Parce, puer, conſtet ne tibi pluris aqua.

Fumos. Vinum fumosum & fuscum: de quo est Epig. 118. Lib. XIII. *Puer*. Servule: aquæ minister.

CXII.

Ligula argentea.

Quamvis me ligulam dicant equitesque, patresque
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Ligulam. Pag. 242. Carpit Grammaticos, quod veritatem, non usum, secuti, ligulam dicerent: cum ab hominibus etiam elegantioribus ligula diceretur.

CXIII.

Cochlearia ligula.

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis:
Numquid scis potius cur cochleare vocer?

Erat vasculum, sive instrumentum quoddam, aptum ad capiendas, cum apponerentur, cochleas, deinde ad ova: nomen tamen a cochleis inditum retinuit.

CXIV.

Annuli.

Ante frequens, sed nunc rarus non donat amicus:
Felix cui comes est nos alienus eques!

Ante legem Othonis a Domitiano renovatam, multi nos donabant: nunc pauci & rari: felix est ille qui comitem, & patronum habet equitem verum, & germanum: ab eo quippe annulos accipiet. Equitum Rom. jus erat annulos aureos ferre, ac donare. Cum multi se pro equitibus gererent, donabant illi passim amicis annulos. L. Roscius Othu (p. 235.) legem tulerat qua cautum erat, ne quis equitem se diceret, qui non haberet in censu 400. sestertia. Unde multis ademptum nomen, & dignitas equitis male parta, & facultas adeo annulos dandi. Hanc legem, cum jam obsoleisceret, restituit Domitianus. *Non alienus eques*. Pag. 243.

CXV.

Dactiliotheca.

Sæpe gravis digitis elabitur annulus unctis:
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Dactyliotheca. Pag. 559. *Tuta &c.* Fideliter annulum tuum servabo. *Unctis*. Oleo adipem, in convivio.

Toga

CXVI.

Toga Romana.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit aſtra patri.

Ille. Domitianus. *Qui &c.* Qui ſuum parentem (nempe Veſpaſianum) in Deos retulit. Ille, inquam, Romanos vere dominos rerum ſuis victoriis facit. Vel: vere facit Romanos rerum dominos, qui illos facit Deos.

CXVII.

Toga clientum.

Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos,
Attrita veniet ſportula ſæpe toga.

Si potes mane a ſomno ſæpe excitari, venient ad te ſalutandum frequentes clientes cum attrita ſua toga, ut a te ſportulam obtineant. Vel, tu cliens ibis ſalutatum patronos, & ab iis ſportulam quidem accipies, verum togam atteres. *Toga.* Pag. 56.

CXVIII.

Endromis.

Pauperis eſt munus, ſed non eſt pauperis uſus:
Hanc tibi pro togula mittimus endromida.

Endromis. Veſtis, qua utebantur in curſu P. 189. Hæc, quia hirſuta, & villoſa, pauperum erat: tamen uſitata quoque divitibus, cum ſpectaculis intererant. Pro toga divitis ad ſe miſſa, illam reddit pauper.

CXIX.

Canuſina fuſca.

Hæc tibi turbato Canuſina ſimillima mulſo
Munus erit: gaude; non cito fiet anus.

De Canuſinis veſtibus mentio jam habita pagin. 432. Colore fuſco erant, ſeu inter fulvium, & rufum. qualis eſt color mulſi recentis. *Anus.* Detrita, obſoleta: diu colorem ſuum retinebit: non tam cito albeſcet. Lege epigramma 27. Lib. 4.

CXX.

Bardocucullus.

Gallia Santonico veſtit te bardocucullo,
Cercopithecorum pœnula nuper erat.

Quæ ſit ea veſtis docui *Santonico*. P. 469. Cercopithecus eſt ſimius caudatus. Lib. 7. Ep. 71. Simili porro interdum induuntur inſtar vernularum; imo quidam viſi ſunt equos ductare, miniſtrare menſis, &c.

CXXI.

Canuſina rufa.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis;
Et placet hic pueris, militibuſque color.

Canuſinæ. Supra, Ep. 119. *Roma &c.* Romani canuſinis penulis fuſci coloris libentius utuntur: Galli iiſdem, ſed rufis, delectantur. *Hic*. Rufus, ſive rubeus color, a militibus ideo amabatur, ut ſanguis e vulneribus defluens in veſtem rufam, & ejuſdem cum cruore coloris, minus timoris afferret. Eſt etiam pueris gratus, quia ſplendidior eſt.

CXXII.

Panula ſcortea.

Ingrediare viam cælo licet uſque ſereno,
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Scortea. E ſcorto. Scortum eſt corium, ſeu pellis animalium durior, ac denſior. *Penula*. Villoſa eſt veſtis & craſſa. *Numquam deſit*. Vide ut ſemper præſto tibi ſit. Licet enim cœlum ſit ſerenum, te iter ingrediente, turbidum, & pluvium ſubito poterit evadere.

CXXIII.

Lacerna coccinea.

Si Veneto, Praſinove faves, quid coccina ſumis?
Ne fias iſta transfuga ſorte, vide.

Si aurigæ factionis Venetæ aut Praſinæ faves, quare purpuream veſtem ſumis, non vero viridem aut cæruleam? (vide p. 298. 551.) Cave ne ille color te transfugam eſſe prodat, & aliis factionibus favere arguaris, quam Praſinæ aut Venetæ. Illis duabus Imperatores addicti erant. *Lacernæ*. P. 127.

CXXIV.

Pileus.

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Pileo

Pileo utebantur Saturnalibus, quia eſt libertatis index, cujus ferebatur auctor in primis Saturnus, ætatis aureæ parens, & Italiæ incola. Pileum autem e lacernæ parte, circum caput obvoluta, efficiebant. Ait ergo ſe partem lacernæ, quæ pileo conficiendo ſatis ſit, mittere, cum totam donare, utpote pauper, non poſſit.

CXXV.

Lacernæ Baticæ.

Non eſt lana mihi mendax, nec mutor aheno:
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

Diximus Lib. 1. Epigr. 78. lanas Bæticas, ſeu ovium quæ ad Bætim Hiſpaniæ fluvium paſcerentur, habere nativum colorem rutilum.

Mendax. Imbuta falſo, & adſcititio colore. Vir. Eclog. 4. verſ. 41. *Non mutor.* Alio quam nativo colore non inficior, injecta in ahenum; *Si &c.* Si placent lacernæ Tyriæ, tinctæ purpura Tyria, quanto magis placere debeo, quæ illis parem aut pulchriorem, ac præterea nativum, ut in ipſa eſt ove, colorem gero? *Tyriæ* Pag. 122. 286. 314.

CXXVI.

Canatoria.

Nec fora ſunt nobis, nec ſunt vadimonia nota:
Hoc opus eſt pictis accubuiſſe toris.

Pallia cœnatoria dicta ſunt a cœna, in qua ſumebantur, neque in foro, aut alibi uſpiam extra domum, niſi forte Saturnalibus, geſtabantur.

Vadimonia. Eſt vadimonium proprie ſponſio, ſeu promiſſio ſiſtendi ſe in judicio ad diem certam: pro ipſo foro ponitur ea vox in hoc loco.

Hoc opus. In ea re una operam navamus, ut cœnantes, & menſæ accumbentes veſtiamus.

CXXVII.

Lana.

Tempore brumali non multum lævia proſunt:
Calfaciunt villi pallia veſtra mei.

Lana. Villoſa veſtis & gravior: a græco λάνα, quod fit a λαντίνω *calefacio*. *Lævia.* Veſtes lineæ, ſericæ. *Pallia.* Quia pallio ſuper injiciebatur læna. *Villi.* Pili molliores.

CXXVIII.

Lacerna alba.

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Cum tegit algentes alba lacerna togas.

Albati cives ſpectabant ludos in amphitheatro edi ſolitos, & ad arcendum frigus albam lacernam togæ ſuperinjiciebant. Lacernarum ſæpe jam facta mentio.

CXXIX.

Gauſapa, ſeu mantile.

Nobilius villoſa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

Si habes citrum nobilius ideſt, pretioſas e ligno citreo menſas, illas ſane tege mantilibus, & linteis villoſis, quales ſunt gauſapæ. In meis orbibus, ideſt, in meis menſis minime pretioſis, ſufficiet mihi ligneus orbiculus, cui lagenas imponam, & dapes, ne menſa inquinetur. Nonnulli intelligunt per *circulum*, labem ſeu maculam ab adipe aut vaſe uvido notatam in menſa, iſtæ enim maculæ fere ſunt rotundæ. Eritque hæc ſententia; ego ferre menſam ſordidiorem, atque adeo carere gauſapis, poſſum. De mantili, & mappa, dictum p. 585.

CXXX.

Cuculli Liburnici.

Jungere neſciſti nobis, o ſtulte, lacernas:
Indueras albas, exue Callaicas.

Erant iſti cuculli capi um involucra (p. 59. 143. vulgo rufa, & in Liburnia) p. 59. fiebant, ac lacernis imponebantur, quæ ſi albæ forent, rufum colorem e cucullis Liburnicis ſibi impoſitis, & male tinctis contrahebant. Jam facile diſtichum explicabis: oquuntur cuculli: Male nos, o quiſquis es, impoſuiſti lacernis albis: jam albæ non ſunt, ſed rufæ, & rutilæ, quale eſt aurum Callaicum. P. 198.

CXXXI.

Udones Cilicii.

Nos hos lana dedit, ſed olentis barba mariti:
Cinyphio poterit planta latere ſinu.

Udones ſunt pedum indumenta intima: ut extima, calcei. *Cilicii*. P. 365. Sententia eſt iſtud calceamenti genus, non eſt e lana confectum, ſed e pilis hircinis. Pes tuus illis integi commode poterit. *Olentis &c.* Hirci. *Cinyphio*. P. 365. *Sinu*. Udonum vacua laxitate, in quam planta, ſeu pes, immittitur commode.

CXXXII.

Syntheſis.

Dum toga per quinas gaudet requieſcere luces.

Hos

Hos poteris cultus ſumere jure tuo.

Dum per dies quinque Saturnaliorum, toga deponi-tur, hac veſte uti poteris *Syntheſis*. Pag. 202.

CXXXIII.

Focale.

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas aſſerat auriculas.

Focale. P. 200. Si recitavero, inquit poeta, tibi libellum malum, mala carmina, moneo, & ſuadeo uteris iſto focali, non ad fauces, ut vulgo fit, protegendas, ſed ad aures, ne me audias, obſtruendas. *Aſſerat*. Defendat, protegat, claudat. Similimum Ep. leges p. 200.

CXXXIV.

Tunicæ Patavinæ.

Vellera cum ſumant Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas ſerra ſecare poteſt.

Cum tunicæ Patavinæ conficiantur ex lana multa, in iiſque licium non unicum, at triplex ſit, tam denſæ ſunt ut ſecari ſerra poſſe videantur. *Trilices*. Tribus liciis conſtantes, ſeu filo triplicato. In telis texendis, filum unum rectum eſt, quod ſtamen: alterum tranſverſum, quod licium, ſive ſubtemen vocatur, ac ſtamini implicatur. In Patavinis pannis licium e tribus filis conſtabat.

CXXXV.

Spongia.

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis
Utilis, expreſſo cum levis imbre tumet.

Sorte. Xenia, & apophoreta ita tribuebantur, ut ſortibus jactis, hoc potius quam illud munus darent. *Expreſſo*. E ſpongia compreſſa educto, & emiſſo.

CXXXVI.

Pænula.

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta eſt,
Ut me vel media ſumere meſſe velis.

Meſſe. Quamvis ſpiſſa & villoſa ſim, atque adeo aptior hyemi quam æſtati. Lege Bayſium Lipſ. Elect. lib. 1. 15.

CXXXVII.

Cervical.

Tinge caput nardi folio, cervical olebit:
Perdidit unguentum cum coma; pluma tenet,

Tinge. Unguentis caput imbuebant, maxime in convivio, *Folio*. Vide Epig. 103. *Tenet*. Retinet. Est autem cervical, pulvinus cervici subjectus, pluma fartus.

CXXXVIII.

Lodices.

Nudo stragula ne toro paterent,
Juncta nos tibi venimus sorores.

Lodix vestis genus est quo lecti stragula operiuntur: duæ vulgo erant, quæ in medio lecto jungebantur & coibant, unde sorores vocantur.

CXXXIX.

Cubicularia polymita.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Cubicularia. Aulæa, seu stragula intellige, versicolore filo & licio contexta, πολύς multus, diversus; μίτος, licium, seu filum. *Memphitis*. Ægyptia. Pag. 3. *Victa est, &c.* Panni in Ægypto texti, vincunt pannos acu Babylonia pictos. Pag. 386. Pecten est instrumentum textorium, quo densatur tela, & fila transversa urgentur & comprimuntur. Supra, Epigr. 134.

CXL.

Zona.

Longa satis nunc sum, dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam nunc tibi zona brevis.

Sed pondere &c. Cum obesus fies: cum fatur, &c.

CXLI.

Gausape quadratum.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

Lodices. Vide Epig. 138. *Terra Catulli*. Verona, pag. 34. *Helicaonia*, Patavina. Pag. 533. *Gausape*. Est mantilis, seu peristromatis genus. Vide Ep. 129.

Semi-

CXLII.

Semicinctium.

Det tunicam dives: ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Semicinctium, anteriorem hominis partem texit, a zona, aut paulo supra, pendens crurum tenus, quales sunt artificum, maxime fabrorum lignariorum, sutorumque pelles, quibus semicincti apparent; aut linteа tegmina feminarum, quæ a pectore, ceteris vestibus injiciuntur, ad munditiem, & ornatum.

CXLIII.

Lanæ amethystinæ.

Ebria Sidoniæ cum sim de sanguine conchæ,
Non video, quare sobria lana vocer.

Cum ebria sim & satura sanguine Sidonii muricis (est piscículus concha inclusus, e cujus sanguine fit purpura: Sidon, urbs maritima Phœniciæ, cujus in litore piscículus iste capitur) cur sobria lana vocor, cur habeo nomen a gemmæ ebrietatem arcere dicta, nempe amethysto? Explicui hanc vocem pag. 311.

CXLIV.

Lanæ albæ.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Primis &c. Primam laudem habent vellera Apula; secundam Parmensia: tertiam Altina. *Apulia.* Pag. 124. *Parma.* Pag. 122. 239. *Altinum.* Pag. 192.

CXLV.

Lanæ Tyriæ.

Nos Lacedemoniæ pastor donavit amicæ;
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Pastor. Paris Priami filius, quem necari statim pater jusserat, cum audivisset ipsum, si viveret, suæ patriæ exitio fore. Eum tamen clam Hecuba mater educari inter pastores, & servari jussit. *Amicæ.* Helenæ. *Matris.* Leda mater Helenæ fuit: utraque Lacedæmonia. Est igitur purpura Lacedæmonia deterior Tyria. Lacedæmon, urbs Peloponnesi. 189. Tyrus, Phœniciæ 286.

CXLVI.

Lanæ Pollentinæ.

Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet, & calices hæc dare terra suos.

Polentia. Eſt urbs Italiæ in Liguria. *Potenza*. Ubi pullæ, ideſt, nigræ veſtes fiebant, ac de Pollentia, urbe Liguriæ, ita canit Silius l. 8 *Vercellę ſuſcipe ferax Pollentia villis*. In eadem urbe fiebant vitrei calices boni. *Lugentes*. Quia pullus color funeribus, & luctui convenit.

CXLVII.

Lana pulla.

Lana quidem triſtis, ſed tonſis apta miniſtris,
Quales non primo de grege menſa vocat.

Triſtis. Vide ſuperius ep *Tonſis*. Servi ſeniores, mediaſtini, & ultimo de grege ſervorum, tondebantur: juniores, & lautiores, erant intonſi. Sum igitur lana quidem pulla, ſed apta tamen veſtiendis ſervis, qui adhibentur vilioribus menſæ miniſteriis.

CXLVIII.

Tomentum Lingonicum.

Oppreſſæ nimium vicina eſt faſcia plumæ:
Vellera Lingonicis accipe raſa ſagis.

Tomentum, a tumendo dictum, eſt floccus, ſeu lanæ flos quidam villoſus, qui a pannis abradebatur, & quo culcitam impleri ſuadet poeta; ne ſi e pluma tantum levi conſtaret, ſubſidente pluma, & oppreſſa, ſeu compreſſa cubantis hominis pondere, corpus faſciis lecti, & reſtibus, quibus culcita imponitur, lædatur. *Lingonicis*. P. 59. 558. Legunt aliqui *Leuconicis* eſt autem Leuconium oppidum Æolidis, apud Thucydidem. Sententia hæc eſt, orloque diſtichi: Cum oppreſſa eſt pluma, ſentiunt faſcia nimium vicina, & trans culcitam corpus oblædit: hoc ne fiat, vide ut tomento culcitam farcias. *Sagis*. Sagum proprie eſt veſtimentum militare.

CXLIX.

Tomentum circenſe.

Tomentum conciſa palus Circenſe vocatur.
Hæc pro Lingonico ſtramina pauper emit.

Palus conciſa, ſive arundines comminutæ in fruſta, & paleæ, erant inſtar tomenti in ludis circenſibus. Plebs enim ea ſibi ſubſternebat, ut ſederet melius. Radecus in Analectis, tomentum hoc Circenſe dictum eſſe vultu, quod in Circo venderetur. Hæc igitur ſtramina ſibi emit pauper pro tomento Lingonico, & pretioſo. Quid eſſet circus dixi pag. 23. 307.

Plu-

CL.

Pluma.

Laſſus Amyclea poteris requieſcere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

Amyclea. Lacedæmonia, cycnea. Pag. 86. verſ. 9. & 13. *Interior lana.* Plumæ breviores, & molliores inſtar lanæ molliſſimæ, quibus farcitur impleturque culcita.

CLI.

Fanum.

Frondata tumeat facilis tibi culcita pluma.
Non venit ad duros pallida cura toros.

Frondatam plumam vocat fœnum, & ſtramenta, quæ durum quidem, ac curis invium lectulum ſternunt. *Facilis.* Facile, parabilis. Legitur vulgo, *fraudata pluma*, Id eſt, ſublata, adempta pluma, imple culcitam fœno. Labor diurnus ſomnum facilem pauperis conciliat.

CLII.

Tintinnabulum.

Redde pilam, ſonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum.

Pilam depone, deſine ludere, jam aperiuntur thermæ, & datur lavandi ſignum pulſo æreo tintinnabulo. Pergin ludere? Non erit tibi locus in thermis, & cogeris aqua frigida ſola lotus domum redire. Paulo ante balneum pila ludebant, vel dum hypocauſta, & ſudationes caleſcerent. Thermæ, ſeu balnea publica, certa hora patebant, dato ſigno: certa claudebantur. De aqua virgine, lege notas p. 245. 297.

CLIII.

Diſcus.

Splendida cum volitent Spartani pondera diſci,
Eſte procul pueri: ſit ſemel ille nocens.

Diſcus erat maſſa lapidea, ferrea, vel ænea craſſa digitis tribus, aut quatuor, ferme rotunda, quam ad certas uſq; metas projiciebant, ita ut ille vinceret, qui ad metã propius accederet. Spartanus vocatur, quia erat apud Lacædemonios uſitatiſſimus. *Eſte procul &c.* Ne vos perimat. *Semel.* Occiſo Hyacintho, quem Apollo imprudens diſco percuſſum interfecit, Ovid. Met. lib. 10.

CLIV.

Cithara.

Reddidit Eurydicen vati, ſed perdidit ipſe,
Dum ſibi non credit, nec patienter amat.

Reddidit. Cithara. *Vati.* Orpheo. *Perdidit.* Euridycen. *Dum &c.* Dum vix credit præ gaudio redditam ſibi, & revocatam ab inferis uxorem. Vid. Virg. 4. Georg. ſub finem. *Patienter.* Ea tantum lege uxorem receperat Orpheus, ut eam non ante reſpiceret, quam omnino emerſiſſet ex inferis; hujus legis immemor, cum illam citius reſpectaſſet impatiens moræ, perdidit.

CLV.

Eadem cithara.

De Pompejano ſæpe eſt ejecta theatro,
Quæ duxit ſylvas, detinuitque feras.

Ejecta. Citharœdi, muſici, &c. niſi populo ſatisfacerent, ſæpe explodebantur, & exigebantur. *Pompejano.* Theatro Pompeji, p. 284. *Silvas duxit.* Orpheo canente.

CLVI.

Plectra.

Fervida ne trito tibi pollice puſula ſurgat,
Exorent docilem garrula plectra lyram.

Puſula. Tuber eſt exiguum, quod intumeſcit in digitis attritis. Dicitur etiam puſtula. Plectra, olim pectinis in morem facta, nunc fiunt ex incurvo aliquantum ligno, cui obtenditur equina ſeta. Accipe plectrum, quo citharam pulſes, & ab ea quaſi exores impetreſque, ut canat: quæ, niſi plectro feriatur, omnino ſit tacitura.

CLVII.

Trochus.

Inducenda rota eſt: das nobis utile munus.
Iſte trochus pueris, at mihi canthus erit.

Ludant ſane trocho pueri, ego ex illo faciam canthum, quem ligneis inducam rotis, atque adeo utilis mihi viro trochus tuus erit. *Trochus.* Erat ferreus circulus, vel æreus, quem pueri agitabant, & volvebant. Ab eo pendebant annuli ferrei, qui tinnitum non inſuavem edebant, dum trochus volvebatur: unde legunt quidam in ſecundo verſu: *ao mihi cantus erit.* Hoc ſenſu:

Ego

Ego annulorum tinnitu audiendo non minus delectabor, quam pueri volvendo trocho. Si legas, *canthus erit* expones, ut jam dixi. Canthus porro, est ferrea lamina, qua rotarum extremæ partes, quæ terram tangunt, inter se vinciuntur. Itaque trochus, utpote rota, sive circulus ingens ferreus, poterat utilis esse ad canthum faciendum.

CLVIII.

Trochus idem.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Causam affert, cur annuli, sonum edentes, ut in superiori epigramm. notavi, trochi radiis inserti essent; nempe, ut populus troncho currenti locum daret, admonitus illo tinnitu.

CLIX.

Signum victoriæ.

Hæc illi sine sorte datur, cui nomine Rhenus
Vera dedit, decies adde Falerna puer.

Signum. Statua, sigillum. *Hæc illi*. Hæc victoriæ statua datur Domitiano sine sorte, ut proprium illius munus, qui e Rheno, Germaniscque victis nomen verum Germanici est consecutus. Diximus apophoreta missa fuisse ad amicos sine delectu, jactis sortibus, ut sors tulisset. Ait certo consilio, & uni Domitiano dandum esse simulacrum Victoriæ, quippe quæ illi addicta sit, & propria. *Rhenus*. P. 422. *Nominæ*. 232. *Decies*. Lege Epigr. 73. Lib. 9. p. 469. Item pag. 401. 552.

CLX.

Sauroctonos Corinthius.

Ad te repentí puer insidiose lacertæ
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Σαυροκτόνος. Interfector lacertæ: a σαῦρος lacerta, & κτείνω interimo. Praxiteles ex ære Corinthio sigillum quoddam elegantissimum fecerat, in quo spectabatur Apollo juvenis subrepentem lacertam cominus sagitta configens, veluti ex insidiis. Alloquitur puerum poeta, o puer, noli percutere lacertam ex insidiis: ultro venit periturа? gaudebit a te, tanquam nobili hoste, confici.

CLXI.

Hyacinthus in tabula pictus.

Flectit ab inviſo morientia lumina diſco
Oebalius, Phœbi culpa dolorque, puer.

Flectit. Avertit oculos moriens. *Culpa*. Vide ſupra, Ep. 152. *Oebalius*. Sic vocatur ab Oebalia urbe Laconiæ, Hyacinthi patria: vel ab Oebalo ejuſdem patruo.

CLXII.

Perſona Germannica.

Sum figuli luſus, rufi perſona Batavi:
Quæ tu derides, hæc timet ora pater.

Figuli luſus. Larva fictilis. *Perſona*. Larva repræſentans Batavum, Erant autem Batavi vulgo rufis crinibus, eumque colorem arte addebant capillis. *Quæ tu, &c.* O Romane puer, qui hæc ora, hanc perſonam rides, ſcito Patrem tuum Romanum militem, hos vultus formidare. Bellicoſi quippe Germani erant, ac Romanis etiam metuendi. Legitur etiam, *puer*: quam larvam rides tu, o vir, o miles, hanc puer meticuloſus horret.

CLXIII.

Hercules Corinthius.

Edidit geminos infans, nec reſpicit angues.
Jam poterat teneras Hydra timere manus.

Corinthius. Ex ære corinthio. *Nec reſpicit*. Per contemptum, quaſi aliud agens. *Hydræ*. Pag. 22. 260.

CLXIV.

Hercules fictilis.

Sum fragilis: ſed tu (moneo) ne ſperne ſigillum:
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Sum fragilis. Ex argilla fragilis, & luto factus. *Non pudet &c.* Imaginem is commendat, qui pingitur. *Alcidem*. Pag. 14.

CLXV.

Minerva argentea.

Dic mihi virgo ferox, cum ſit tibi caſſis, & haſta,
Quare non habeas ægida? Cæſar habet.

Ægida. Pag. 319. *Cæſar*. Domitianus. Quaſi ſuum ei clypeum Pallas tradiderit. Hoc ipſa reſpondet.

Si-

CLXVI.

Sigillum Giberii fictile.

Ebrius hæc fecit terris, puto, monstra Prometheus;
Saturnalitio lusit & ipse luto.

Giberius, cognomentum fuit cujusdam fullonis, nomine Clesippi, de quo agit Plin. lib. 34. c. 3. insigniter gibbosi, & deformis, qui a gibbere, sive gibbo, Giberius vocatus est. Ait poeta Prometheum ebrium feciisse tam turpe hominis monstrum, cum ludere vellet in Saturnalibus, *Prometheus*. P. 9. 445.

CLXVII.

Homeri Batrachomyomachia.

Perlege Mæonio cantatas carmine Ranas.
Et frontem nugis solvere disce meis.

Homerus, sive aliquis Homeri non indoctus imitator, fecit versibus græcis pugnam ranarum, & murium. βάτραχος rana; μύς μυός mus: μάχη pugna. *Maonio*. p. 347. 343. Homerico. *Solvere*. Exhilarare, laxare.

CLXVIII.

Homerus in membranis.

Ilias & Priami regnis inimicus Ulysses
Multiplici pariter condita pelle latent.

Ilias. Poema de bello Iliaco, seu Trojano. *Ulysses*. Poema de Ulyssis erroribus, & reditu in patriam, Odyssea. *Pelle*. Membrana. Lege de libris veterum p. 70.

CLXIX.

Virgilii culex.

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,
Ne nucibus positis *Arma Virumque* legas.

Culex. Ita inscribitur poemation Virg. p. 404.
Ne &c. Nugæ, seu leviora carmina, qualis est iste culex, sunt legenda Saturnalibus non morosa, & feria, qualis est Æneis. Hujus initium est; *Arma virumque cano*.

CLXX.

Virgilius in membrana.

Quam brevis immensum cepit membrana Maronem?
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Ce-

Cepit. Complectitur. *Prima tabella*. Primum folium libri: initium voluminis.

CLXXI.

Cicero in membranis.

Si comes iſta tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

CLXXII.

Propertius.

Cynthia facundi carmen juvenile Properti
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

Propertii carmen, quod junior edidit, quodque inſcribitur Cynthia, ab auctore ſuo famam accepit, nec minorem ipſi dedit. Propertius, poeta Italus, floruit Auguſti ævo: utitur latinitate pura, & in primis terſa, elegias ſcripſit, ſtylo elegante, at ſæpe obſcæno.

CLXXIII.

Livius in membranis.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens:
Quem mea non totum bibliotheca capit.

T. Livius, Patavinus, ſub Auguſto, & Tiberio ſcripſit centum, & quadraginta libros Romanæ hiſtoriæ: ſupersunt duntaxat 35. Eſt autem in eo latini ſermonis nitor, delectus rerum, & lactea eloquentia.

CLXXIV.

Salluſtius.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Criſpus in hiſtoria.

Ut perhibent &c. Ut homines cordati, ideſt, prudentes, & docti, cenſent.
Criſpus. Salluſtius Criſpus, Amiterni, in Italia, natus eſt anno ab U. C. 668. aliquas Romanæ hiſtoriæ partes attigit, ut bellum Catilinarium, Jugurthinum, &c. Brevis eſt, acer, diligens, rerum quam verborum plenior, &c.

CLXXV.

Ovidii metamorphoſes.

Hæc tibi multiplici quæ ſtructa eſt maſſa tabella,
Carmina Naſonis quinque decemque gerit.

Maſſa.

Massa. Opus totum & liber. *Carmina.* Libros carminum.

CLXXVI.

Lucanus.

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam:
Sed qui me vendit, bibliopola putat.

Lucanus. P. 329. 330. Eum nonnulli numero poetarum eximunt, quia historiam civilis belli narrare satis habet, ac nihil, more poetarum, fingit. Verum hoc Aristoteles non videtur, ut aliquis censeatur poeta, ponstulare: siquidem poesis nihil est aliud, illo judice, nisi imitatio humanarum actionum, quæ suavi stylo fiat. *Putat.* Quia videt mea carmina probe vendi.

CLXXVII.

Catullus.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

Catullus tantum gloriæ attulit Veronæ jam per se claræ & magnæ; quantum Virgilius Patriæ suæ Mantuæ, antea obscuræ & ignotæ. *Catullo.* Pag. 35.

CLXXVIII.

Liber de aquæ frigidæ usu.

Hæc tibi quæ fontes, & aquarum nomina dicit,
Ipsa suas melius charta notabit aquas.

Iste liber docet, quæ sint fontium nomina; sed ipse in aquas projectus bene mergetur, & eas suo infortunio tibi melius notabit. Mala carmina aquis mergenda, p. 34. 265. Hinc legunt aliqui, *natabit.*

CLXXIX.

Mulæ pumiliæ.

His tibi de mulis non est metuenda ruina:
Altius in terra pœne sedere soles.

Pumiliæ. Sive pumilæ, & paullæ, ideſt, exiguæ s

CLXXX.

Catella Gallicana.

Delicias parvæ si vis audire catellæ,
Narranti brevis est pagina tota mihi.

Assur-

CLXXXI.

Aſturco.

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.

Equi Aſturcones, ſeu Aſtures, ab Aſturia Hiſpaniæ regione, olim aurifera, nomen habent: illis, Plinio teſte Lib. VIII. c. 43 mollis eſt alterno crurum explicatu glomeratio. Ceteris equis minores erant, & gradarii etiam vocabantur. Tolutim eos incedere Varro dicit.

CLXXXII.

Canis vertagus.

Non ſibi ſed domino venatur vertagus acer,
Illæſum leporem qui tibi dente feret.

Canes quidam venatici appellantur vertagi, quod ſeras vertant, agantque & latibulis excuſſas inſectentur.

CLXXXIII.

Simius.

Callidus emiſſas eludere ſimius haſtas;
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Eludere. Vitare, declinare. *Cercopithecus*. Eſt ſimius caudatus. Pag. 361. Sunt illi multo nobiliores aliis, quibus natura caudam negat: unde iſte gloriatur nihil niſi caudam deeſſe ſibi; ſe nulli aliorum calliditate concedere. Simius ita vocatur a ſimis naribus.

CLXXXIV.

Notarius.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis:
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Notæ apud Latinos vocantur litteræ quædam compendiariæ, quæ certo ductu, & forma, licet paucæ, plures tamen ſyllabas, ac verba complectuntur, & ſignificant. Iis utuntur fere qui dictantis, aut concionantis voces exſcribunt, notariique appellantur. Scripſere, antequam pronunciaveris, & eorum dextra ſuum opus peregit, antequam tua lingua ſuum abſolverit.

CLXXXV.

Concha.

Levis ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat, inoffenſa curret arundo via.

Cor-

Cortex Mareotica, ideſt, papyrus Ægyptia (papyrus enim eſt intima, & tenuiſſima cortex arbuſculæ cognominis: Mareotis eſt pars Ægypti, p. 191.) fiat tibi, lævis, ideſt, poliatur concha; tunc arundo, ſive calamus, expedite curret. Facilius ſcribes in charta lævigata ope conchæ, quam in aſpera & ſcabra. Conchæ ſunt piſcium teſtæ duobus ſcutulis paribus conſtantes.

CLXXXVI.

Morio.

Non mendax ſtupor eſt, nec fingitur arte doloſa:
Quiſquis plus juſto non ſapit, ille ſapit.

Stupor. Inſania. Ille morio non eſt ex eo genere morionum, qui ſtultitiam ſimulant, ut placeant ac moveant riſum; vere eſt fatuus: in quo ipſe ſapit, ſiquidem ſapit quantum juſtum eſt. Tunc ſapit, placetque morio, cum vere deſipit. Vide pag. 378.

CLXXXVII.

Caput arietinum.

Mollia Phryxei ſecuiſti colla mariti:
Hoc meruit, tunicam qui tibi ſæpe dedit?

Cur caput arietis præciſti; a quo ariete tunicam (ex ejus pelle videlicet ac vellere confectam) toties accepiſti? *Phryxæi*. Pag. 282.

CLXXXVIII.

Pumilio.

Si ſolum ſpectes hominis caput, Hectora credas:
Si ſtantem videas, Aſtyanacta putes.

Caput. Pumilionibus vulgo eſt ingens caput. Aſtyanax fuit Hectoris filius parvulus. Pag. 275.

CLXXXIX.

Parma.

Hæc quæ ſæpe ſolet vinci, quæ vincere raro;
Parma tibi, ſcutum pumilionis erit.

Hæc parma, quæ, quia brevior eſt & anguſtior, male hominem tegit, ac victorem raro præſtat; tibi homini juſtæ ſtaturæ, vere erit parma, & breve ſcutum, ac inutile:

tile: pumilioni vero est prosfcuto ingenti, & perutili, quia totum tegit. Parma erat scutum breve & rotunduum, ambitu trium vulgo pedum. Scutum erat oblongum, quatuor pedes a summo ad imum habens, duos cum dimidio latum. Parmam Thraces invenere, p. 457.

CXC.

Accipiter.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis, idem
Decipit, & captas non sibi mœret aves.

Nunc. Cicuratus & institutus ab aucupe. *Non sibi.* Sed aucupi.

CXCI.

Obsonator.

Dic quotus, & quanti cupias cœnare; nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

Quotus &c. Quot sitis convivæ: quanti cænare cupias. *Parata.* Paratam ubi volueris, & cum volueris, dabo.

CXCII.

Calami aucupatorii.

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Pallida. Visco pallido, sive fulvo, illita. *Crescit.* Ab latente aucupe attollitur, & avi subjicitur. Paratos calamos habebant aucupes, & cum aviculam cantu pellectam viderent accedere, calamum sensim efferebant, quo illa caperetur, alis visco implicatis.

CXCIII.

Cor bubulum.

Pauper causidicos nullos referentia nummos
Carmina cum scribas, accipe cor quod habes.

Pauperi causidico, eidemque malo poetæ cor mittit bovis: affirmatque convenire illi hoc munus, quippe qui habeat cor bubulum, id- est vecors & fatuum: si quidem, relicto foro, quod parum inde pecuniæ colligeret, versus condat, e quibus minus etiam lucri feret.

CXCIV.

Cocus.

Non satis est ars sola coco: servire palato,
Atque cocus domini debet habere gulam.

Non

Non eſt ſatis, ſi cocus arte, induſtriaque præditus ſit: ex domini palato, & guſtu condire cibos debet. Turnebus vir ſane laborioſus ac doctus, ita uti edidi, affirmat ſe legiſſe in veteri libro: & poſtulat plane ſententia. Miror eum, qui commentarios Variorum compegit, hanc eruditi viri lectionem primo perperam interpungere; deinde illius lectionis explanationem, quam ſubjungit Turnebus, omittere: poſtremo aliam neſcio quam rancidam verboſe obtrudere.

CXCV.

Craticula.

Parva tibi curva craticula ſudet oſella:
Spumeus in longa cuſpide fumet aper.

Serviet ea craticula torrendis oſellis. Sunt carnium fruſtula. *Sudet*. Adipe, dum oſſa torretur, defluente. *Cuſpide*. Veru. *Fumet*. Dum aſſabitur.

CXCVI.

Piſtor dulciarius.

Mille tibi dulces operum manus iſte figuras
Extruit: huic uni parca laborat apis.

Apis. Quia mellis plurimum admiſcebant iſtis crustulis, & cupediis. Saccharo nunc melius utimur.

CXCVII.

Jentacula.

Surgite, jam vendit pueris jentacula piſtor,
Criſtataeque ſonant undique lucis aves.

Surgite. Convivas, poſt exacta Saturnalia, poſt ſomnum in multam noctem productum, admonet, ut expergiſcantur. *Pueris*. Nulli fere jentabant apud Romanos, niſi pueri, ſenes, aut ægroti; aliquid cibi levioris ſumebant circa meridiem, ſole occidente, cœnabant. Jentaculum, & merenda puerorum aut gulonum erant propriæ: prandium vero, complurium: cœna, omnium. *Aves*. Galli gallinacei, qui lucem cantu præcinunt.

FINIS.

INDEX

EPIGRAMMATUM.

A

AB Jove 664
Abſciſſa 135
Abſtulerat 349
Accipe 319. 614 646. 659. 659. 662. 679
Accola 231
Ac cœnam 222. 468
Addere 469
Addit 535
Addixti 499
Ad lapidem 526
Ad natalitias 359
Ad pallatinas 631
Ad populos 571
Ad primum 561
Ad te reptanti 677
Ædes 551
Ægrotas 595
Æmiliæ 486
Æmula 192
Æolidos 565
Aera 388
Æra domi 328
Æſtivo 134
Ætherias 32
Albi 566
Alcide 455
Alciden 444
Alea parva 644
Allatres 267
Amiſit 304
Amiſſum 46
Amphitheatrales 560. 669
Amphora 606. 636. 637
Ancillam 649
Annorum 496
Anſere 627
Antipolitani 633
Antiqui 599
Antoni 271
Anxuris 514
Apollina rem 331
Appia 474
Archetypis 373
Archetypum 391
Arctoa 271
Ardea 210
Aretina 661
Argenti 198. 514
Argentum 623
Argiletanas 30
Argiva 627
Artis 156
Artis ebur 656
Aſpice 179. 253. 225
Aſpicis 221. 294. 405. 665
A Sinueſſanis 562
Aſtra 269. 348
Atreus 548
Atria 199
Attenuare 662
Attica 635
Attice 334
Audet 433
Auditur 402
Auguſti 22
Auguſto 409
Aurea 618
Auriculam 154
Aut Corcyrei 620

B

BÆtis 610
Bajana 166
Bajano 194
Balſama 653
Barbara 2. 661
Baſia 105
Baſia das 111
Bella 67
Bellus homo 35
Bis Cotta 608
Bis quinquagenis 601
Bis tibi 50
Bis vicine 290
Boletos 691
Bruma eſt 364
Brumæ 607

C

CÆcuba 636
Cæde 641
Cælatus 317
Cæretana 638
Cærulæus 629
Cæſaris 177
Cajus 551
Callidus 269
Calliodorus 258
Campis 442
Cana eſt 197
Candida 621
Candidius 131
Capena 162
Cappadocum 437
Capto tuam 110
Carmina 111
Capere 254
Caſeus 619
Caſta nec 66
Caſta ſuo 37
Cauponem 125
Cauſtica 616
Cedere 25. 487
Cenſor 282
Centenis 170
Centum 145. 197
Cerea 613
Cernere 302

Cerretana 624
Ceruſſa 159
Ceſſatis 173
Chia 617
Chirurgus 45
Cinctum 132
Cinnam 288
Clarus 544
Claudere 615
Claudia 185. 556
Clinicus 470
Coccina 109
Cœnabis 555
Cœnes 425
Cœno domi 263
Cœpit 70
Cogis 324
Cogit me 39
Colchida 264
Commendare 243. 352
Commendo 57
Concita 25
Condita 222
Conditus 365
Conjugis 49
Conſilium 428
Conſtituit 146
Conſtrictos 548
Conſule 505
Conſumpta 516
Contingeris 32
Contigit 573
Continuis 63
Contulit 545
Cornea 654
Coſconi 134
Coſmicos 340
Cotile 171
Cras te 266
Credi 182
Credis 431
Creta dedit 100
Crine ruber 594
Cui credas 265
Cui legiſſe 97
Cujus vis 142
Cum cathedralitios 487
Cum clamant 84
Cum data 36
Cum dederis 634
Cum dixi 6-
Cum dubitaret 20?
Cum facias 382
Cum fieret 6?
Cum gravis 220
Cum Juvenale 330
Cum menſas 344
Cum me 623
Cum mihi 662
Cum mittis 311
Cum peteret 40
Cum pluvias 337
Cum potes 510
Cum rogo 581
Cum ſexerani 356
Cum ſexaginta 323
Cum ſint 116
Cum ſis 305. 311
Cum ſitis 391
Cum ſteterit 642
Cum te 93 518
Cum tener 632
Cum tibi 93. 204 405. 605
Cum traheret 23
Cum tu 484
Cum tua 81. 464 637
Cum vocer 169
Cum voco 266
Cur non 321
Cur ſæpe 594
Curſorem 176
Cur triſtiorem 129
Cuſtodes 520
Cyllenes 367

D

DAphnonas 592
Dædale 9
Date tibi 419
Da veniam 25
Das gladiatores 148
Das numquam 113
Dat Bajana 64
Dat chartis 648
Dat feſtinatas 638
Dat mihi 627
Declamas 104 223
Dederas 153
Defendet 638
Defuerit 654
Delicias 37
Delicium 633
Denariis 474
Dente 631
Dentibus 459. 580
De prætoritia 389
De Sinueſſanis 635
De Spoletinis 637
Dicere 424
Dicit ſe 190
Dic mihi 40
Dic muſa 150
Dic toga 385
Dic verum 415
Difficilis 591
Dimidium 73
Di tibi 316. 500
Diſcurſu 339
Diſticha 387
Dixerat 457. 463
Doctorum 343
Donaſſe 211
Donaſti 546
Dorica 18
Dotatæ 488
Do tibi 32
Ducit ad 491
Dulce decus 434
Dulcia 331
Dum comes 437
Dum donas 373
Dum Janus 422
Dum levis 534
Dum me 466
Dum mea 358
Dum modo 128
Dum nimium 183
Dum non vis 148
Dum nos 209
Dum nova 379
Dum novus 183
Dum peteret 16
Dum petit 213
Dum Phaethonta 287

Dum pinguis 624
Dum proavos 241
Dum repetit 414
Dum ſibi 255
Dum te 548
Dum tibi 297
Dum Tiburtinis 325
Dum tu ! 191. 578
Dux laterna 654

E

EBria 629. 654
Ecquid 321
Ede tuos 42
Edictum 235
Edita 51
Editur 315
Effert 396
Effigiem 459
Effugere 607
Egi, Sexte 380
Egiſti 216
Elyſio 536
Emi 123
Emit lacernas 376
Empta domus 164
Encauſtus 203
Erras 68
Eſquiliis 355
E ſervo 76
Eſſe quid 106. 236
Eſſe negas 174
Eſſe nihil 170
Eſſe putes 622. 641
Eſſet 321
Eſſe tibi 383
Eſſe vides 650
Eſt mihi 429
Eſt tibi 91
Et dolet 303
Et judex 106
Et latet 195
Etruſci 95
Eutrapelus 358
Excipient 647
Exigis 161. 220. 356
Expirantis 633
Explicitum 367
Ex temporalis 265

F

FAbricio 81
Facundi 342
Fama refert 45
Faſtorum 371
Felicem 111
Felices 482
Femineam 660
Fertur 361
Feſtinata 465. 476
Feſtive 298
Ficoſa 353
Fila 616
Filia 620
Flavia 26
Flectere 117
Flentibus 220
Flet philomela 656
Flete nefas 308
Florida 123
Fœtere 232
Formoſiſſima 402
Fragmentum 327
Frangat 511
Frangere 664
Frigida 663
Frontibus 196
Fruſtra 522
Fugerit 161
Funera 462
Fur notæ 309

G

GAlbula 626
Garris 81
Gaudet 625
Gellius 445
Gemmatum 664
Genus 575
Geſtari 204
Geſtavit 651
Gnoſſia 634
Grandia 660
Grandia ne 661
Gratum eſt 346
Gratum munus 653
Gratus 354

H

HAbet Africanus 575
Hæc de 634
Hæc eſt 325
Hæc eſt illa 353. 446
Hæc Fundana 636
Hæc illi 677
Hæc mihi 499
Hæc quæ 430. 620. 650
Hæc rapit 650
Hæc ſervavit 628
Hæc ſunt illa mei 461
Hæc tibi 164. 200. 515. 618. 645. 667. 671. 672. 680. 681.
Hædina 590
Hac licet 664
Hac tibi 189. 665
Hanc tibi Fronto 255
Has cum 155
Herbarum 247
Herculis 454
Hæredem 352. 445. 605
Hæredes 546
Hermes 248
Hermogenes 583
Heſterna 44
Heſterno 44
Hexametris 307
Hiberna 328
Hibernos 271
Hic brevis 682
Hic erat 632
Hic erit 680
Hic eſt 29. 200
Hic feſtinata 516
Hic jacet 339
Hic licet 663
Hic mihi 644
Hic quem 126
Hic qui 263
Hic qui dura 443
Hic ſcarus 630
Hic tibi 649. 663
Hic ubi 408
His tibi 681
Hoc agere 375

Hoc de 635
Hoc Fortuna 542
Hoc jacet 300
Hoc nemus 95. 585
Hoc tibi 142. 229 633
Hoplomachus 144
Horas 410
Hortatur 557
Hos nisi 642
Hospes eras 223
Hos quoque 224
Hostem 135
Hos tibi 94
Humida 273
Hunc quem 205. 427

I

JActat 262
Jam numerat 493
Jam parce 523
Jam prope 555
Jam senior 529
Jam tristis 279
Ibis littoreas 525
Icta gravi 12
Ignotos 551
Infelix 362
Ilias 679
Illas manus 86
Ille ego 511
Ille sacri 110
Illustrem 640
Imbue 614
Improba 502
I nostro 535
I nunc 102
Indignas 75
Inducenda 578
Indulget 453
Infantem 226
Infusum 372
Ingenium 251. 448
Ingrediare 668
In lucem 324
In matutina 494
In Nomentanis 90
In Pompejano 284 647
In pretio 657
Inscripsit 428
In septis 450
Inserta 159
Insequeris 279
Insidiosorum 644
In Tartessiacis 452
In tenebris 210
Inter aves 631
Inter Cæsareæ 11
Inter sapores 625
Inter tanta 462
In thermis 572
Intres 64
In Venetis 630
Invia 320
Inviæ 657
Invitas 134. 218
Invitas ad aprum 383
Invitum 131
Irasci 157. 176
Is mihi 671
Ista est 92
Iste licet 610
Iste tibi 655
Ite procul 650
Itur ad 36
Jugera 504
Julia 283
Juli 213
Jungere 670
Juno, labor 531
Jupiter 418
Jurat 286
Jura trium 516
Jure tuo 267
Juris 503
Jus tibi 545

K

Καινὰ φέρων 122

L

LActe 621
Læserat 10
Lævis 683
Lambere 15. 655
Lana 674
Laneus 630
Languebam 236
Languida 641
Languior 464
Lascivos 58
Lascivum 621
Lassus 675
Latonæ 429
Laudantem 115
Laudas 410
Laudat 304
Laudatus 256
Laurigeros 370
Laxior 135
Lecta 628
Lectos 462
Lege nimis 466
Lemmata 640
Leniat 564
Lentiscum 645
Liber 416. 458
Liber homo 70
Libertus 291
Libras 588
Linea 603
Lis mihi 117
Lis te 553
Litigat 84
Litera 523
Litus 562
Lodices 672
Longa 672
Longior 572
Lotus 368
Luce 439
Livet 406
Luci 208
Ludi magister 517
Ludite 657
Lusit 20
Lux tibi 145

M

MAgna 402
Majæ 602
Mammas 85
Mane domui 246
Mane salutavi 216
Marcelline 290
Marcia 566
Marcus 471
Mari quietæ 533
Marmora 518
Marsica 637

Ma 597
Maſſiliæ 665
Maſſyli 458
Matronæ 230
Matutinæ 602
Matutinarum 632
Maximus 341
Medio 509
Menſas 515
Menſe 505
Mentiris 301. 589
Mentitur 565
Mercari 345
Mica 127
Miles 444
Militiæ 647
Mille tibi 188. 685
Millia 232
Minxiſti 174
Miraris 411. 558. 625
Mittebas 566
Mittit 616
Mollia 683
Mollis 617
Morio 378
Mulio 552. 614
Munera 208. 385
Muneribus 340
Municipem 589
Municipes 536
Muſteus 624
Mutua 115. 158
Mutua te 289

N

NArnia 363
Narratur 275
Naſcere 281
Naſutus 589. 612
Natales 492
Natali 448. 498. 598
Natorum 140
Nec doctum 490
Nec fora 669
Nec poteris 614
Nec toga 550
Nec vocat 489
Ne gravis 79
Ne laudet 606
Ne lutet 651
Ne mendica 657
Nemo 563
Nemo novo 529
Nequius 525
Neſcio 388
Neſcis 203
Neſcit cui 398
Ne tibi 616
Ne toga 611. 658
Ne valeam 101
Ne violes 626
Nihil ammiano 619
Nihil eſt 327
Nil aliud 485
Nil in te 606
Nil intentatum 107
Niliacum 624
Nil laſcivius 289
Nil mihi 559
Nil recitas 138
Nil tibi 425
Nobilis 638
Nobilius 670
Nomen 425. 427. 628
Nomentana 637
Nomina 649. 658
Non amo 45
Non cœnat 348
Non de plebe 292
Non de vi 288
Non dicam 112
Non donem 274
Nondum 413
Non eſt 590. 642. 660. 669.
Non facit 57
Non habilis 617
Non horti 394
Non hos 670
Non mea 533
Non mendax 683
Non miror 318
Non omnis 546. 631
Non per 419
Non plenum 85
Non potare 665
Non quêcumq; 619
Non ſatis 685
Non ſibi 68
Non ſilice 460
Non ſim 643
Non ſum 636. 659
Non tantũ 673. 684
Non tibi 621
Non totam 278
Non tot 384
Non urbana 541
Nos alicam 613
Nos bibimus 315
Nos Amiternus 610
Nos Lacedæmoniæ 673
Nos Satyri 663
Noſſes 29
Nos ſumus 660
Noſti 337. 365
Noſtris 72
Note, licet 421
Nubere 424
Nubere Paullæ 483
Nudo 572
Nummi 594
Nunc hilares 323
Nunciat 508
Nulla 226
Nullos eſſe 190
Numquam 154
Numquam dicis 174
Numquam diviſtias 222
Numquam ſe 261
Nuper erat 52
Nuper in 652
Nympha 299. 450
Nympharum 482

O

OBſtat 193
Occurri 95
Occurris quocumque 130
Occurrit 160
Octaphoro 315
Octobres 530
O cui 205. 432
Oculo 216

Ode-

Oderat 462
Odi 589
O felix 221
Ohe 228
O jucunda 580
O Juliarum 586
O mihi 38. 73
Omnes 191. 501. 418. 531
Omnia 153. 346. 366. 507. 575
Omnis 513
O molles 504
Oppressæ 674
Orbus es 554
Os atavi 610
O temperatæ 497

P

PAllida 378
Palma 574
Panonicas 626
Pars maxillarum 398
Par scelus 172
Parthenio 575
Parva 345. 560. 685
Parcius 576
Pascitur 625
Pauca 284
Pauper 381. 684
Pauperis 163. 667
Pax me 648
Peccantis 655
Pellibus 680
Pendentem 632
Pendula 634
Perfrixisse 149
Pergamus 651
Perlege 679
Perpetui 350
Perveniſſe 377
petit 35
Pexatus 127
Phœbe 329
Phosphore 382
Pica loquax 656
Picentina 622
Picto 88
Pierios 565
Pinxisti 269
Pistor 380
Plena 196
Plorat 527
Poma 618
Pompejos 274
Ponitur 626
Pontice 367
Ponuntur 318
Potabis 636
Potavi 356
Poto 583
Potor nobilis 312
Præceps 11
Prædo 684
Præstitit 10
Prætorem 218
Prætores 283
Prima 182. 441
Primum 341
Primus 141
Principium 375
Priscus 397
Profecit 275
Proficies 652
Proscriptum 152
Pro sene 608
Proxima 149
Pruna 619
Psittacus 658
Puella 256
Pugio 647
Pulcher 633
Puncta 660
Pyrrhæ 520

Q

QUadringenta 250
Quadrantem 255
Quadringentorum 475
Quæcumque 94
Quæ legis 274
Quæ mala 468
Quæ mihi 264
Quo modo 570
Quæ nato 629
Quæ non 663
Quæ scit 643
Quæ tam 6
Quæ te 158
Qualiter 8. 234
Quam brevis 679
Quam sit 580
Quamvis 567. 629. 661. 666
Quanta 399. 411
Quantum 314. 423. 597
Quantus 375
Quare 577
Quatenus 357
Quatuor 412
Qua vicina 188
Quem recitas 47
Qui Corcyræi 418
Quidam 313
Quid factum 261
Qui Diomedæis 631
Quid faciet 646
Quid me 658
Quid mecum 652
Qui mihi 111. 118
Quid nunc 48
Quid pereunt 651
Quid promittebas 279
Quidquid 17. 117. 576
Quid recitaturus 199
Quid sentis 268
Quid stulte 536
Quid te 39
Quid tibi 456
Qui ducis 48
Qui legis 479
Qui modo 15
Qui negat 610
Qui nondum 563
Qui nunc 387
Qui Pallatinæ 394
Qui pinxit 87
Qui præstat 393
Qui recitat 295
Qui venit 655
Quinctus 240
Quinque 371
Quinte 506
Quintiliane 139

Quintum 215
Quis lagor 399
Qui Pallatinos 33
Quiſquis 480. 521. 546
Quis rogo 514
Quis te 286
Qui tecum 30
Qui tonſor 351
Qui venit 655
Quod alpha 251
Quod Cajetano 392
Quod clamas 82
Quod convivaris 300
Quod cupis 195
Quod Flacco 572
Quod fronte 105
Quod lana 608
Quod magni 41
Quod mihi 526
Quod nec 136. 654
Quod nimio 138
Quod nimium 558
Quod non 285. 359
Quod non ſit 285
Quod novus 157
Quod nulli 108
Quod nutantia 238
Quod optimum 461
Quod pius 15
Quod quacũq; 165
Quod querulũ 113
Quod recitaturus 199
Quod ſæpe 301. 447
Quod ſiccæ 180
Quod tam 300
Quod te 130. 193
Quid tibi 242
Quid poſſit 336
Quo tu 539
Quos cuperet 416

R

Raptus abit 14
Raros 528
Raucæ 324
Redde 675
Reddis 676
Regia 391
Rem factam 303
Rerum 140
Retia 570
Rictibus 52
Ride 120
Roma 668
Romam 142
Romam petebat 148
Romanos 667
Rufe 114
Rumpimus 623
Rumpitur 470
Rure morans 227
Ruris 326
Ruſtica 282. 628
Ruſticus es 653

S

Sacra 541
Sæcula 21. 435
Sæpe gravis 666
Sæpe loquar 533
Sæpe meos 193
Sæpe mihi 90
Sæpe rogare 609
Sæpe ſalutatus 270
Sæpius 550
Sancta 288
Sanctonica 469
Sanctorum 418
Sanguine 630
Sardonychas 237
Saturnalia 201
Saturnalitio 489
Scis te 305
Scribebamus 609
Scribere 93. 492
Scribit 407
Secta 640
Securo 225
Sedere 239
Semper eris 279
Semper mane 347
Semper agis 76
Septem 293. 446
Septima 505
Seria 240
Serus 613
Setinos 662
Setinum 316
Senos 559
Seu leviter 642
Seu tu 452
Sexaginta 582
Sexageſima 308
Sexcenti 559
Sex ſeſtertia 292
Sextantes 269
Sexte 101. 232
Sextiliane 42
Sextus 281
Si calidum 664
Si comes 680
Si credis 448
Si daret 426
Si dederint 87
Si dejecta 647
Si deſiderium 325
Si det 112
Si Libycæ 622
Si Lucane 46
Si me 650
Si matutinos 667
Si memini 40
Si meus 360
Si mihi 448
Si mutare 615
Si nimius 476
Si non eſt 233
Si non ignota 661
Si non moleſtum 83
Si poſſem 668
Si prior 532
Si qua fides 243
Si quando 258
Si qua 104
Si quid 60. 362. 383. 527. 642
Si quis 19. 47
Si recitaturus 671
Si redeant 542
Si ſolum 683
Sirenas 172
Si Romana 535
Si ſine 619
Si ſpumet 613
Si ciſterna 165

Si te 395
Si tecum 244
Si temperari 154
Si tibi 57.617.645
Si tibi talis 656
Si triſti 273
Si Veneto 668
Si vicina 615
Si vis 225
Sic in gramine 467
Sic me 325
Si placidum 366
gi tanquam 603
Sic Tiburtinæ 333
Sic tua 381
Siccus 585
Sidera 512
Sili 186
Silius 554
Simplicior 500
Sollicitant 18
Solvere 376.561
Sorba 618
Sordida 196.655
Sordidior 336
Sortitus 6.4
Spectabat 178
Spirat 629
Splendida 675
Spoletina 665
Sportula 76.155
Sellæ 33
Stragula 558
Sum cochleis 666
Sum fateor 238
Sum figuli 678
Sum fragilis 678
Summa 13.406.440
Sunt bona 38
Sunt tibi 156
Sunt quidam 681
Supremas 259
Surgite 685
Surrentina 635
Surripuit 620
Sus fera 12
Sutor 169
Syntheſibus 639

T

Tam male 317
Tam ſæpe 593
Tanta 542
Tantum magna 681
Tantus 338
Tarpejæ 349
Tarraco 637
Tempore 669
Temporibus 403
Tenuia 645
Tercentena 100
Tercentu.a 614
Terrarum 574
Texta 623
Thaida 146
Thais 261
Tibur 212
Tinctis 454
Tinge 672
Titulle 396
Tolle 545
Tomentum 674
Tonqilianus 608
Tondenais 648
Tonſorem 491
Tonſatrix 110
Tota 623.625
Totis 51
Toto 573
Trebula 615
Tres habuit 405
Triginta 588
Triſtis es 312
Triſtis 395
Triſte 540
Tu Setina 219
Turba 7
Turbabis 628
Tuſcæ 332

V

Vale 71
Vapulat 298
Vare 495
Varro 253
Vatis 329
Veientana 163
Vellera 678
Velleribus 673
Venderet 77
Vendunt 594
Verbera 133
Veranculorum 172
Verona 65
Verſiculos 146
Verſus 287.598
Vicinus 78
Vidiſſem 262
Vidiſti 384
Vilia 622.664
Vimine 136
Vindemiarum 471
Vir bonus 188
Vir Celtiberis 58
Vis cõmendari 143
Vis fieri 125
Vis te 126
Vitam 503
Vivida 553
Una eſt 58
Unctis 543
Undo 600
Undecies 207
Undenis 438
Unguenta 557
Unguentũ 147.638
Unice 590
Unus 120
Vota 62
Urbanus 48
Uri 229
Ut bene 158
Ut nova 383
Ut polcas 497
Ut recitem 67
Ut ſapiant 615
Uxorem 377

Z

Zoile 558
Zoilus 109

INDEX LEMMATUM

In quo recenſentur epigrammatum argumenta, & ad certos locos revocantur.

Admonet

Creditorem, 376
Librum ſuum, 30. 537. 539
Paſtorem, 553
Venatorem, 576

Commendat

Suos libros, 57. 142. 233. 575
Suam domum amico, peregre profecturus, 532

Conſolatur

Abſentiam amici peregre proficiſcentis, 525
Acceptam cladem, 560
Ægrotum, 343. 577
Amicum de morte uxoris, 129. Patris, 288. Filii, 465

Dedicat

Librum Imperatori, 229. Amico, 281. 464
Nymphis carmina 450. *Vid. titulum* Mittit.

Docet

Bene ficia eſſe continuanda, & augenda, 412. 266. 566
Cur dives eſſe velit, 222
Cur opes optandæ, 431
Quæ vita ſit longa, 416
Quomodo amici eligendi, 60 retinendi, 285. amandi, 514
Quomodo ſit petendum, 222
Quid a magnis poſtulandum, 560
Veritatem odioſam eſſe, 415

Epitaphium.

Pueri, 80. Duorum amicorum, 81. Filiæ, 94. Puerorum, 149. 188.
Apis, 195. Viperæ, 210. Puellæ, 255. 516. 565. Pompejorum, 274. Liberti, 291. 293. Tonſoris, 309. Amici, 308. 315. Militis, 310. Infantis, 365. Hiſtrionis, 434. 546. Anus veneficæ, 435. Conjugis fortunati, 504. Aurigæ, 511. ibid. Adoleſcentis, ib. Matronæ, 518. Vetulæ. 520. Senis, 521. Nani, 546. Conjugis viro fidæ, 593

Excuſat

Agreſtia munera, 448. Tenuia, 558
Deſidiam in ſcribendo, 520
Epigrammata deproperata, 25
Nimis multa, 193
Librum negligentius ſcriptum 38. 102. 362. Longiorem, 51. *Vide* Lector, liber, &c.
Parſimoniam in mittendis muneribus, 449
Pigritiam, 423
Quod amicum ſæpius non viſitat, 102. 514. 527
Quod ſuccenſeat coco, 383

Gratulatur

Amicorum reditum, 397
Datum amico conſulatum, 409
Parenti filium puberem, 144
Reditum imperatoris 323. 373
Reſtitutam amico valetudinem, 343. 551

Hortatur

Ad vivendum hodie, 38. 266
Ad Caſtimoniam, exemplo propoſito, 353
Ad liberalitatem, 588
Poetam, ad libros evulgandos, 196

Ad

Ad valetudinem curandam, 467
Ad vitam Genialem, 53. 396. 543
Imprecatur
Mortem uxori, 191
Incendium vicino, 585
Inscriptio
Statuæ, 421
Insectatur
Adulatores principum, 522
Adulteram, 274. 283
Ædificatorem, 163. 445
Æmulationem ſtultam, 526. 609
Agricolam e cauſidico, 604
Amatorem cæcum. 146
Amicum inutilem, illiberalem, avarum, fictum, &c. 118. 122. 123. 125. 128. 157. 161. 198. 218. 226. 279. 427. 485. 581. 582. 585. 703.
Amicum non amicum, 591
Amicum amicis dormientem, 424. 610
Amicos divitum, 554
Aniculam, 86. 190. 418. 483. 505. 573
Annonæ utilitatem, 606
Ἀντιπαθειαν, 45. 279
Antonium Saturninum, 184
Antonium Triumvirum, 172. 184. 271
Ardelionem. 76. 104. 202
Arrogantem & ineptum, 174. *Vide vocem* Oſtentator.
Aſſentatorem, 275. *Vide* Paraclius.
Avari cœnam, 50
Avarum. 85. 87. 158. 192. 204. 279. 290. 359. 575. 588
Avarum ægrotantem, 594
Auditorem improbum, 67. *Vide* Lector.
Auſteritatem ſimulatam, 219
Balneum. 460
Bellum hominem, 34. 171. 589
Beneficium tardum, 341. diminutum, 412. 466. 586. *Vide* Avarus, parcus, &c.
Cæſariem emptam, 286
Calumniatorem, maledicum, &c. 81. 167. 305. 477. 480. 612. *Vide* Obtrectator, invidus, &c.
Calvum, 262. 301. 528. 590. 608
Carmina inepta, 136. 176. *Vide voces* Liber, ſcriptor, poeta.
Catonem, 29
Cauponem, 61. 166. 471
Cauſidicum lentum, 375. imperitum, moleſtum, clamoſum, ineptum, &c. 82. 84. 263. 288. 293. Agricolam factum, 604. Piſtorem, 380
Cauſæ iniquæ defenſorem. ibid. *Vide vocem* Rhetor.
Cerdones ſpectaculorum editores, 148. 169. 176
Cœnam ambulatoriam, 344
Cœnam diſertam, 300. Jejunam, iniquam, &c. 50. 111. 147. 148. 169. 218. 222. 275. *Vide* Convivium.
Cœnationem, 551
Cœniſpetam, 107. 113. 135. 261. 263. ibid. 579. 607. *Vide*, Paraſitus.
Conjuges diſcordes, 391
Conjuges veneficos, 369. 462
Convivam diligentiorem, 410
Nimis memorem, 44. Raptorem. 117
Convivium unius aſſis, 548. ſolitarium, 651. *Vide*. Cœna.
Coquum, 383
Coſmicum philoſophum, 340
Creditorem, 158. 289. 292. 376. 392. 475. 561. 581

Criticum, censorem, &c. 19. 462. *Vide* Lector.
Crudelem, 152. 137
Cunctatorem, 128
Cynicum, 205
Debitorem, 101. 106. *Vide* Creditor.
Decoctorem, 146. 216. 262 464
Deformem, 338. 580. 594
Delatores, 7
Dentes fictos, 306
Dicacem, 58
Dissimulatorem, 182. 226 250. 362
Divitem. 279. 609. ægrotum. 109. 577. arrogantem, 156 ficum, 126. 132. 318
Divitem ex paupere, 87. 85 603. 607
Divitum lacrymas, 481
Divitum iram, 158. 577
Divortium, 505
Domitianum, 522
Domum inopem, lautam, & incommodam, 52
Ebriosum, 44. 79. 232. 312. 562
Effeminatum; 83. 106. 117. 518
Emacem, emptorem, &c. 223 366. 376. 450
Equitem fictum, 235. 239. 247. 251. 258. 284
Equitem e servo, 155. 553
Exheredatum 219
Famelicum, 275
Familiaritatem nimiam, 316. 588
Felicitatem improbam, 190 miseram, 312. 487. superbam. 225
Fortitudinem falsam, 494
Fucatum senem, 159. Mulierem, 159
Furem, 309. 398. 405. 557. 583
Gallum Cybeles sacerdotem 414
Garrulum, 81. 223. 439
Gemmarum amantem feminam, 419
Giuosum, 40. 327. 425. 564
Heluonem ægrotantem. 119 desperantem, 153. morientem, 254. cœnantem, 499
Hæredipetam, 35. 113. 133. 259. 304. 352. 415. 445. 554 557. 605
Hirundinem, 278
Hœdum, 621
Hostem ultione indignum, 598
Ignobilem, 124. 235. 545. 552 Vide, Eques fictus.
Importunos salutatores, 597 602
Improbum felicem, 190
Impium, 190
Impudentem, 610
Incendium, 164. 200. 234.
Inconcinnum, incultum, 336
Ingratum, 218
Invidum, 48. 192. 310. 304. 305. 406. 470. *Vide*, Obtrectator
Inurbanum, 384
Iram divitum, 156. 576
Lacrymas fictas, 46. 305. suspectas. 210
Lagenam pestiferam, 219 312
Laudatorem insidiosum, 130. 430
Laudatorem veterum, 411 nimium. 606
Lectorem fastidiosum. 51. 202. 104. 507. 516. 566. 612. 613.
Male liberalem, 392. 475. 559
Librum magnum, 97. 447. obscurum, 492. longum, 134. *Vide* vacet, Carmina, Poeta, &c.
Linguam populi, 135
Litigatorem, 84. 352
Ludi magistrum, 456. 516
Lutcam, 216
Luscum senem, 529

Ma-

Matrimonium dives, 283
iniquum, 391. 396. 424. 483
Medicum, 45. 52. 236. 301. 414. 469. 470. 525
Mendicum, 550. 586
Menſas vacuas, 513
Minime malum hominem, 593
Morbum fictum, 339. 464. 564. 594
Morionem, 378. 683
Mortem feſtinatam, 135
Mortem pueri, 188
Mortis neceſſitatem, 205. 210
Mortis cupiditatem, 559. *Vide vocem*, Epitaphium.
Mulierem fuſcam, 212. 225. formoſam, 402. formæ ſtudioſam, 120. 212. 325. fucatam, 159. invenuſtam, 252. ſuperbam, 241. togatam, 119. unguentis delibutam, 317. iracundam, 129. proceram, 406. *Vide*, Uxor.
Mulionem, 552
Munerum captatorem, 407
Munera cauſidico data, 201
exigua, & vilia, 389. inſidioſa, 208. divitibus & ſenibus dari ſolita, 385. periculoſa, 310. 332
Muſicam in epulis, 461
Natum homicidam, 337. longiorem. 608
Natalem hominis improbi. 496
Naufragium, 213
Nautas tardos, 173
Nobilem mentitum: 93. 114. 235. 255
Nominum vanitatem, 266
Obtrectatorem, 81. 355. 255 267. 330. 480
Obſequia inutilia, 527
Officioſum male, 105. 313. 364
Olentem male, 108. 111. 165. 180. 301. 364.
Oſtentatorem, 197. 211. veſtium, 277. 303. beneficii, 264. vitiorum. 590
Paraſitum, 105. 113. 131. 548. *Vide*, Cenipeta.
Parcum, male liberalem, &c. 158. 279. 412. 566. 593
Patronum egentem avarum, &c. 110. 193. 474. 484. 489. 582
Pauperem, 101. 155. 381. 607. ſuperbum, 311. 559. munificum, 163. 275. 318. 356. *Vide* Mendicus.
Paupertatem ſimulatam, 381
Perduellem, 183
Petitorem iniquum, ſtolidum, &c. 95. 170. 188. 220
Pictorem imperitum, 262
Plagiarium ſcriptorem, 47. 58. 70. 113 536. 600
Poetam copioſum, 407. extemporalem: 466. imperitum. 138. 146. 265. 321. male declamantem, 295. nimium, 160. male ſecurum, 600. ſuperbum, 268
Potorem, 42. 35. 44. *Vide* Conviva.
Prædium exiguum, 547
Preces edaces, 316
Priapum, 394
Prodigum, 373
Protervam mulierem, 406
Prometheum, 444
Promiſſorem, 213. 289. 362. 488. 575
Pulcritudinem emptam, 261 580
Recitatorem. 149. 161. 199. 463
Rhetorem frigidum, 154. indoctum, 255. 323. extemporalem, 265
Salutatorem parcum, 270 moleſtum, 597. 602
Sceleratum, 565
Scurram, 48. 298. 355
Scyphos antiquos, 373

Senem ardelionem, 222. edentulum, 310. fucatum, 196. orbum, & divitem, 554
Servum superbum, 255. deformem, 338. elegantiorem, 535
Socratem Romanum, 535
Somnia damnosa, 347
Sportulam, 148
Statuam infabre factam, 87
Studium formæ, 212. 325
Temporum præsentium vituperatorem, 457
Testem ebrium, 466
Togatam mulierem, 119
Tonsorem lentum, imperitum, &c. 401. 368. 563
Tonsum male, 398
Vasa antiqua, 391
Venditorem dolosum, 601
Veneficum, 219. 310. 396. 428
Versus temporales, 382
Vestem purpuream, 454
Veterum laudatores. 236. 411
Vicinum ineptum, 78
Viduam veneficam, 428
Villam inopem, sterilem, &c. 162. 167. 334. 337
Vinum pessimum, 317. 502. 511. recens, 356. 373
Urbanitatem molestam, 598
Urbanum aerem, 486
Uxorem adulteram, 283
anum, 37. 482. locupletem, 377

Invitat

Amicos ad cœnam, 375. 508. 555. seipsum ad avari cœnam, 300

Laudat

Accipitrem, 684
Adventum Cæsaris in urbem, 373. 375. 482
Ædificia, 2. 4. 127. 234. 349. 391. 408. 422. 430. 438. 526. 554. 755. 592
Agrum fœcundum, 505
Aleam & nuces poetarum, 611. 644
Amicos, 46. 220. 506
Amici eruditi donum, 523
Amicum emeritum. 157. 161
fidelem, 341. 342. Amico cedentem, 381. comitem itineris, 491
Amphitheatrum, 2
Animantes varias, 631. 632
Annulum, 238
Antiquitatem, 327. 545
Apophoreta, 640. 641
Architectum, 398
Arcum triumphalem. 308
Arietem cum leone concordem, 458
Aves, 626. & seqq.
Bibliothecam, 326
Cæsarem, 6. 14. 15. 26. 33. 484. 500. 572. 574. *Vide vocem*, Princeps.
Calices vitreos. 605. 662
Caniculam, 681
Carmina, libram, &c. 15. 33. 203. 240. 253. 324. 325. 326. 331. 358. 371. 546. 553. *Vide voces*, Liber, poeta, scriptor, &c.
Carpophorum, 13. 19
Caseos. 619
Catulli carmen, 681
Causidicum tacentem, 223
Cervum, 632
Ciceronem, 172. 271. 680
Clementiam, 10
Cocum, 519. 685
Cœnam frugalem, 275. 508. 591
Columbam auspicatam. 388
Comam, 428. 429
Convivium Cæsaris, 394. 568
Convivium frug. 275. 508. 591
Corobam, 362. 432. 452

Cur-

Currendi exercitationem, 334
Doctos, 41. 64. 250. 381. 411 433. 541. 545. 590. *Vide* Poeta, scriptor.
Domum Imperatoris, 391 *Vide* Ædificata, villa.
Eloquentiam, 172
Endromidem, 189
Epithalamium, 185. 221 267. 556. 579. *Vide voces*, Uxor, matrimonium.
Epulum populo datum, 399
Exempli vim. 318
Exiguas mulas, 681
Fœminam pugnantem, 8 eruditam & pudicam, 353 501. fortem, 37. 49. probam, 556. 579. *Lege* Uxor.
Feras pugnantes, 9. 10. 15. 18. 196. varias, 631. 632. 633
Festivum hominem. 150
Filii pietatem in patris funere. 339
Fortitudinem, 34. 75. 248
Fortunam. casum, 11. 37
Fungos, 623
Fraternum amorem, 46. 447. 545. 590
Fruges varias, 614
Genethliacum. *Vide* Natalis dies.
Gladiatores, 13. 16. 31. 23. 25. 248
Hibernas rosas, 313. 638
Hibernas uvas, 411
Hispaniam, 53. 503
Hortos. 585. *Lege*, Villa.
Imaginem, tabulam pictam, &c. 92. 156. 159. 358. 459. 461. 499. 535. 544. *Vide* Statuta.
Improbi probum facinus, 330
Lanas, pannos, &c. 673. &c.
Lectorem accuratum, 346 eruditum, 433
Leonem, 402. 458
Liberalitatem principum, 243. 418
Libertatem, 125. 130
Libri patronum. 37. 142 23. 278. 331. 575. *Vide*. Lector.
Librum brevem, 100. 387. 570. pudicum, 230. 370. victurum, 278. 303. prolixiorem, 307. innoxium. 325. 477. vivum, 345. bonum, 358. inæqualem, 362. liberiorem, 540. vendibilem, 681. utilem, 479 recentem, 533. auctori suo similem, 571. libros Ciceronis, Virgilii, &c. 679. & seqq. *Vide* Carmen, poeta, *& Titulum* Mittit.
Loricam Imperatoris, 319
Lucani carmina, 681
Ludos a Cæsare spectatos, 416
Matronam, 556. 579. *Vide* Femina, uxor.
Matrimonium felix, 283 504
Mœcenatem suum, 405 572
Morionem, 378. 683
Mucium Scævolam, 40. 387
Munera exigua 201. 267. 343. utilia, 558 ambitiosa, 346. rusticana, 345. citodata, 289
Munificentiam Cæsaris, 418
Naumachiam, 19. 20. 22
Natalem diem, 144. 177. 281. 329. 393. 441. 448. 493. 496. 530. 559. 597. 602. donum, 430
Negligentiam in scribendo, 507
Nervam, 411. 453. 573
Nomen, 425. 426. 427
Notarium, 282
Opes securas, 260
Othonem, 293

Otium, 297. 578
Parmam, 682
Patronum libri, 57. 58. 142. 225. 233. 278. 331. 354. 575. eruditorum, 403. 419. 572
Patronum vigilem, 246
Pauperem, 127. 242. 626
Phialam, 399. 661
Picam, 656
Pietatem principis, 423
Pisces varios, 629. 630. &c.
Piscinam, 394
Pocula vilia, 605
Poetæ manum, 237
Poetam, seu scriptorem, 29. 30. 38. 65. 591. 238. 287. 591.
Poetam ex oratore, 350
Poetam satisfacientem, 606
Porciam, 50
Prasinam factionem, 551
Præfectum provinciæ, 574. 610
Preces, 383
Principem 6. 15. 25. 32. 231. 243. 269. 282. 314. 377. 379. 402. 423. 541. 542. 576. *Vide*. Cæs.
Principem poetarum patronum, 419
Principis familiam, 462
Providentiam divinam, 36
Providentiam in bello, 290
Pstraeum, 656
Puellam, 256
Pugiles. 418. *Vide*, Gladiat.
Pugillares, 640
Pugnam puerorum, 253
Pumilionem, 683
Regionem, urbem, &c. 53. 191. 205. 209. 272. 297. 503. 533. *Vide* Ædificia, ager, villa.
Rhedam, 580
Romam, 4. ejus portas, 408
Salustii scripta, 680
Scriptorem innoxium, 477. 500. *Vide*, Poeta, carmina, liber.
Sepulcrum apis, 195. viperæ, 210. formicæ, 287
Servitutis commoda, 468. 497
Servum fidelem, 152. eruditum, 360. utilem, 357
Silium Italicum, 554
Socratem Romanum, 535
Sponsos prudentes, 424
Statuam. 186. 432. 433. 443. 444. 454. 455. 472. 531. 535. 677. & seqq. *Vide*. Imago.
Sulpitiam poetriam, 508
Temporis partitionem, 182. 227
Templum, 438
Thermas. 295
Togam Romanam. 657
Triumphum, 190. 387
Valetudinem. 308
Vasa argentea fictilia, &c. 198. 605. antiqua, 660. 661. varia, 661. 662. & seqq.
Venatorem. 21. 576
Ventilatorem, 440
Versus, *Vide*. Carmina, liber, poeta, &c.
Vestes, 189. 385. 667. &c.
Vias urbis laxatas, 349
Victimam pacificam, 437
Viduam, 437
Villam, hortos, &c. 166. 209. 213. 411. 532. 595
Vinum 39. 90. 316. 317. 635. 636. & seqq.
Vinum consulare, 356
Virum fortem, 34. 77. probum, 36. 47
Vitam felicem, 125. 239. 244. 508. privatam & quietam, 69. hominis probi, 493. rusticam, 512
Uxorem probam, fortem, peritam, &c. 37. 42. 353. &c.

Mittit
Cæsariem rufam, 271
Coronam e rosis, 362. 452.
Librum, carmina, &c. 71. 91.

91. 93. 142. 144. 176. 182. 183. 186. 224. 225. 229. 233. 253. 274. 281. 326. 331. 335 340. 365. 464. 471. 489. 490. 533 572
Pœna, 533
Xenia, 613. & ſqq.

Optat
Puero incolumitatem, 200 294
Reditum celerem amico, 202
Reditum in urbem Imperatoris; 320. 321. 322
Vitam longiorem ſibi, 493
Ut fons ſit ſalubris, 299
Vide Vota.

Petit.
A lectore ut ſuos libros legat, 29. 32
Fontis publici particulam, 420
Jus trium liberorum. 140. ibid.
Ut libris ſuis locus ſit in bibliotheca Cæſaris, 232. 333
Munus, 318. 448
Nummos, 115. 282. 284. 366 561
Ab amico ut redeat, 302 320. 363
Togam, 136. 313. 385. 446
Vinum, 458

Queritur
De amici morte, 495
Artes tantum pernicioſas diſci, 265
Carmina ſterilia, 240. 541
De miſera clientium ſorte, 513
Litteras ſpretas, 73. 93. 143 158. 240. 459. 483. 524
Eſſe raros poetas, 203
Virtutem neglectam, 181

Vota
Æſculapio pro adoleſcente, 429
Apollini pro amici conſulatu, 452
Jovi, Jano, pro Cæſare, 349. 372. 375. pro pace, 496
Mercurio, pro conjugibus, 367
Pro imperio, & Imperatore, 541
Saturno, pro amico reduce, 598
Ad Betim, pro præfecto provinciæ, illam ineunte, 610
Ad ſuperos, pro puerulo 294

INDEX RERUM.

Quæ præfertim in notis explicantur.

A

Abacus 644
Abdera 464
Abolla 205
Abſynthium 469
Academia 353
Acapnus 615
Accipiter 684
Acerra 201
Acetum 637
Achelous 322
Acidalius 287
Acipenſis 631
Actium 185
Addicere 499
Adventoria 569
Æacides 375
Æacus 481
Ædes Martis ultoris 346
Ægetia 502
Ægis 319. 431
Æmilia 143
Ærugo 500
Æs Corinthiacum 451
Æſculapius 429
Æſonides 108
Ætas aurea 599
Ætna 351
Αἰ'ίτωμα 491
Africani 181
Agenor 122
Agrippa 91
Agrippina 213
Αἴτια Callimachi 480
Albanum 177
Albula 180
Alceſtis 221
Alcides 14
Alcinous 215. 341
Alea 187
Aleator 280
Alexander 433
Alga 489
Algidum 498
Alica 607. 613
Alicula 607
Aliptes 604
Alix 515
Almo 162
Alpha 251
Altinum 192
Alveolus 644
Aluta 114
Amazones 475
Ambroſia 183
Amethyſtus 510. 673
Amomum 269
Amphitheatrum 4
Amphora 606
Amyclæ 386. 636
Anaglypta 199
Analecta 328. 658
Andremon 484
Andromache 121
Anna Perenna 215
Annibal 187. 443
Annulus 238. 466. 553. 666
Anſer 438. 627
Antæus 270. 475
Antenor 92
Ἀντιπάθεια 45. 279
Antiſtes 368
Antium 229
Antius Reſtio 152
Antonius Ciceronis perculſor 172. 271
Antonius Primus 471
Antonius Saturninus 185
Anxur 230
Aonius 350
Aphromitrum 653
Apicius 153
Apinæ 94
Appollodorus 66
Aponus 65. 296
Apophoreta 639. 639. &c.
Appia via 475
Appulia 124
Apyrina 621
Aqua Marcia 297
Aqua Virgo 245
Aquileja 192
Arabia 6
Arbiter 294
Arcadia 21
Arcas 439
Archetypus 324
Archilochus 325
Arctos 13
Arctous 185
Ardea 211
Ardelio 76. 104. 223
Arena 10
Aretium 59
Argiletum 31
Argo 327
Argonautæ 174
Aricia 111, 299. 454
Arietis ſignum 512
Arpi 207
Arpinum 491
Arria 37
Arſacius 439
Artemidorus 311
Artes pecunioſæ 265
Aſcaules 478
Aſparagi 617
Ex aſſe 147
Aſſerere 38
Aſſertor 58
Aſturco 682
Aſturia 488
Aſſyra 234
Attyanax 375

Ateſte 533
Atina 533
Atlas 368
Atridæ 330
Atrium 139
Attagena 118. 625
Atthis 59
Atys 137
Auctio 78. 423
Aucupium 684
Aventinus 307
Avernus lacus 66
Avia 520
Aulon 621
Aurata 631
Aureus Romanus 244. 494
Aurigarum factiones 298. 551
Auriſcalpium 645
Auſonia 7. 322
Autolycus 406

B

BAbylonia texta 386
Babylon 3. 460
Bæbius Maſſa 584
Bætica 600
Bætica vellera 257 669
Bæticatus 93
Bajæ 64. 209
Balnea Romana 273
Balucis 596
Barba juvenum 145
Barbarus 2
Bardiacus 59
Bardocucullus 59 668
Baſcauda 661
Baſiliſcus 643
Baſis 444
Batavi 314
Batrachomyomachia 679
Bauli 213
Bella Punica 101
Bellum Judaicum 291
Bellum Thebanum 640
Bellus 34. 171
Bes 44
Beta 251
Betæ 615
Bilbilim 54
Biſon 19
Bitontum 125
Blatta 611
Boletus 40
Bononia 316
Bootes 179
Bottellus 277
Botrodus 55
Botulus 66
Bovilæ 103
Bractea 390
Britanni 557
Bromius 201. 610
Brutianus 191
Bruti puer 134
Brutus 387. 505
Bubalus 19
Buccella 310
Bulbi 202
Buſta Gallica 604
Buſtum 258
Byblis 502

C

CAcus 270
Cadmus 122
Caducæus 368
Cæcubum 119
Cælebs 601
Cælius mons 578
Cælum 202. 531
Cæmentum 660
Cære 638
Cæſius Sabinus 366
Cæſonius 341
Cajeta 229
Calabræ Muſæ 23
Calathus 452. 663
Calcei Senatorii 56
Calculi 354. 644
Calda 36
Caledonius 9
Calices varii 660
Callaicus 198
Callimachus 191
Calliope 159
Calliſto 290
Camillus 543
Campæ 442
Cancer 273
Candelabrum 649
Canis 612. 643
Canius 71
Cannæ 289
Canthus 677
Canuſinæ 332. 667
Capiſtrum 89
Capitolium 206. 237
Cappadocia 437
Capricus 204
Carpophorus 13
Caryotidex 549
Caryſtus 460
Caſia 301
Caſtalius fons 329
Caſtor & Pollux 46. 259
Caſtrum 211
Cataplus 605
Cataſta 292
Cathedralitius 487
Catilina 272
Cato 29. 34. 49
Catullus 681
Cattæ 626
Catti 101
Cavea 53. 656
Caules 616
Caunus 55
Cauſia 647
Cayſter 59
Cecropius 42. 47 230
Celeuſma 173
Cella pauperis 163
Cellæ fervorum 459
Celtiberi 54
Cenſeri 65
Cenſores 540
Centuari 480

Centies 85
Centum viri 294
Cepnalus 561
Cera in libris 184
Ceræ ultimæ 319
Cerdo 148
Cercopithecus 360. 682
Ceroma 281
Ceretani 624
Cerva æripes 474
Cervical 672
Ceruſſa 73. 159. 231
Cervus 584. 632
Ceſtus Veneris 287
Chalybes 207
Chariſtia 449
Charta virgo 69
Chimæra 22
Chiragra 84
Chiron 307
Chius 643
Choraules 266
Chryſendeta 123
Cicadæ 515
Cicer 48. 277
Cicero 139. 173. 272
Cilicia 6. 364
Cimex 550
Cinnamum 301. 165
Cinnamus 288
Cinna poeta 492
Cippus 517
Circei 229
Circulator 478
Circus 23. 307
Cirri 436
Ciſterna 165
Ciſtifer 243
Cithara 676
Claudius Imperator 40
Clavis ferrorum 256
Clauſula libri 228
Cleonæ 273
Cleonæus leo 211
Cleopatra 210
Clepſydra 294
Clinicus 45
Clytemneſtra 285
Cnidus 626
Coccina 109. 119
Coctana 227. 618
Cochlea 391
Coeus 685
Cœnaculum 91
Cœnæ Magiſter, rex, pater, &c. 592
Cœna recta 231. 328
Cœnatio 128
Cœnare apud Jovem 394
Cœnatoria 669
Colchis 22
Colocaſia 624
Colonus 206. 209
Coloſſus 4
Coloſtrum 620
Colum 662
Concha 682
Conchis 260
Conditio 241
Condylus 277
Congedus 55
Congiarium 146
Coniocer 500
Conſul 38
Conturbare 332. 423.
Convivia propinquorum 449
Copta 655
Corcyræ 348. 411
Corduba 66
Cordillæ 143
Corinna 236
Corinthus 255. 451
Cor Leonis 209
Cornelius Fuſcus 310
Corona civica 420
Coronis 476
Cors 449
Corſica 554
Corybantes 72
Coſmicus 340
Coſmus 433
Cothurnatus 238
Cothurnus 158
Cous 642
Crœſus 260
Craſſus 543
Creditor 73
Creta 101
Cretanus 128
Criſpus 206
Criticus 278
Crocus 250
Crudus 148. 605
Cryſtallina 451
Cucullus 59. 143. 670.
Cucumæ 527
Cucurbita 547
Culcita 159. 674
Culex Virgilianus 679
Cuniculus 625
Curetes 431
Curio 109
Curius 306. 435
Cyaneæ 327
Cyathorum certus numerus 401. 469. 552.
Cyathus 43
Cybium 276
Cycni 442
Cydonia 617
Cyllarus 192
Cynicus 205. 657
Cyprus 467
Cyrrha 74
Cytherea 398

D

Daci 41. 102.
Dactyliotheca 559. 666.
Dædalus 204
Dalmatæ 526
Damæ 518
Danubius 234
Daphne 201. 322
Daphnon 527. 593.
Dare verba 263. 488.
Decebalus 321

Decies 99
Decies centena 129
Declamare 104
Decoctor 173
Decoquere 106
Defrutum 202
Dejanira 446
Delatores 8
Delphi 602
Delphis 442
Demenium 147
Denarius 97.474
Dentiſcalphium 645
Deucalion 265
Deunx 45
Dextans 45
Diapaſma 79
Diarium 145
Diatheca 604
Diatreta 604
Dicte 177
Diegis 231
Dies Roman. 183
Ad digitum pugnare 24
Digitum tollere 268
Dyndimene 419
Dionyſios 200
Dipſas 160
Diſcus 675
Divortium 506
Diurnum 165
Dodrans 44
Dorcas 319.633
Dores 18
Drama 609
Dropax 519
Dryas 192
Dulichius 561
Dumque 353

E

EArinus 416
Echica carmina 137
Echinus 630
Efferre 191
Electra 140
Electrum 195. 210
Elegia 151.253
Elephas 16
Elyſii campi 302
Elleborum 470
Elpenor 563
Emerre bene 377
Emerita 66
Emeritus 351
Encauſtum 203
Endromis 189
Endymon 479
Enteroclea 514
Enyo 20
Eous 384
Ephippium 658
Epiſiphnides 549
Epithalamium 185
Epitrapezius 443
Epos 609
Eques Romanus 175
Eques alienus 243
Eques juſtus 88. 218
Erigone 560
Erotium 255
Erymanthus 21
Erythræus 257
Erys 270
Eſquiliæ 355
Εσχατοκολλητον 103
Eſſedum 89
Etruſcus 314. 340
Evadne 221
Euganei 192
Evocatus 181
Eurylitheus 455
Eurotas 460
Eurydice 676
Ex aſſe 147
Extemporalis 269

F

FAbricius 435. 343
Fabula 9
Falernum 29
Far 202
Faſces conſulum 351
Faſti 37
Favi 634
Fauni 453
Febris 579
Ferula 657
Ficedula 613. 623
Ficus 67. 331
Fidiculæ 263
Fiſcina 5
Flagellare 215
Flaminia 215
Flavia gens 26
Flectere capillos 117
Floralia 28
Focale 671
Foliatum vinum 664
Follis 190
Fora Rom. 30
Formiæ 498
Fortuna gemina 229
Forũ Cornelii 142
Fratres Siculi 330
Fretus 202
Fritilius 187. 643
Frons libri 68
Frontinus 510
Fronto 60
Frugi 619
Fucinus 23
Fucus 390
Fullo 167
Fumarium 503
Fundi 636
Fundus 375
Fungi 170

G

GAbata 345
Gades 49
Galba 49
Galbanus 84
Galbula 526
Galeſus 122. 257
Galli Cybeles 137. 162
Gallia 142. 230
Galliambus 137
Ganymedes 33
Garum 318.633
Gauſapa 670

Ge-

Gelasinus 331
Gemini 383
Genethliacum 281
Geniſta 50
Genius 304
Germanicus 230
Gerres 587
Geryon 270. 474
Geſtatio 345
Getæ 302. 320
Giberius 679
Ginus 312
Gladiatores 16. 99. 249
Glaucopis 360
Glaucium 434
Glis 625
Gnoſſus 634
Gobius 630
Gorgones 480
Grabatus 558
Grajus 207
Graphiarium 645
Graphium 184
Grues 427. 628
Guſtatorium 659
Guſtus 549
Guttus 652
Gyariæ 7

H

HÆdus 621
Hæmus 6
Haltetes 651
Harpaſtum 190. 650
Haſtati 82
Hebe 656
Hecatoſtylon 150
Hedera 420
Heleiarii 215
Helena 67
Heliades 210
Helice 180
Helicon 74
Helle 282
Hemitritæus. 224
Hercules 21. 443. 455
Hermaphroditus 479
Hermathena 528
Hermeros 528
Hermus 316
Hernia 514
Herous 151
Heſion 21
Heſperides 17
Hetruſcus 314. 340
Hexaclinus 451
Hexaphorus 137
Hippocrene 450
Hippodamus 195
Hippodromus 593
Hirpinus 172
Hirundo 271
Hiſco 266
Hiſpaniæ urbes 54. 207
Hiſtria 600
Hiſtrio 435
Horæ diei 92. 183
Hyacinthus 678
Hybla 124. 426. 361
Hybrida 383
Hydra 22. 270
Hylas 150. 456. 479
Hymenæus 185
Hymettus 361. 427
Hyperboreus 179
Hyrcania 15

I

JAniculus 214. 596
Janthina 119
Janthis 299
Janus 371. 376. 496
Jaſon 540
Icarus 204
Ichneumon 361
Idus 145. 217
Imbrex 118
Imputare 499
Incendium 235
India 385
Infantarius 226
Inquilinus 78
Inſulæ urbanæ 197
Interjungere 103
Invidia 234
Jo 419
Jones 3
Iris 576
Irus 260. 311
Iſis 108 509
Iſter 231
Ityς 512
Julia lex 283
Jupiter Ammon 3
Jus trium liberorum 140
Juſta 517
Juvenalia 145

K

Kalendæ 216

L

LAcedæmon 189
Lacerna 83. 114. 179
Lacertus 356
Lacænes 21. 46. 424
Laconum balneæ 297
Lactucæ 162
Lacuna 180
Ladas 138
Lælaps 561
Læna 659
Lagon 447
Lagus 495
Laletania 43
Laliſio 632
Laniſta 312
Lapillus candidus 397
Lapis primus, &c. 38
Lapithæ 374
Lares 168
Laterna 654
Latus clavus 203. 241
Lavicum 80
Laureatæ litteræ 322
Laureolus 9
Laurus 233
Lectica 133
Lectus pavoninus 658

Leda

Leda 59. 208. 256. 673
Ledæum aſtrum 382
Lemma 516
Lens 614
Lentiſcus 310. 645
Leporem edere 252
Lethe 344
Leucobæus 83
Lex theatralis 247
Liberorum trium jus 140
Liber 459
Liberalitas 242
Libertus 155
Libitina 396. 534
Libra argenti, auri 133
Libræ partes 244
Librarius 100. 104
Libri clauſula 228
Libri veterum 31. 72. 184
Liburnus 59
Licinus 372
Licium 665
Ligula 242. 671
Lima 278
Linea dives 417
Linere labra 159
Linguis favere 530
Linus 465
Liris 498
Litare 438
Litteræ laureatæ 440
Lituræ 327
Livere 386
T. Livius 680
Locarii 642
Loculi 642
Lodix 672
Lomentum 654
Lorica 319
Lotus 1186
Lucania 10
Lucanica 202. 620
Lucanus 66. 329. 330. 681
Lucifer 382
Lucifere dea 521
Lucilius 609
Lucina 12
Lucrinus lacus 66
Luctari 336
Ludere ſuo corio 149
Ludi 249
Ludi ſæculares 178
Lunati planta 115
Lunati calcei 56
Lupatum 89
Lupinus 277
Lupus piſcis 631
Luſcinia 656
Luſtrum 87. 178
Lyæus 72
Lycambes 325
Lygdos 287
Lyſippus 443

M

Machaon 109
Macte 185
Mactea 631
Mæcenas 404
Mænalus 21
Mæonides 237
Mæonius 343
Mala citrea 620
Mala Perſica 621
Mala Punica 50
Malvæ 510
Mamertini 636
Mamma 85
Mandra 246. 354
Mantile 585
Manuale 658
Manumiſſus 58
Mapalia 492
Mappa 585
Marathon 21
M. Antonius Primus 471
Mareotis 392
Marica 498
Mariſcæ 331. 548
Maro 65
Marſus 132. 194. 233
Marſyas 129. 518
Martes 504
Martialis 280
Maſſicum 43
Maſſilia 503
Maſſyli 432
Maſthlion 238
Mattium 646
Mattya 516
Mauruſia 602
Mauſoleum 3
Meduſa 319
Meleager 13
Melimela 50. 331
Mella Corſica 434
Melpomene 195
Membrana 30
Memphis 2
Menander 237
Menapii 624
Menſæ citreæ, aëreæ, &c. 659
Mentor 159
Mercurius 368
Meſſala 372
Meta 51
Metellus Creticus 101
Metreta 241
Mica aurea 128
Midas 316
Miletus 386
Mimus 370
Minutal 549
Miracula orbis 3
Mirmillo 99
Miſcera 100
Miſſio 24
Miſtyllus 57
Mithridates 275 289
Mitylene 357
Modeſtus grammaticus 492
Molorchus 215
Monaulos 654
Montes Romæ ſeptem 214
Morio 378. 683
Mullus 119
Mulſum 189. 470. 634

Mune-

Munerarius 18
Municipium 216
Muræna 119. 625
Murex 56
Muria 622
Muſcarium 655
Muſtum 93
Mycenæ 640
Myra 442
Myrobolanum 653
Myrrha 225
Myxa 649

N

NAiades 308
Napi 616
Narbona 413
Nardus 623
Narnia 363
Nartecium 659
Naumachia 19
Nemea 8. 211
Nereides 20. 209
Nereus 498
Nero 434
Nerva 412. 482
Neſſus 456
Neſtor 266
Niceros 301
Nilus 66. 313
Nimbus 664
Niobe 620
Nitella 257
Nomas 460
Nomenclator 498
Nomentum 90
Noricum 208
Notæ 263
Notare 32
Notarii 263. 682
Notus 274
Nubere 378
Nuces 253. 611. 645
Nuces pineæ 618
Numa 484. 542. 599
Numilma 35
Nurus 221
Notha 55
Nymphæ 209. 298
Nyſa 200

O

OBruſa 596
Octaphorus 315
Odryſa 323
Oedipus 479
Oſella 510. 592. 688
Officioſus 247. 515. 531
Oliva 620
Olympia 201
Olympias 201. 316. 340
Omphala 456
Onager 633
Onyx 296
Opes libertinæ 239
Opimius 43
Opobalſamum 653
Orbes Mauri 432
Orcheſtra 239
Oreſtes 285. 342. 485
Orpheus 17. 564
Oryx 632
Oſiris 108
Oſſa mons 392
Othonis lex 235
Otho imperator 293
Othryſii 323
Ovidius 66. 680
Ovilia 108
Oxygarum 164

P

PÆnula 611. 668. 671
Pæſtum 211
Pacurus 439
Paganica 190
Palamedes 628
Palæſtra 168. 270
Palatinus 232
Paluurius Sura 56. 306
Palinurus 174
Pallas Domitiani 220
Palmes 80
Pan 71. 44
Panaca 663
Panes Picentini 622
Pannonia 379
Pantices 307
Paphus 386. 468
Parazonium 647
Parcæ 206. 220. 303
Parma 122. 239. 684
Parmularii 457
Parrhaſius 185. 348.
Parthenius 201
Parthenopæus 318
Parthi 226. 266. 522
Parus 80
Paſſum 634
Paſtilli 79
Patavium 65
Patræ 250
Patricii 355
Patronorum jura 501
Patronus 56
Patrueles 256
Pavo 626
Pecten textorius 672
Pegma 5
Peleus 128
Peligni 43. 66
Pelium 392
Pellæus 441
Peloris 286
Penates 72
Penelope 66
Penſum 206
Pentheus 564
Perfrigefcere 150
Pergamus 429
Permeſſus 74
Perna 624
Perſius 194
Peſcic fus 172
Pervigilare 457
Peſaſo 624
Peſarum 137
Peſatus 123. 127
Phædrus 151

Phæ-

Phaethontides 195
Phalanthus 386
Phaleucii versus 484
Phaon 502
Phasiana 167
Phasma 253
Philomela 512
Phlegra 417
Phœnix 224
Phosphorus 382
Phryges 431. 563
Phryxus 282
Phyllirides 108
Picenus ager 202. 227
Pierius 350
Pignus 582
Pila 15. 16. 189. 322. 650
Pila Tiburtina 246. 350
Pileus 544. 669
Pimdia 541
Pindarus 381
Pirithous 485
Pistor dulciarius 685
Placenta 260
Plagiarius 607
Platanon 150
Plato 353
Plaudendi formulæ 115. 485
Plectrum 330. 676
Plinius 359
Plumbeus 86
Poculorum numerus certus 469
Pœni 187. 289
Polyphemus 204. 339
Pollentia 674
Pollinctor 534
Pollux 259
Polus Latius 424
Polus septentrionalis 13
Polycletus 451
Polyhymnia 195
Polymitus 672
Polypus 589
Pompeji theatrum 284
Pompejus 173. 274
Pomptina palus 524
Ponda 244
Pons Milvius 148
Popa 187
Porcia 49
Porphyrio 628
Porri 616
Porsena 41
Pothinus 173
Potitus 16
Prædium 156
Prænestæ 215
Præstare 213
Prætexta 492
Prætor 218
Prætorium 527
Pragmaticus 605
Prasinus 551. 668
Praxiteles 198. 626
Priamus 266
Priapus 169. 309
Primipilus 82
Procris 561
Prometheus 445
Propertius 680
Propinare 606
Proscriptio 272
Proscriptus 152
Protomi 510
Proxeneta 478
Pruma 242
Psilothrum 318
Pugilles 418. 458
Pugillares 640
Puleum 587
Pullus colos 674
Pulpitum 75
Pumex 69
Pumilio 683
Pumilus 681
Punica bella 101
Purpura Megalensis 506
Postulatus 360
Pusula 674
Pyctes 564
Pylades 285
Pyra 258
Pyramides 2
Pyrgi 571
Pyra 520

Q

Quadra 310
Quadrans 44. 244
Quæstor 338
Quartana febris 525
Quicunx 44
Quicunpedal 660
Quinquennale certamen &c. 424
Quintilianus 139
Quirinalis mons 539
Quirinus 513

R

Ramentum 478
Rapa 615
Ravenna 165
Remus 524
Res 39
Restis 219
Retiarius 99
Reticulum 390
Reus 56. 132
Rhenus 422
Rhetor 228
Rinoceros 10. 18
Rhodope 6
Rhodus 209
Rhombus 436
Rhytium 117
Rigæ 208
Rogus 258
Romæ montes 214
Romehus 31
Rosa 362
Rudis 24. 157

S

Sabbatarii 181
Sabini 500
Sabinum vinum 511

Saga

Saga 436
Sagarus 405
Sagum 31
Saguntus 202
Salamandra 130
Salaria via 215
Salarii 51
Salarium 146
Salluſtius 680
Salmacis 498
Salo 55
Sanctior aula 234
Sandapila 135
Santones 470
Santonicus 470
Sapa 347
Sapo 646
Sappho 253
Sarcinæ 131
Sardinia 211
Sardonyx 212
Sardous 389
Sarmatæ 6. 320. 357
Saſſina 168
Satiſdare 58
Saturnalia 235. 187. 280. 544. 639
Saturninus 184
Saturnus 599
Satyri 536
Satroctonos 677
Saxa Rubra 214
Scævola 41
Scalptorium 658
Scarus 620
Scazon 83
Scena 253. 435
Scipiones 101
Sciurus 258
Scopæ 658
Scopas 198
Scorpius 218
Scrinia 30. 196. 226
Scriptulum 227
Scutica 517
Scutum 684
Scylla 339
Scythæ 492
Secundæ menſæ 164
Sedilia in theatro 235. 240. 248
Selibra 85. 244
Sella 157
Sellariolæ popinæ 273
Semicinctium 673
Semiramis 386
Semis 44
Semodius 202
Seneca 66. 199
Senio 612. 643
Septa 108
Septentrio 302
Septitianus 227. 412
Septunx 44
Sepulcra veterum 80. 94. Vide *Epitaphium* in ſecundo Indice.
Sequani 189
Serapis 436
Servi inſcripti, tonſi, &c. 415. 674
Seſtertius 68
Seta 61
Seria 216
Septinum 316
Sextans 44
Sextarius 44
Sextius Caballus 49
Sibylla 436
Sideratus 363
Sigma 509
Signinum 636
Silius Italicus 187. 350. 409
Silvanus 532
Simila 614
Simius 683
Sidon 109. 190
Sinueſſa 296
Sirenes 172
Sirius 217
Siſiphus 278
Siſtrum 585. 651
Sitos 372
Smaragdus 212. 238
Soccus 372
Socrates 535
Socrus 520
Solſtitium 211
Sophocles 151. 253
Sophos 31. 68. 300
Sorba 618
Sordidatus 113
Sotades 137
Sotadicum carmen 155
Soteria 595
Spanius 120
Sparta 61
Sparthariæ 618
Specularia 379
Splenia 115
Spoletum 637
Spondæa 488
Spondere 489
Spondylus 228
Spongia 184
Sportula 64. 145
Squillæ 629
Stamen 671
Stella 33. 417. 443
Stemma 199
Stibadium 659
Stilus 194
Stoici 34. 351
Stola 485
Stragula 109
Strigles 651
Stropha 146
Structor 510
Strymon 436
Stymphalides 474
Subſellia 43
Subſemen 671
Suburra 110. 246
Succinum 210. 258
Sulphurata 48
Sulpitia 502
Sumen 118
Supinus verſus 137

Suppositirii gladiatores 249
Surrentum 635
Συκαμίζες 259
Syene 78
Sylla 389. 443. 543
Symplegades 327
Synnas 460
Synthesis 202. 639. 671
Syria 524
Syrma 204

T

TAgus 55. 207
Tali 187. 217. 642
Talio 601
Tantalus 481
Taratalla 57
Tarpejus mons 205. 349
Tarraco 55
Tarteſſus 333
Tata 86
Taurus aſtrum 512
Tecta via 415
Templum Dianæ Epheſinæ 3
Templum Flaviæ gentis 423. 438
Terrentus 71. 178
Tereus 203. 271
Tergeminus 162
Terra levis 255
Teſſera 217. 417. 611. 643
Thalia 183. 326
Thebæ 207
Thebais 640
Thermæ 5
Theta 338
Thetis 21
Thymele 32
Tholus 72
Thraſeas 34
Thyeſtes 161. 204. 265
Thynnus. 227
Tibullus 18
Tibur 209. 211. 212
Timavus 193
Toga 56. 88. 524. 667
Toga palmata 320
Tomaculum 49
Tomentum 674
Τὸν δ' ἀμαμεζόμενος 52
Tonſor 300
Toreuma 156. 203. 545
Toxicum 275
Traducere 6. 59
Trajanus 482
Trapetum 333
Trebula 274
Triarii 82
Tribulis 379. 447
Tribuni plebis 284
Tribuni millitum 175
Tribus 124
Triclinium 309
Triens 44
Triteris 294
Trifolinus ager 636
Trigon 189
Trilices panni 671
Triones 302
Triplices 347
Triton 23
Tritonis 177
Trivia 3
Trium liberorum jus 140
Trochus 357. 676
Tropa 187
Tropis 668
Trulla 470
Tubera 623
Tuberes 621
Tunica moleſta 226. 495
Turdus 449
Turricula 643
Tuſcia 331
Tuſculum 334
Tyrianthinos 59
Tyrus 122. 377. 286

V

VAdavero 54
Vadimonium 410
Vale 140
Valerius Flaccus 65. 74
Valgus 118
Vappa 589
Varius poeta 381
Vaticanus 317
Vatinii calices, ſeu Vatiniani 478
Varius 604
Varrenus 172
Udones 670
Udus 604
Vejentanus 88
Veji 126
Velus aureum 282
Venabula 647
Venafrum 600
Venetus auriga 298
Ventilare 254. 440
Venus 642
Vercellæ 486
Veredus 576. 658
Verna 48
Verona 33
Vertagus 682
Veſpillo 45
Veſta 71
Veſuvius 200
Vicarius 110
Vidua 437
Vigeſſis 606
Villicus 587
Vina quædam 635 636

Vindelici 464
Vindex 59. 444
Vipera 150
Viren 576
Virgo aqua 245
Viſcum 11
Vitis centurionum 495
Vitelliani 103
Umbilici librorum 69 103
Umbo 161
Umbria 334
Uncia 244
Voberca 5
Urſa cæleſtis 13 179. 185. 290
Uſipii 304
Uva duracina 617
Uva, morbus 514
Vulturius 643

X

Xenia 611. 613 & ſeqq.

FINIS.

110
0
38
VIII 1
6582